Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Heinrich Ursin

Joh. Henrici Ursini, Superintendentis Ratisbonensis, Analectorum Sacrorum Volumina Duo

[Volumen 1]

Editio Tertia, Prioribus Emendatior Et Aptior. Præfationem Et Biographian Clar. Avctoris Adjecit Jo. Henricus Maius, S. Theol. D. Et Prof. P. In Academia Ludoviciana, Quæ Giessæ Hassorum Est: Francofurti: Lipsiæ: [Herborn]: Ære Et Sumtibus Joh. Nicolai Andreæ, 1713

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



F.c-3343.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0002
DFG

JOH. HENRICI URSINI,

SUPERINTENDENTIS RATISBONENSIS,

ANALECTORUM SACRORUM VOLUMINA DUO.

EDITIO TERTIA,

PRIORIBUS EMENDATIOR ET APTIOR.

PRÆFATIONEM ET βιογραφίαν

CLAR. AUCTORIS

ADJECIT

JO. HENRICUS MAIUS,

S. THEOL. D. ET PROF. P. IN ACADEMIA LUDOVICIANA, QUÆ GIESSÆ HASSORUM EST.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,

ÆRE ET SUMTIBUS JOH. NICOLAI ANDREÆ.

ANNO M DCC XIII.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0005

DFG

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. HENRICUS MAIUS,

D. & PROF. THEOLOGUS IN ACADEMIA LUDOVICIANA.

QUum latissimus eruditionis, tam sacræ, quam profanæ, campus sit, ut eum emetiri & percurrere paucissimis liceat; illi demum de optimarum artium studiis bene mereri mihi videntur, qui in omni disciplinarum genere scribunt, non quidquid potest, sed quidquid debet dici, & apum instar ex variis floribus colligunt, quod dulce, quod utile, quod necessarium est. Copia sane librorum non erudit, sed perdit rudes, qui delectum insti-

tuere & τὰ διαφέροντα probare nesciunt. Quemadmodum enim suppellectilis infinitæ nullus, nisi forte ad ornatum, usus, vel abusus potius est: ita nimius doctrinæ adparatus, & ingens librorum moles, magis impedit, quam provehit profectus.

Quæ res subinde quosdam eruditione præstantes viros movit, ut ab aliis viris doctis præclare & salubriter dudum dicta, colligenda magis, quam nova scribenda existimarent; quum nihil fere dici possit, quod non sit dictum prius. Hinc *Analectorum* origo & adpellatio, ac aliquando etiam *Fragmentorum*; quanquam posterius nomen ex loquendi usu potius de truncatis veterum scriptis vel sententiis, quam de summa adhibeatur: quibusdam *Collectaneorum*, aliis *Miscellaneorum* vocabulum hic placuit. Quidquid vero de voce sit, res notissima & probatissima est.

Qua-

Quapropter, ut alia omnia lubens prudensque præteream, & in rem præsentem veniam, nemo non doctus magni semper fecit *B. Io. Henrici Ursini*, Superintendentis quondam Ratisbonensis, *Analectorum Sacrorum Libros sex*, semel iterumque editos, (A. 1658. & A. 1668.) quos ipse Autor clarissimus non magnificentius, quam verius, *variarum lectionum & observationum ad S. Literarum illustrationem, in gratiam pietatis & amœnitatis Studiosorum, inprimis S. Ministerii Candidatorum, & pro condimento graviorum studiorum, Farraginem congestam & digestam*, nominavit. Quod opus ubi Noster doctis gratum esse intellexit, mox *Volumen alterum Sacrorum Analectorum, varias Quæstiones, Lectiones, Observationes Biblicas, Philologicas, Historicas, Symbolicas, sex libris novis continens*, publici juris fecit, (A. 1659. & 1669.) ac postea (A. 1666.)

Miscellanea Theologica & Philologica, atque *Paralipomena Miscellaneorum*, (A. 1667.) Hæc opuscula, inter alia bene multa, quæ vir laboriosissimus edidit, primo præcipuoque loco habita forte suo jure, ac propterea prelo iteratis vicibus subjecta sunt, propter insignem utilitatem, quam haurire ex iis possunt omnium ordinum disciplinarumque studiosi.

Quare non possumus non de meliore nota commendare operam, quam publico bono collocat vir egregius, *Dn Ioannes Nicolaus Andreæ*, Typographus & Bibliopola Herbornensis, de re litteraria bene meritus, dum bina *Analectorum Sacrorum* Volumina ære suo exscribere denuo adgressus est. Hoc ut faceret, suasor auctorque ei quidem non extiti; sed tamen, cum, nescio cujus instinctu, per celeberrimum Virum, Dn. Ioannem Henricum Schrammium, Doctorem atque Profesſo-

fessorem Theologum in illustri Athenæo, quod Herbornæ est, meritissimum, me humanissime compellaret & rogaret, ut novam hanc editionem præfatione quadam, similisque argumenti additamentis, exornarem, deesse non potui nec debui, tam honesto petito, ac eo nomine rescripsi, licet majus libro ornamentum a me conciliari nequeat, nec supplementum quoddam exspectari debeat, velle tamen me brevem præmittere operi prologum, ex ipso cumprimis *Ursino* petitum, quo & *βιογραφίαν* & Indicem scriptorum ab eo editorum exhiberem. Quod consilium cum placeret *Domino Andreæ*, datam fidem, pro eo ac par erat, præstare sine mora, & subjicere benevolo Lectori utrumque debui, prout calci *Paralipomenων Miscellaneorum Theologicorum & Philologicorum* adjectum reperi.

PRÆFATIO.

IOHANNIS HENRICI VRSINI VITÆ CURRICULUM

AUctores mihi, *Christiane Lector*, quidam Amicorum fuere, ut, quod ante annum Auditoribus meis in Vernacula edidi, Vitæ meæ curriculum, postremo huic meo Opusculo Latine conscriptum adjicere non gravarer. Impulit tum publicorum Dei, Ecclesiæ, meorumque *hostium calumnia*, ut tacere non licuerit. *Nolo in suspicione hæreseos quenquam esse patientem: ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio conscientiæ judicetur, si taceat*, ait S. Hieronymus ad Pammachium: & crudelis est, qui famam negligit, inprimis, ubi Dei ipsius & Ecclesiæ causa agitur. Quare impudentissimo mendacio illico obviam eundum erat, præsentibus adhuc omni exceptione majoribus testibus. Nunc *Amicus* aliquid indulgendum est. Neque multis hic opus est.

1. *Natus* sum in nobili Spira Anno Domini, Seculi currentis, VIII. 26. Januarii, ante Annos LIX. (A. 1608.) Pater mihi fuit *Iohannes Vrsinus Iunior*, Notarius Publicus Cæsar. Judicii Urbici primo Procurator, postremo Reip. Scriba: Patrui, isto tempore eruditis notissimi, *Guilielmus*, Rector Saræpontanus; & *Iohannes Senior*, Juris Licentiatus, Præfectus Lauterbaci apud

Ride-

Rideſelios: Mater *Anna Maria* Lützigin. Vivunt adhuc in Haſſia Patrueles, & Conſobrinus apud Vangiones, quibus bona faciat Optimus Maximus Deus! Defuncti ſint in pace! *Generatio Rectorum benedicetur!*

2. A puero colere cœpi, cum Pietate, bonas Literas: corpuſculo quidem imbecilli, ſed ingenio non infelici: Charus itaque Præceptoribus meis, inprimis *M. Chriſtiano Tholdio*, Rectori, poſtea factus Collega; & *M. Henrico Valentino* Achenbachen / Conrectori, poſtea in S. Miniſterio Domini Frater ad extremum vitæ halitum chariſſimus. Multum utrique debent Schola Spirenſis & Eccleſiæ; tam illa, quam Landoënſis: Ego, quod & hic commemoro, grato animo, plurimum. Μεγάλη χάρις ἀυλοῖς.

3. *Pater*, Anno 1622. die 11. Novembris rebus humanis exemptus, Matrem viduam, cum filiis 4. & totidem filiabus, poſt ſe reliquit, tempore, quod omnes novimus, duriſſimo. Illa tamen ea pietate & animi fortitudine, in re parva, graviterque temporum iniquitate afflicta, ſic nos educavit, ut rara Dei benedictione me & Fratrem *Ioh. Marcum* in Eccleſiæ ſuggeſtu conſpexerit, apud Spirenſes noſtros, ubi uterque in Gymnaſio ante Conrectoris officio functi fuimus. Intermedius *Ioh. Georgius* Archi-Epiſcopo Bremenſi à Pharmacis fuit: Natu minimus, *Ioh. Petrus*, in Greichgoia Paſtor Eccleſiarum. Nunc in Domino omnes pii obdormiunt, quos Mater

præcessit, filiabus etiam superstes, Anno 1638. 22. Octobris.

4. Mirandam Dei providentiam semper prædico. Nam 1. statim post obitum optimi Patris Pueris informandis operam dedi, inprimis Dn. Leusleri & Leuchteri celeberrimorum Liberis Theologorum. 2. Deinde *Argentinam missus*, Anno 1626. Calendis Martii, albo Academico inscriptus fui. Ibi duobus magnis Ecclesiæ Luminibus, *Dnn. DD. Theologiæ, Iohanni Schmidio & Dorscheo*, ita cœpi innotescere, ut per omnem vitam me constantissime adamaverint. Testes sunt, quas habeo ab iis, literæ. Hunc unicum mihi Argentinæ comparavi thesaurum, auro contra charum. Nam 3. Anno proximo 1627. circa Festum S. Jacobi, cùm disputationem *de Anima rationali* conscripsissem, & jam typis impressam edidissem, avocatus sum, mittendus *Marpurgum*. Sed aliud, & quidem, quod eventus me docuit, longè melius, providerat rerum humanarum Arbiter, DEUS. Nam reversus Spiram, Matris precibus ac imperio, *Dn. Petro Paulo Steyrnagelio*, celeberrimo Cameræ Imperialis Procuratori & Advocato, magno nostro Patrono, & Vicino in contiguis ædibus, à manu esse cœpi. Invitus quidem, quasi ejuranda esset Theologia, cui me à puero consecraveram: Verùm nihil æquè profuit. Etenim qui linguam Latinam, Græcam & Hebraicam, quantum sufficiebat, callerem, Germanicam tum scribere

bere & loqui didici, qua tamen vivimus. Taceo alia; neque enim pœnituit, aliquid in jure audisse & legisse. Ita misericors Deus, quæ nobis quàm maximè videntur obfutura, vertit in maximum commodum.

5. Jam 4. Anno 1629. circa Festum Pentecostes, ægre quidem, dimissus tamen, cum studiis meis in gratiam redii: Itaque præter D. Dieterici Catechesin DD. Chemnitii locos, & Menzeri exegesin diligenter versavi: Nec enim plures habebam. Interim Græcos & latinos Auctores, quosquos nanciscì potui, legi, aliquid quotidiè commentans; ut, si Ecclesiæ non essem idoneus, Scholæ tamen utilis fierem. Quâ causâ etiam diversis honestis adolescentibus Dialecticam, Rhetoricam, & bonos auctores, Historicos maximè, proposui; non sine liberali didactro, quo mihi libros comparavi. Ita domi apud Matrem vixi usque ad captam ab Hispanis, Anno 1632, Urbem.

6. Tum verò 5. Patriâ excedere compulsus, Lubecam ad *Dnn. DD. Schabelium & Tankium*, qui me Spiræ nosse cœperant & amabant, profecturus, cùm *Moguntiam* veniissem, nec vel progredi vel regredi possem, Deo me suo mirabili consilio retinente, prorsus præter omnem spem, ad *Rectoratum* Scholæ Evangelicum per *Dn. D. Donnerum*, primus vocatus sum. Quid usque ad anni proximi 1633. Pascha vel fecerim, vel passus sim, nihil necesse est commemorare.

Aegri-

Aegritudo laboribus immodicis & victu modico contracta compulit, ut domum paternam respicerem. Intellexi mox, divina me manu retractum, magnoque periculo ereptum fuisse. Nam paucos post menses Pestis, jam grassans, totam D. Donneri domum vastavit.

7. Ego autem, cùm apud Matrem mox convaluissem, Argentinamque rediissem, studia mea continuaturus, & jam honestam conditionem apud Nobilem quendam Virum essem nactus, suasu Dnn. Præceptorum, & postea Collegarum, *Dn. Licentiati Notteri & Dn. M. Beccheri*, tum Spiram vocatorum, reversus sum, manum Dominico aratro admoturus. Nec defuit divina providentia. Nam eo ipso Anno, pridie Festi S. Andreæ, *ad Ecclesiam Weingartensem*, non procul Spira, legitimè vocatus sum.

8. Ter tantùm antea concionatus eram, locis & temporibus diversis: Tamen, cùm Anno proximo 1634, post Epiphania *primam in patria concionem* hospes habuissem, novumque annum civibus precatus essem, ea gratia, sic faciente Deo meo, auditus fui, ut amplissimus Magistratus, Patres optimi, eo ipso die gratias mihi egerint; addito liberali munere, favoremque & studia sua, si qua se offerret occasio, me promovendi, polliciti fuerint. Quod & non multò post fideliter præstitêre.

9. Nam eodem Anno, post Nerolingensem cladem, cùm exercitus Confœderati totum Palatinatum

tinatum cis Rhenum inundassent, in Urbem fugere coactus, Dei nutu, iterum circa S. Andreæ, *ad Conrectoratum* Gymnasii; mox Anno sequente 1635. die 15. Octobris *ad Diaconatum* Ecclesiæ, quantumvis etiam cum lacrymis deprecarer, vocatus sum.

10. Tum verò, *per Annos Viginti* integros, labores me incredibiles exceperunt, secutique sunt morbi plurimi, & quidem plerique peremptorii. Nam, ut splenis tumorem, qui jam in scyrrhum videbatur abiisse; & colicas passiones; & erysipelas frequens; & febres etiam malignas, & in hepate apostemata, & id genus alia taceam; bis me *hæmorrhagia* planè inaudita totum exhausit: prima apertione hæmorrhoidum violenta: altera narium fluxu, quam *hydrops* secutus est, ille, credo, quem Medicorum pueri *anasarcen* appellant. Sed & pedem sinistrum sensim ulcera innumera ita eroserant, Anno 1637. (abscessus vocant) itaque excoriarunt, ut Medici in urbe cum Chirurgis, paterna Magistratus cura, in consilium adhibiti, jam nullam salutis spem facerent reliquam, nisi *putridum membrum* usque ad genu *ferro rescinderetur*. Mitto alia. Sed tum Deus, cum auxilia humana viderentur defeciisse, ὡς ἀπὸ μηχανῆς, præsens opem tulit, meque non semel sanitati jam desperatæ restituit: Salutaris fuit acidularum Svvalbacensium potus, multumque profuit *D. Torræi*, Reip. Physici ordinarii, per tot annos fidelis, hic quoque non tacenda, opera.

11. In-

11. Interea etiam diversæ *Ecclesiæ extra Patriam* meo uti Ministerio optavêre: *Wormatiensis* amantissimè Anno 1641. &, eodem exeunte, *Ratisponensis* mea, & tandem *Oetingensis*, me inscio, procurante Facultate Theologica Argentoratensi: (Literæ in scriniis meis servantur.) Sed quoniam me Patriæ voluntati, ut par erat, permisissem, cum gratia dimitti non potui, nec sine gratia concupivi. Itaque ante hos 26. Annos, in libro memoriali domestico, hæc, fretus bona conscientia, notavi:

Spiræ imus, poteram primus, modò si voluissem,
Esse alibi: sed ero, quod, pie Christe, voles.

12. Tandem Anno 1654. cùm in *atrophiam* incidissem, meque lenta & continua febricula, *hectica* similis, videretur consumptura, atque planè spectarem exodium; & quamvis adventu veris meliusculè habere inciperem, vires tamen recuperare, ne quidem acidularum mearum usu, possem; Anno 1655. ipso Octobris 15. die, eademque hora, qua ante annos 20. ad Spirense Ministerium vocabar, *Ratisponam ire*, & Ecclesiæ ejus ἐπισκοπὴν suscipere, alia omnia cogitans & exspectans, à Deo jussus sum.

13. Difficile fuit, fateor, *Ecclesiam* meam *ad S. Georgii*, cui me amantissima Patria jam Anno 1643. 24. Febr. præfecerat, quæque me impensissime, nam cur dissimulem? coluerat; quin & tot *amicos* omnium ordinum, & *bona immobilia* non pauca, quæ mihi magna parte peritura non

nescie-

neſciebam, relinquere, vicit tamen amiciſſimus *Dn. D. Iohannes Schmid*, quem ut Patrem veneratus ſum ſemper, cujusque monita ut divina imperia ſuſpexi; & ſuper omnia Dei timor & amor, ſpesque de ejus bonitate concepta, quòd vitæ jam præcipitis mihi prorogatura eſſet terminum. Quo uno reſpectu quoque nec chariſſima uxor bonis ſuis retineri, nec Patria me retinere voluit. Dimiſit ergò non ſine lacrymis, ſed & cum calidiſſimis votis, quæ in cœlo audita fuiſſe huc usque expertus ſum, Ratisponam veni 16. die Novembris, quæ quo me amore complexa fuerit, ne in faciem laudare videar, quantumque præſtare ſummo ſtudio deſideraverim, ne mea jactem; poſt obitum poſteritati recolenda commendo. Unum grata mente, voce quam altiſſima, cano, canamque in æternum, in laudem Dei mei: *Omnia benè fecit!*

14. Nihil caducorum hujus mundi vel, ſi adeſſet, in pretio habui, vel, ſi abeſſet, cupivi. *Famam* non quæſivi, & tamen fortè aliquam inveni; non magnam! ſed bonam. Teſtes erunt amicorum literæ, à præcipuis meæ ætatis Viris bonis & doctis adamatum me fuiſſe, ambitu meo nullo. *Opes*, quas mundus æſtimat, à me contemptas, pro me teſtabitur innocens & læta paupertas. Nihil tamen habenti nihil unquam defuit: imò nihilo amplius cupienti omnia ſuperfuêre. Theſaurus planè inexhauſtus, ſemperque abundans, fuit largiſſima Dei benedictio;

& ab

& ab ea piorum Magistratuum, quibus tot annis in Ecclesia Christi inservivi, cura ac beneficentia. Has ego certissimas judicavi divitias, non quas arcæ strangulant; possidenti sæpe onerosas, fortè etiam damnosas, posteris plerumque nihil profuturas, si non noxias. Has ego divitias meas liberis meis commendavi unicè unas, nec alias relinquo, si non fuerint indigni, nec opto.

15. Liberos habeo è *Conjugio duplici*, utroque etiam supra votum felici, superstites, *ex priore* cum *Susanna* Fränckin / Pastoris Essingensis & filia & vidua, duas filias, cum nepotulis quatuor: *ex posteriore* cum *Anna Maria*, Erhardi Pollens / Senatoris Spirensis, tres filios, filiasque totidem. Et, ut cætera breviter expediam, annum nuper ingressus sum *ætatis* LIX, variorum Ministeriorum XXXV. Nunc, postquam ante annum, pridie Calend. Januarias, hemiplexia me, cum inflammatione lateris dextri, corripuit, quæ tamen die nono in vehemens erysipelas soluta fuit; viribus attritis, Deo & Ecclesiæ parùm utilis, unum

Cupio; dissolvi & esse cum Christo! Amen! Ita fiat! JESU dulcissime, Amen!

INDICULUS SCRIPTORUM A ME EDITORUM.

UT statim à principio Ministerii mei, semper aliquid meditans, *scriberem*, compulit non cacoë-

cacoëthes illud, quod insanabile multos tenet; sed indefessi studii necessitas, ut laboribus continuis sufficerem, haberemque semper dicenda pro concione in promptu: ut verò postea hæc mihi Scripta aliis quoque typis impressa *communicarem*, favor Fratrum in Domino extorsit, amorque meus & facilitas negare non potuit. Accessêre deinde, suis temporibus causæ plures. Quare

1. ab anno 1642. primò edidi *Commentaria in quosdam Prophetas Minores*, eos enim in concionibus tractandos susceperam; & quidem *à Ioële* exorsus tempore horrendæ illius famis, quæ magnam Germaniæ partem circa Annum 1636, maximè ad Rhenum, oppresserat, Spiræ: nec supersit.

2. Secutus est JONAS, Præco pœnitentiæ, & mox

3. AMOS, Germanica lingua, Droh-Posaun: hi *Francofurti* in 8. apud Johann. Beyern. Inediti adhuc in scriniis jacent, Oseas, Haggæus, Malachias; Hypomnemata in Obadiam hoc anno prodeunt cum Paralipomenis Miscellaneorum.

4. Anno 1652. dedi in publicum *Regulam fidei Christianæ*, contra Valerianum Magnum; cujus Regula, cum Spiram venerat, variisque sermonibus, in quotidianis eruditorum congressibus, ut fit, præbebat materiam. Itaque, cùm nullum adhuc in manibus esset Theologicum Judicium, cogitandum mihi fuit, quid respondendum videretur disputaturientibus. Francofurti apud Hermsdorff, in 4.

5. Anno 1654. cùm Anonymus Chiliastes sparsisset,

sisset *Clavem Apocalypsis Reseratam*, quem librum in concionibus usque ad Cap. 11. paulò antè explicaram, rogantibus amicis, edidi *indicem Apocalypticum*, Apocalyptisches Zeigerhändlein / cum Chiliasmi historia & refutatione ibidem in 8.

6. Eodem Anno *Passionale Quadruplex* Evangelicum, Propheticum, Typicum, Symbolicum, cum Meditationibus de Agno Paschali, ibid. in 8.

7. Anno 1656. Salomonische Spruch-Postill / ibid. apud *Beyern*, in 4.

8. Eodem, contra Præadamitarum Auctorem, libellum, cui *Promethei* titulum feci, ibid. apud *Hermsdorff*, in 12.

9. *Sacrorum Analectorum*, Philologicorum, *Volumen* I. Anno 1658.

Et 10. *volumen* II. Anno 1659. in 8. *ibid.*

11. *Ecclesiasten*, sive de formandis concionibus, eodem Anno, *ibidem* in 8.

12. *Paradigmata Concionum*, ibid. in 8.

13. *De Christianis officiis*, sive in Tabulam Oeconomicam, *Norimbergæ apud Endteros*, in 8. Anno 1660. & mox ibidem

14. *Exercitationes familiares de Zoroastre, Hermete, Trismegisto*, &c. Contra Mosaicæ Antiquitatis rosores; cui libello tantum honoris delatum Romæ, ut publicè damnari & inter prohibitos referri meruerit.

15. Anno 1661. *Parallela Evangelica*, sive nova Postilla, textibus ex omnibus S. Bibliorum Scriptoribus desumptis, *Francof.* apud Hermsdorff, in 4.

16. *Quin-*

16. *Quinquagena Meditationum Festalium*, ibid. in 4.

17. *Isagogen Historico-Chronologicam*, cum Tyrocinio, 1662. ibidem. Sequuntur

18. Anno 1663. *Arboretum Biblicum*, Norimbergæ apud Tauberum, in 8.

19. Anno 1665. *Ejus Continuatio*, sive de Plantis, Herbis, Aromatibus Biblicis, ibid.

20. *Silva Theologiæ Symbolicæ*, secundò edita, ib.

21. *Ieremiæ Virga vigilans*, de Cometis, ibid.

22. *De ortu & progressu Ecclesiæ in Germania*, Compend. Histor. ibid.

23. *Miscellanea Theol. & Philologica* Anno 1666. Norimb. apud Endteros, in 8.

24. *Paralipomena Miscellaneorum*, Anno 1667. ib.

Interea prodire jussi, in usum juventutis, 1. *Fabulas Phædri* cum Notis & Indice, Ratisponæ. 2. *Atrium Latinitatis* & Florilegium Romanarum Antiquitatum, Francof. 3. *Encyclopædiam Scholasticam*, Norimb. 4. Item in 12. *Acerram Philologicam* Mille Historiarum, Francof. 5. *Analecta Rhetorica*, de Progymnasmatibus, cum Epitoma, Norimb. 6. *Hugonis pia desideria*, revisa, &c. Francof.

Tum verò per Comitia provocatus ab adversariis prodere coactus fui varia, inprimis: 1. Historischer Bericht vom Zustand der Seelen im Fegfeuer / Francof. apud Hermsdorff, in 8. 2. Vom Unterscheid der Religionen in der Welt/ und welches die allein seeligmachende / Norimb. 2. mahl aufgelegt. 3. Von der Nothwendigkeit

des H. Kelchs im H. Abendmahl / in 12. ibid. 4. Schwerd und Schild des Glaubens ex Forero, in 12. 5. Wider P. Neuhäusers Brodwag / in 8. 6. Gemeine Päpstische Religions-Scrupel. 7. Zeug-Verhör vom Fegfeuer / in 12. 8. Wider Pfaffenreutern. 9. Wider Masenii falschgenante / vereinigte Glaubens-Bekantniß. 10. Amica Collatio, de una vera Religione. 11. Anhang wider P. Kircherum. 12. Wider P. Neuhäusern etliche Tractätlein / deren ich nicht gedacht hätte in hoc catalogo, nisi in Francofurtensi nuper nugas suas, cum pompa, produxisset, & amicis meis causam dedisset inquirendi in Responsionem. Als 1. Ursini Treu. 2. Von Erfüllung des Gesetzes. 3. Ob die Gottheit unsers HErrn JEsu Christi auch in den Teuffeln seye? Horreco referens. 4. Von der Lutherischen angedichteten Ubiquität / &c.

Denique certis de causis edidi *Germanica Theologica & Scholastica* non pauca; ut 1. Abriß eines lateinischen Gymnasii. 2. Catechismus Theologia vor Haußväter und Schulmeister. 3. Sprüchbüchlein vor die Jugend. 4. Hauß-Capell vor die Waysen-Kinder. 5. Regenspurgisches Manuale. 6. Agapetæ Höllenfahrt und Himmelfahrt / vom heimlichen Leiden und himlischen Trost / &c. 7. Kampff und Sieg aus dem 73. Psalm. 8. Mein Lebens-Lauff wider die Lästerer / 2. mahl gedruckt. Conciones funebres & alias, &c. taceo.

Tu, benigne Lector, si *gratiam* non mereor,

veniam

veniam tamen prosperabis; meque in precibus tuis Deo ac Domino nostro JESU Christo commendabis, cui, jam viribus & ætate defectus, calamum hîc jam nunc suspendo. Si profui Tibi aliquando aut posthac *adjuto curasque levasso*, Deo gratus, mei in partem meliorem memineris, Salve & Vale! Scribebam XV. Februarii Anno clɔ. Iɔ. c. LXVII.

Nihil hic restare scio, quam ut de morbo Nostri ultimo ejusque ex hac vita discessu, aliquid addam; quod faciam ex D. *Pauli Freheri* Theatro virorum eruditione clarorum, Part. I. Sect. III. p. 667. col. a. ubi in βιογραφία Ursini, quæ tamen longe brevior est illa, quam nos ex ipso B. autore retulimus, hæc leguntur ex concione funebri *Erasmi Gruberi*, Ministerii Ratisbon. tunc Senioris, petita:

„ Ultima A. 1665. die post cœnam in
„ Musæum tendens, vertigine corre-
„ ptus, & lethargo 7. abinde diebus
„ decubuit, morbo in erysipelas pe-
„ dis degenerante. Abinde nunquam
„ plane convaluit, sed vertigine ali-
„ quoties reversa placide tandem ex-
„ tin-

„ tinctus est 14. Maji A. C. 1667. ætatis
„ 60. Ministerii 35.

Ex tot tantisque *Ursini* scriptis, quæ fere sola parvam Bibliothecam constituunt, ejus *Analecta* primum facile locum obtinent, ceu diximus, & satis constat patetque, & præ aliis æstimata atque desiderata a doctis sunt. Quare rem erudito orbi gratam præstat laudatus Bibliopola Herbornensis, *Dn. Andreæ*, dum rursus vulgat duo *Analectorum Sacrorum* Volumina, eorundemque *Paralipomena* procul dubio propediem vulgabit, si gratam hanc operam fore intellexerit. Nos ad operis commendationem nihil addimus, cum quisque per se ipse ex ejus lectione deprehendere & fateri cogatur, verissime in præfixo ab *Ursini* collega, *VVidero*, carmine dictum esse:

Lecta Analecta placent, deciesque
relecta placebunt.

Deproperab.
Giessæ Hassorum
d. X. Augusti
A. MDCCXII.

VIRIS

)o(

VIRIS,

PLUR. REVERENDO, PRÆCLARISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO,

DN. JOHANNI CONRADO DANNHAUERO, SS. Theologiæ Doctori, ejusdemque in Celeberrima Argentinensium Academia Professori, Summique Templi Ecclesiastæ Ordinario, &c.

UT ET

NOBILI, AMPLISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNI ANDREÆ BOSIO, in Inclyta Jenensium Academia Historiarum Professori ordinario &c.

Fautoribus & Amicis colendis, amandis.

Has studii sui Philologo-Theologici Vindemiolas,

D. D. D.

AUCTOR.

APelles Protogeni, cum apud suos, ut plerumque domestica, sorderet, dignationem Rhodi constituisse legitur, etiam in æmulo artis benignus. Ego si quid auctoritate valerem, optarem majus aliquod pretium constituere, spretis vulgo & insuper habitis, à plerisque hodie studiosorum, amœnioribus illis, quæ vocamus, humanitatis & Philologiæ studiis. Non vacat nunc excurrere in eorum laudem, nec meo illa indigent præconio. Hoc tantum longa retro anno-

annorum multorum experientia edoctus adfirmo; eos, qui sine istorum præsidio in SS. Theologiæ studio decus & emolumentum quæsiverunt, spe sua turpiter plerumque excidisse, solum tandem contemtum damnumque lucrifeciſſe. Neq; aliter fieri potest seculo eleganti, quo qui ad Rerumpublicarum gubernacula vel sedent, vel sessuros se sperant, litteras illas elegantiores, antiquitatis & historiarum studium, aut serio colere solent, aut simulant. Apud hos si litterarum istarum osores non magni pendantur, mirandum non est. Nam neque probamus admodum diversa, & hominum hoc est ingenium, ut nihil melius quisque velit credi, quam quod ipse tenet ac æstimat. Quo fit, ut quamvis cetera ornamenta forte non desint, si quib⁹ tamen hæc non etiam adsint, inter doctos postremissimi habeantur. Sic seculum est: an justa ratione fiat? non equidem sententiam fero: Ceterum id nemo negaverit, istiusmodi ἀμέσων causſa vapulare passim nomen Concionatorum, quasi qui tantum ex commentario, ut loquitur Seneca, vel ut nostri, ex Postillis sapiant: ἐς φθάσειεν ἂν ἡ σκιὰ φθεγξαμένη τὶ τῶν δεόντων, si isto præsidio dejiciantur, ut olim de similibus conquerebatur Grenensis Episcopus: τάπε ἄλλα, inquit, στεμνοστεφσωπεῦσιν ὑπὲρ τὰς Ξενοκράτες εἰκόνας. Fallor? an hæc potissima causſa est, cur totus iste sanctissimus ac humano generi saluberrimus ordo noster ita despicatui ducatur, ut in eruditorum censu Theologo Concionatori fere vix locus sit, & tantum Mysorum non ultimus

mus habeatur? Quæ vel una ratio juventutis excitare ſtudia debebat, ut nomen ſuum vindicet ab iſto ludibrio & deſpectu. Ego certe & monitis inſtigo ſemper, & nunc exemplo: qui, quantum profuerit mihi, quamvis re caſſum, Philologi nomen, mihimet ipſe conſcius ſum, & prædicare aliis non ceſſo; etſi nec ambierim umquam, nec ambire potuerim.

Enimvero cum nec monitis meis ponderis, nec exemplo auctoritatis ſatis ineſſe rear, ac experiar, Vos ego, celeberrimi Viri, quorum mihi favorem & gratiam hoc ſtudium meum qualecumque emeruit, hac Libelli hujus inſcriptione orandos putavi, ut bonæ hujus, puto, cauſſæ patrocinium adripiatis, & meam exiſtimationem, ſi quis obtrectaverit, tueamini. Amoris in me veſtri fiducia eſt, quod ad ANALECTA vos audeo invitare, & quidem ea, quæ inter ſcrinia mea paſſim diſperſa tinearum blattarumque fami parata fuiſſent, niſi amica manus Domini Philippi Erici Wiedersi / Fratris Chariſſimi, collegiſſet: nec diffiteor pleraque eſſe ejus generis, quæ vel vetuſtate quaſi rancida faſtidium creare vel novitate ſuſpecta nullum adferre lenocinium poſſint. Inter ſerias & graves Miniſterii mei occupationes, dum animo aliquid indulgeo, & laxamentum quæro, hæc talia concinnavi: maximam partem eo tempore, quo vel alii ſtertunt, vel; Sed quid ego hæc? Quaſi opellam hanc meam qualemcumq; excuſandam habeam, quibus dudum approbâſſe confidam. Tu mihi, Excellen-

tissime Domine DANNHAVERE, cum ante hos duodecim annos ex caussa privata Argentinam reveniſſem, ad familiare colloquium benevole admiſſo, hortator fuiſti; ſtylum in iſto genere exercere pergerem. Quo in ſtudio ſi quem fructum feci, merito ad Te redire debuit. Quæ vero nuper Tecum mihi, Ampliſſime Domine Bosj, inita amicitia eſt, pignus aliquod, aut potius pro tuis hoſtimentum, flagitare videbatur. Accipite uterque, quod adfero, & ex dantis animo penſate: nec ægre feratis, ſi & apud præſentes, & ad poſteros forte, ſi quos hic labor ſperare debeat, teſtari voluerim, & à Vobis me aliquando amatum fuiſſe, & viciſſim, Vos colendo me paria facere ſtuduiſſe: Valete & favete ſemper, Viri Optimi, Fautores exoptatiſſimi: Scribebam in Muſæo, XX. Martii Anni cIↃ IↃc LVIII.

Veſtræ Plur. Reverendæ Excellentiæ,
ac Amplitudinis

Cultor perpetuus

JOH. HENR. URSINUS.

I.

In Doctissimum librum de Analectis Sacris.

HOs rerum flores, de mensis dona secundis,
Cum dedit Ursinus, Sola Analecta dedit,
Dotibus ac variis animum testantia plenum,
Et dives dici, quæ meruere, penus.
Tot lecta Spicæ de messe loquuntur opima:
Pemmata quæ restent, hæc analecta docent.
Authorem miror, quem publica cura fatigat,
Et cum laude suum qui grave munus obit,
Conere tam doctos pauco potuisse libellos
Tempore, & incudi jam dare velle novos.
Si vacat, & reliquos Orbi vulgare labores,
Ne sinat Ursinus scripta latere sua.
Ejus eat passim liquidis fons obvius undis,
Et Doctrina Viri docta per ora sonet.
Sic magis atq; magis fama clarescet honesta,
Notitiæ præbens commoda multa suæ.

GUOLFG. JAC. PICCARTUS D.
& Syndicus Civitat. Spirensis.

II.

SEdula nuper Apis fueras mihi, dulcis Amice,
Vt Salomon tuus est editus ille foras.
Si vis nosse cui similem Te porro putârim,
Nam novi mores ingeniumq; tuum.
Granifera es formica mihi; sic jure vocâris,
Quamvis Vir magnus, parva sed illa licet.
Parvula namq; velut, magni formica laboris
Est vigilans, vitæ prosticiensq; suæ.
Venturæ metuens hyemi tristiq; senectæ,
Colligit æstatis tempore grana sibi.
Non aliter tristem metuens inopemq; senectam
Legisti juvenis plurima grana tibi.
Nocturna versare manu, versare diurna
Scriptores veteres, hic labor unus erat.
Hinc cumulus tantus, tantus quoq; fœtus acervus,
Vt stupeant omnes qui tua scripta vident.

Hinc

Hinc tot divitias, tot collectanea promis
Sacra, profana simul, nam Tibi cuncta patent.
Sic formica mihi fueris; quo nomine cunctis
Illustre Exemplar sedulitatis eris.
O Studiosa cohors formicæ discito morem!
Collige, namq; æstas non tibi semper erit.
Collige, sed moneo, paleas ne collige vanas,
Neglige quisquilias, Optima quæq; lege.
Collige, sic tandem magnum cumulabis acervum,
Frugibus & facies horrea plena bonis.

PL. Rev. & Celeberrimo Analectorum Autori
Dn. Ursino, admirandæ Eruditionis Viro,
Collegæ olim suo, Compatri, amico &
fratri amantissimo, honoris ergo

f.

Martinus Seufertus, Plavienſis, Eccleſiæ Spirenſis ad D. Auguſtini Paſtor. &c.

III.

Ad virum plurimum Reverendum, Amplissimum & Excellentissimum

DN. SUPERINTENDENTEM &c.

Fautorem suum Maximum.

COndita præſenti quæ ſunt condita libello
Condidit ingenii condiit autor opes.
Pro ſtudiis gravioribus utere condimenti
Inſtar, & in variis erudiere locis.
Lecta Analecta placent, deciesque relecta placebunt,
Et dices: nunquam me forefecit opus
Et labor & ſtudium, & laudanda libido ſciendi:
Doctior ex ſcriptis redditus, URSE, tuis.
Dii tibi compenſent hunc robore corporis actum,
Dodecadem ut Vatum proxima fama canat.

Officiosa scribebat mente ac manu

Philipp-Ericus Wider/ Ratisb.
Eccl. Orthodoxæ Miniſter.

SACRO-

SACRORUM ANALECTORUM LIBER I. ETHICUS, DE VARIIS MORIBUS, RITIBUS, CEREMONIIS, &c.

CAP. I.

Analecta ne guſtes!

CUi affine eſt: *Quæ de menſa vecide-runt, ne tollas!* Pythagoræ præceptum fuit, quo diſcipulos aſſuefacere voluiſſe, *ne luxurioſe & intemperanter ederent*, putat Laërtius. Sed ex priſca ſuperſtitione derivatum tamen idem indicat ex Ariſtophane, quod *Analecta Heroum eſſe* crederentur, lib. VIII. de Vit. Philoſoph. Itaque & a Vetulis noſtris religioſe obſervari, quaſi Cœlo miſſum Oraculum, animadverti non ſemel. *Animabus*, ajunt, *ea deberi innocentibus, quæ ſine ſalutari lavacro e vita exceſſiſſent.* Paganorum meriſſima

insania! Apud Græcos *quæ de mensa ceciderant amicis defunctis deputabantur*, teste Athenæo lib. X. ex Euripidis Sthenobæa. Pisidæ *in conviviis libabant defunctis parentibus primitias*, apud Nicolaum de Morib. Gent. Romani *Laribus dabant in patellam μικρὸν τρέας*, teste Varrone, & *de patella edere* solis conveniebat Asotis, hominibus minime religiosis, Cicero 2. de Finib. Borussi *in funebribus epulis aliquid de singulis cibis delibantes sub mensam porriciebant, eo se suorum Manes convivio excipere autumantes: Quod casu delapsum erat, desertis relinquere se animabus dictitabant, quibus non essent tam munifici cognati*, Meletius de Borus. Relig. ad Sabin. Analecta igitur Pythagoræ eadem ratione immunda visa, qua passim cibus Ενταφιος, epulum solis rapacibus corvis & impuris canibus dignum. Ex eadem, ut puto, superstitione *Regiæ mensæ reliquias Sacerdotes Calecutenses in India*, Brachmanum posteri, *Cornicibus objiciunt depascendas, quæ in hunc usum aluntur*, Stukius Conviv. Antiq. l. III. extremo Nec alia mente, puto, *Adonibesek* Tyrannus captivos Regulos truncatis pollicibus compulit, ut, velut impuri canes, aut Orco destinata capita, analecta colligerent sua, quibus vitam sustentarent infelicem, Judic. 1. Quorsum igitur tu nobis analecta? apage *Scævam Caninam*. Ita forsan aliquis: Cui repono; non hic *Panis Mortuorum*, sed *Analecta Deorum*. Explico:

CAP. II.

Cibus Ενταφιος.

Sacrificia eorum quasi panis lugentium, ἄρτος πένθους, Panis luctus, LXX. panis abominabilis, Chaldæus: *Omnes qui comedunt illum contaminabuntur*, Hose. cap. IX. 4. *Panis Luctus est, qui lugentibus mortuum appositus*

tus in cibum, quem vel gustare durum erat, pollutionem super mortuo studiose caventibus, Cyrillus ibid. *Lugentium Cœnas Græci* Νεκρόδειπνα *vocant, nos parentalia possumus dicere, ab eo, quod Parentibus mortuis immolentur*, Hieronym. ibid. *Mos apud Judæos fuit mortuum per VII. dies deflere: quamdiu hoc agebatur lamentum, immundum erat, quicquid in domo mortui fiebat, & quicquid vel comederetur ex eadem domo, vel tangeretur, polluebat. Unde & aliorsum comedebant, usque ad septimum diem*, Haymo ib. Sic hodieque proximi defunctorum agnati Septendiò lugent, nudis pedibus humi sedentes, &c. prima vespera suo cibo non vescuntur, sed amicorum, qui invisunt & epulas secum afferunt. Ova præcipue illis mittuntur consolationis ergo, quod mors, ut ovum rotundum, volubilis sit, hodie hunc petat, cras alium. Aquam omnem e domo funesta profundunt in plateam, quod *Angelus Mortis* gladium suum ea abluere & eam ita inficere soleat, vide Buxtorff. cap. XXXV. Synagogæ Jud. *Flentes hodieque Judæi*, ait Hieronymus, *& nudatis pedibus in cinere volutati, succo incubant. Ac ne quid desit superstitioni ex ritu vanissimo Pharisæorum, primum cibum lentis accipiunt; videlicet ostendentes quasi quo edulio primogenita perdiderint*, ad Paulam de Dormit. Blæsillæ. Distinctius paulo de his agendum ex Sacris literis. Primo, clarum quod in domo funesta immunda haberentur ex lege, quæcumque vase clauso & operto non continebantur, Numer. XIX. 15. Qua de causa aquam foras effusam annotat Abulensis. Deinde mos fuit, ut lugentibus daretur *Panis & poculum Consolationis*, & cœna funebris apponeretur, Jerem. XVI. 7. 8. Ezech. XXIV. 17. 22. Jam *quicquid tetigerat pollutus in anima*, funesto cadaveris contactu, ut exponit Hieronymus, *contaminabatur*, Hagg. II. 14. Itaque *profanum erat*, nec Deo offerri debuerat, *quicquid in luctu gustas-*

set aliquis, vel de quo aliquid dedisset mortuo, Deut. XXVI. 14. Quo loco annotat Augustinus quæst. 47. *prohiberi parentalia, quæ Gentes observare solent:* quæ ipsa Judæi quoque observabant ab antiquo, ut hic appareret, cibo ad sepulchra allato, ut & Tob. IV. 18. Sirac. XXX. 18. de quo ne longior sim alias. Monere volebat Legislator: cavenda esse opera mortua, animam polluentia, &c.

CAP. III.

Analecta Deorum.

DAmis, reprehendenti, quod minutissima quæque de Apollonio Thyanæo Historiæ suæ inseruisset, *quasi Catellos imitatus, qui micas, cœnantibus dominis, de mensa cadentes, colligunt*; *recte*, inquit, *dicis: Sed hoc Deorum convivium est, quorum famulis maxima cura est, ne qua vel minima Ambrosiæ particula delapsa pereat*, apud Philostratum l. 1. Vitæ Apollonii. Ita Xenophon censuit, καὶ τὰ πάρεργα δεῖν τῶν σπουδαίων ἀνδρῶν ἀναγράφειν, quod repetit Eunapius Sardian. de Sophist. Vit. in princip. Quanto æquius nos exemplo *Delphicarum columbarum*, quæ Sacrarum in Templo epularum libamenta solebant legere, ne quid de Sacris reliquiis interiret, ut refert Euripides in Jone, act. IV. aut *aurifabrorum pueros imitati, qui omnia vel minutissima auri ramenta studiose conquirunt*, monitu Chrysost. hom. XXXI. in cap. XVI. ad Rom. E Sacris Literis *colligimus -- nec pudet, dextra*

Analecta, quicquid & canes reliquerunt.

Nam *& catelli micas edunt cadentes de mensis Dominorum*, Matth. XV. 27. & Domini præceptum est: *Colligite fragmenta ne pereant*, Johan. VI. 12.

CAP. IV.

CAP. IV.

Alpha & Omega.

UT in ædificiis, sic in libris, illustre debet esse antipagmentum. Mos fert pie eruditorum, ut in literarum aut librorum fronte pingant Primam & Ultimam Græcorum Literam, interposita vel cruce, quod serius & sub Barbarie demum cœpisse videtur, vel Nominis Christi signo, quod denotat Græcorum litera *Chi*, cruciformis, cui perpendiculariter incumbit litera *Rho*: sic enim antiquissimis Christianis scribebatur, ΧΡΣ, Christus. Ortus mos ab istis, qui in Imperatorum vexillis, numis, galeis, qui in militum clypeis, in sepulchralibus saxis, in Templorum vestibulis, & alibi passim insculpta tali figura, fidem pietatemque suam in Christum Dominum profitebantur. *Hic enim Alpha est Omega*, Apoc. I. 8. 11. & XXI. 6. & XXII. 13. Primo quia verus & æternus DEUS. Hoc enim indicant illæ duæ Literæ, τὸ τοῦ θεοῦ ἀναεχόντε τὴ ἀτελεύτητον, Andreas Cæsarienſ. serm. 1. in Apocal. Deinde, quia principium & finis omnium.

Alpha & O cognominatus ipse fons & clausula
Omnium quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt.

Prudent. hymno IX. Cathemer. Ὄντων σπέρμα, πάντων κέντρον, Synesius hymno 1. *Omnia ille fecit*, en Alpha! *propter semetipsum*, en Omega! Proverb. XVI. 4. Adhæc quia omnis salvificæ cognitionis quasi Alphabetum est, primum & ultimum scibile, totius S. Scripturæ summa, medulla, meta, Johan. XVII. 3. *Omnia de Christo, per Christum cuncta loquuntur.* Quo facit quod Epiphanius observat: *apud Hebræos* Aleph *monere pueros ut discant*, à rad. Olaph didicit, *& apud Græcos* τὸ ἀλφᾶν *significare* ζητεῖν, de Mens. & Ponder. Quæ omnia Marcus & Colabarsus hæretici complexi sunt, ex Catholico-

rum doctorum interpretatione hujus nominis, ridicula hæresi introducta, quam, ut refert Irenæus, *ex Græcorum Alphabeto composuerunt. Negabant Christum in carnis substantia fuisse, corpusque ejus ex Græcorum literis construebant, ita ut caput ejus esse dicerent, A. & ω: Collum β. & φ: humeros cum manibus γ. & χ. &c. Hoc illi vocabant hominem, esse autem fontem omnis verbi, & initium universæ vocis, & omnis inenarrabilis enarrationem, & taciti silentii os:* denique *totam plenitudinem & perfectionem veritatis in istis literis contineri,* hæc Irenæus l. 1. cap. X. & Tertull. de Præscript. cap. L. Est autem Caput Christi DEUS, 1. Cor. XI. 3. Hinc puto factum, ut postea doctores Ecclesiæ hoc Domini nomen ad utramque ejus naturam retulerint. Itaque

Alpha itidem mihi Christus, & O: qui summa supremis
Finibus excelsi pariter complexus & imi,
Victor & inferna & pariter Cœlestia cœpit.

Paulini fragment. *Principium Christus, quia ipse inchoavit perficienda; Finis Christus, quia ipse perficit inchoata,* ait Fulgentius l. II. ad Thrasymund. Ἀπὸ τέτε ἀρχεται καὶ, καὶ τελευτᾶν εἰς τέτον, quod de Jove olim suo dixere Gentiles, ut Aristides hymno in Jovem.

Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιεῖ θεόν,

Gregor. Naz. in Monostich.

CAP. V.

Cum DEO!

QUod Apostolus nos monuit, ut *in Nomine* ? *ESU dicenda faciendaque ordiamur omnia,* Coloss. III. 17. id vel ipsa recta ratio justum æquumque esse non negaverit, postquam JESUM esse Verum DEUM persuasa fuerit. Ea magistra non modo Sapientes agnoverunt, a DEO inchoandum esse, si quid bene velimus curatum & effe-

& effectum; sed & nulla fere tam Barbara fuit natio, quæ hoc intimis a natura inscriptum medullis, frequenti usu non attestata fuerit. Charondæ Thurii lex fuit: *Consultantes agentesque aliquid, a DEO auspicari decet: Optimum enim, ut habet paræmia, DEUM esse auctorem omnium.* Xenophontis monitum est: πειρᾶσθαι σὺν θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου, *Conandum esse, ut cum Diis omnes omnia opera sua aggrediantur: Quod Dii auctores & Domini sint, tam eorum quæ pacis, quam quæ belli opera sunt.* De Romanis Plinius Junior in Panegyrico: *Bene ac sapienter majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere: quod nihil rite, nihilque providenter homines, sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* Livius lib. XXXIX. *Consules in rostra ascenderunt, & concione advocata, cum solemne carmen precationis, quod præfari priusquam populum alloquantur Magistratus solent, peregisset Consul, ita cœpit, &c.* Ita Plato ad Civitatis suæ constitutionem *DEUM invocat, quo propitius ac benevolus adsit* συνδιακοσμήσων τὴν τε πόλιν καὶ τοὺς νόμους. Ita Poetæ: Ex Διὸς ἀρχώμεθα, Aratus, & hunc sequuti, Virgilius;

A Jove Principium Musæ, Jovis omnia plena,

ac ante Cicero: *Ab Jove Musarum primordia.*

Ab Jove principium Magno deduxit Aratus
Carminis: at nobis Genitor tu maximus Auctor,

Germanicus in Phænom. ubi C. Cæsius Bassus, vetus Grammaticus, propositis similibus exemplis; *Omnes*, inquit, *invocant Jovem, omnium principem:* Festus Avienus multo verborum ambitu, non contentus bis & ter dixisse:

Carminis inceptor mihi Jupiter, auspice terras
Linquo Jove, excelsam reserat Dux Jupiter æthram,
Imus in astra Jovis monitu, Jovis omine Cœlum
Et Jovis imperio mortalibus æthera pando,

Hinc Livius lib. I. princ. *Cum bonis potius ominibus, votisque ac precationibus Deorum Dearumque, si ut Poetis, nobis quoque mos esset*, historicis puta, *libentius incipere-mus, ut orsis tanti operis successus prosperos darent.* Varro docuit confirmavitque, *nisi in loco per Augures constituto quod Templum appellaretur, Senatus Consultum factum esset, justum id non fuisse: immolareque hostiam prius auspicarique debere, qui Senatum habiturus esset; de rebusque divinis prius quam humanis ad Senatum referendum esse* apud Agell. l. XIV. cap. VII. Augustus postea *quo lecti probatique religiosius Senatoria munera fungerentur, sanxit, ut prius quam consideret quisque, thure ac mero supplicaret apud aram ejus DEI, in cujus Templo coiretur*, Sueton. cap. XXXV. *Athenienses omnibus semper publicis Consiliis Divinos quosdam Sacerdotes, quos Mantes vocant, adhibuerunt. Lacedæmonii Regibus suis augurem adsessorem dederunt; itemque Senibus, sic enim consilium publicum appellant, augurem interesse voluerunt* Cicero I. de Divinat. *In Africa nemo destinat aliquid nisi præfatus Africam: In ceteris vero Gentibus Deos ante obtestantur ut velint*, Plinius l. XXVIII. cap. II. Accedunt vulgata verba: *Cum DEO! Cum Bono DEO!* Alles mit GOTT! &c. Quod *si prisci Oratores ab Jove Opt. Max. bene orsi sunt; si excellentissimi Vates à Numine aliquo principia traxerunt*, Valer. Max. Proleg. l. I. Si Jurisconsultis placet Oraculum Justinianeum: *In Nomine Domini Nostri Jesu Christi ad omnia consilia actusque progredimur, &c.* Si, ut ait Gregor. Naz. in Apolog. *Optimus ordo est, totius vel verbi vel operis, ut a DEO nobis origo sumatur, & in DEUM consummatio referatur*: profecto parum pie, ne dicam impie, faciunt, qui ad dicendum in sacra concione progressi, Pacem & Gratiam a DEO Opt. Max. sibi suisque auditoribus precari negligunt, ac Tullium imitari malunt,

lunt, quam Paulum. Symmachi excusationem recipimus: *An si nobis scribenda sit forensis oratio, Jovem DEOSque ceteros Catonis more præfabimur, ne nobis vitio detur vel negligentia antiquitatis, vel inscientia? Atqui præstat Tullium sequi, qui ignorata majoribus usurpat exordia*, l. III. Epist. 44. Sed istorum nulla esse potest.

CAP. VI.

Diabolus in Serpente, ejusque religio.

OBservo 1. hinc ortum, ut ille a conditu rerum in serpente cultus fuerit passim per orbem terrarum. Dedicavit ipse sui imaginem, qua tam astute abusus fuit. Taceo Hebræorum *Nechustam*, & *Ophitas* tam veteres illos, quam & recentiores ex Gnosticis. Babyloniorum *Draco* in Apocryphis legitur, & in larvato illo Josepho Gorionide, de quo *Seldenus de Diis Syr.* Syntagmate II. cap. XVI. Ægyptiorum *Kneph*, Phænicum Ἀγαθοδαίμων, Pherecidæ *Ophioneus* noti sunt ex Eusebio l. I. de Præparat. Evang. cap. ult. & l. II. c. V. docet Idem *Bacchas* Orgia celebrantes *serpentibus coronatas*, clamare solitas: *Evan, Evan!* quæ vox cum aspiratione lecta Hebræorum lingua *serpentem fœminam* significet. Quod a Clemente Alexandr. ex Protreptico ejus mutuum accepit: qui & hoc annotavit: In Orgiis Bacchicis *serpentem* fuisse pro symbolo, quale illud quod habet Jul. Firmicus de Error. Prof. Relig. quod *pro magno*, ut ait, *miserorum hominum credulis auribus tradebatur*:

Ταῦρος Δράκοντος ὁ Ταῦρος Δράκων πατήρ.
Taurus Draconis, & Draco Tauri Pater.

Ita, ut Idem refert Firmicus, *Sobazium colentes Jovem, anguem, cum initiantur; per sinum ducunt: adhuc pri-*

mi erroris vitia grassantur, & quicquid hominem perdidit, colitur, & funesti anguis callida & malitiosa crudelitas adoratur. Quia ut alibi dixit Idem, *morituri Draconis hoc solatium est, ut exitium suum frequens perditorum turba comitetur.* Confer Arnobium, ex quo ista, lib. V. ubi refert & *Bacchantes anguibus se circumplicasse, & in Sabadiis, aureum colubrum consecratis in sinum dimissum, rursus ab inferioribus partibus exemtum.* Sic illi protestabantur Diabolum & suam esse coronam, & suum sponsum, ut idololatria non abs re *fornicatio* dicta sit. Nam & in historiis est, Deos illos stercoreos sæpe sub habitu & forma Draconum cum fœminis congressos; sic *Olympiadem* ex Jove Hammone Alexandrum; sic *Acciam* ex Apolline Augustum concepisse: sic fatum *Scipionem Africanum*, *Galerium Armentarium*, & alios, auctores sunt Plutarch. in Alex. Sueton in Augusto, Aurelius Victor in Galerio, A. Gellius l. VII. cap. I. &c. Mitto *Æsculapium*, cujus ἀγαθὸς *& minister serpens.* Mitto Heroas & Genios, *serpentum forma* conspectos. De Lithuanorum *Bois*, de Indorum *Ophiolatria* nihil addo. Longa nimis fabula est, & Pacuvii Teucro par. Denique ut Reges Ægyptiorum pro diademate *aspidum spiras* in capite gestabant, in argumentum suæ, quam affectabant, divinitatis; sic Diis ipsorum *Basiliscus aureus* coronabat capita, Templaque ipsa *Draconia* dicta sunt, quod Draconibus primo condita fuerint, ut Horus l. I. Hierogl. & in observat. cap. I. pluribus docet Caussinus. Unde Philo Biblius ex Sanchoniatone: *Draconum naturam atque serpentum ipse Taautus divinam putavit, & post ipsum etiam Phœnices atque Ægyptii: Spiritualissimum enim omninò animal est, & igneum.* Et Epies dixit: *Divinissimum animal serpens: &c.* apud Eusebium l. I. Præparat. cap. ult. cit. Quæ mihi potissima ratio videtur cur Diabolus tam sæpe serpens dicatur in sacris literis? de quo in symbolis.

CAP.

CAP. VII.

Tibiæ funebres, & Tubæ.

Licet ad tubicines mittas! Petronii pag. 177. Satyr. elegans verbum est. *Actum est, occidisti, periisti!* Notum enim vel ex Matth. cap. IX. 23. *tubicines & tibicines ad exequias conductos*, θρήνων ἐξάρχους: Non tamen ut quasi *scirpus sit sine nodo.* Nam 1. non caret scrupulo, *quibus funeribus tuba, quibus adhibita fuerit tibia?* Theophylactus Jairi filiam tibiis deploratam fuisse scribit, quod in more fuerit, ut innuptæ μετὰ τῶν γαμικῶν αὐλῶν tibiis nuptialibus deducerentur, quod Casaubono in notis ad Matth. inane videtur. Certe quantum ex Græcis Latinisque colligere est, multum differebat *Tibia nuptialis a funerali:* sive *materiam* spectes; nam nuptialis e buxo fuisse videtur, aut loto, quam φώτιγγα dixere; Exequialis ærea fuit, aut ferrea, qualis Tyrrhena: sive *formam*; nam læta illa *longa*; hæc mœsta *curva*, & cornu aduncum fuit: sive *sonum*; nam illa solebant τὰς ἡδίστας ἁρμονίας ἀναμινυρίζειν, ut apud Athenæum est; hujus gravis & infractus fuit cantus, modoque Phrygio conveniens &c. Huc illa:

—signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros solitum deducere manes.

Statius VI. Thebaid. Tibullus:

Obstrepit & Phrygio tibia curva sono:

At Ovidius de læta tibia:

Non illos cytharæ, non illos carmina vocum
Longaque multiferi delectat tibia buxi.

De sono elegans Apulei dictum est: *Sonus tibiæ Zygiæ, mutatur in querulum Lydii modulum* l. IV. Asini Aurei. vide quæ de tibiis congessit in Syntagm. Musico Tom. I. P. 2. Membr. post. cap. IV. & seqq. Michael Prætorius.

torius. Servius *majoris ætatis funera ad tubam; minoris ad tibiam prolata* putat, quod & Statius l. c. & Lactatius aut Lactantius Planciades ejus Scholiastes approbavere; refellunt Magius l. 1. Miscell. cap. XIII. & ex eo Scultetus in Matth. annot. cap. XXIX. Kirchmannus de funerib. l. II. cap. V. disputat: Tubas *funeribus tantum indictivis* adhibitas, ceteris tibias. Quod & ipsum non fuisse perpetuum, non difficile erit demonstrare. Certum, Tibiam communem; Tubam ut *bombosior* est, sic & fuisse *pomposiorem*. Unde Propertii ad Cynthiam suam de funere suo hæc extrema mandata. l. II. Eleg. 13.

Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba *sit fati vana querela mei:*
Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa thoro.

2. Quæri potest, quid de Majemonidæ sententia sit statuendum: *Tibiis idololatrarum vetitum est lugubre carmen canere*, sic ille de Idololatr. cap. IX. sect. 10. Vossius in Not. putat *nænias ad tibiam canere* omnino fuisse prohibitum Judæis. Hunc itaque morem, quamvis Lege Dei prohibitum, Judæos tamen a gentibus accepisse & usurpasse. Sed prohibitio non apparet. Nec tibias in luctu magis credo vetitas, quam in lætitia. Nam & *in conviviis* usitatas Scriptura indicat, ut Esa. V. 12. *& in nuptiis* Luc. VII. 32. Matth. XI. 17. & *in Sacris* Esa. XXX. 29. & *in publicis pompis ac solennitatibus* 1. Reg. I. 40. Judith. III. 10. &c. Usus certe *lugubrium tibiarum antiquissimus* est, quod ex Sacris constat. Jeremias cap. XLVIII. 36. *Sicinnistam* agit, & *næniam canit Moabitis*, funusque indicit. *Cor meum*, inquit, *super Moab, quasi tibia æris resonabit*, ut est in quibusdam Codd. b. Vulg. ὡς αὐλοὶ βομβήσουσιν *ut tibiæ bombos edent*, LXX. *ut tibia triste mussitans*, Pagninus. Chald. *resonabunt* ככנורא *kecinnora, ut cithara* Interp. Aria M. quod Isaias dixit cap. XVI.

XVI. 11. si tamen ea vox *citharam* significat; cum qua Græca κινύρα convenit, cujus quoque βόμβος θρηνώδης, ut & τὸ γίγγρα ἢ τὴς γιγγείας, *Phœniciæ tibiæ*, quali Adonidem solebant plangere, quem &, ut ex Damoclide refertur, *Gingren* appellabant Phœnices. Sic tibiam *Mugire* dixit Statius loc. cit. Aliter ergo interpretandus Majemonides de *Tibiis Idololatricis*, quibus in mysteriis, in sacris, in fanis uti mos fuit, quas *sacrificas* dixit Seneca. Quin & Deos iis salutare solebant, unde Arnobius l. VII. *Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Condormiscunt enim superi, remeare, ut ad vigilias debeant? quid dormitiones illæ, quibus bene ut valeant auspicabili salutatione mandatis? somni enim quiete solvuntur, occuparique ut hoc possint, lenes audiendæ sunt naniæ!* Ex quo loco conjecto, apud Romanos, quod & apud nos in plerisque fit urbibus, diem tibiarum cantu & auspicari & finire morem fuisse, ac pertinet forte eo ἀυλὸς ἀλέκτως *tibia gallus dicta*, qua dormientes excitabantur, ut Jon meminit Chius, *in Phœnice*. Denique adeo frequens tibiæ usus fuit apud Thyrrenos, ut & in sacris canerent ænea, & pugiles ejus sono committerent, sed & in nexos cum flagris animadverterent, tibiæ sonum adhibebant, quin & coqui ad eundem cibos apparabant; unde Proverbium; *cum peccavit coquus vapulat tibicen*, vide Scaliger. de arte Poët. l. 1. cap. XX. Stuk. de sacrif. p. 112. &c.

CAP. VIII.

Canem ferre quæ pœna?

INdignus *præfectura canum*, de homine viliſſimi commatis proverbiale dictum est S. Jobi. Sic enim ille cap. XXX. 1. *Nunc derident me juniores tempore: quod sane* quam acerbissimum est senibus: *Grave sane est senem,*

senem, qui multos antea commonefecit, a junioribus admoneri, Nicetas ibid. in catena. *Quorum Patres non dignabar ponere cum canibus gregis mei:* Indigni mihi visi erant qui canes meos villaticos curarent, aut agerent, interprete Chrysost. ibid. Sie wären mir nicht gut genug geweſt / zu Hunds-Buben. Sic Aber ad Isbosethum: *Nunquid caput canis ego?* Meinſtu Ich ſey dein Hundsjung? 2. Sam. III. 8. Solet enim Scriptura *canis* vocabulo uti pro re vili & odiosa. Hieron. ibid. in Tradit. ut & Lyra & Sanctius. Sic *canis mortuus* usurpatur, 1. Sam. XXIV. 15. & 2. Sam. IX. 8. & XVI. 9. In aliis linguis *Canis* nomen inter convitia est. Dicebantur eo *Diogenes propter Cynismum, Aristogiton propter audaciam, Hecuba propter dicacitatem & mordacitatem.* Sic κυνὸς ὄμματ' ἔχων *oculos habens caninos*, Homero impudens. *Non magis salutat quispiam quam canem.* Plaut. in Amphitr. Hinc mos Germanorum vetus, de quo Guntherus Lib. V. Ligur. v. 195. sic canit:

Quippe vetus mos est, ut si quis Rege remoto
Sanguine vel flamma, vel seditionis apertæ
Turbine, seu crebris regnum vexare rapinis
Audeat; ante gravem quam fuso sanguine pœnam
Excipiat, si Liber erit, *de more vetusto*
Impositum scapulis ad contigui comitatus
Cogatur per rura canem *confinia* ferre:
Sin alius; Sellam.

Rittershusius de more isto in notis ad Günther. p. 100. multa. Putat *Canem contumaciæ* & impudentiæ symbolum fuisse, *sellam vero ignaviæ.* Coleri conjecturam legentis, pro *sellam, felem*, repudiat. Pflugio autem fere assentitur, Liberos id est nobiles ideo compulsos ad ferendum canem, ut officii neglecti admonerentur, quod erat Regem observare & custodire. Eodem fere modo reos capitis Romæ *furcam* per urbem *tulisse*, antequam

quam patibulo suspenderentur, annotat. Imo & *canem*, ex Casina Plauti act. II. scen. 6. quod de ferreo tamen, de *catella*, Halßeisen explicant plerique, *vide Cujac. l. XI. observat. cap. 22.* Mihi quæ sententia dicta jam est, animo sedit. Nobiles antequam capitali supplicio afficerentur, *exauctorabantur* prius, ut & armigeri ac servi eorum. Illis *canis* dabatur gestandus publice; his *sella*; quænam? non dubium, quin *familiarica* dicta. Ein Gemachstul/ *de qua Cujac. l. X. cap. 18.* Nempe *splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id arbitror solum, ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne a majorum virtute degenerent:* Boëthius lib. III. Prof. 6.

CAP. IX.

An apud Hebræos mos fuerit exponendi recens natos liberos?

BArbara & plusquam Scythica quarumdam Gentium feritas fuit, ut infantulos modo editos *vel ad amnes vel in alta nemora pabulum feris avidis, avibusque*, ut ait Seneca Trag. in Oedipo, *exponerent*, tædio educationis. Quæ cum passim moribus esset recepta, legibus aut prohibenda, aut mitiganda visa fuit. Sic *apud Indos, qui Sophitis Regnum incolunt, mos fuit, ut genitos liberos non parentum arbitrio tollerent, id est, educarent, sed eorum, quibus spectandi infantum habitum cura erat demandata. Si quos segnes, aut aliqua membrorum parte inutiles notassent, necari jubebant*, Curtius l. IX. post princ. Sic *apud Lacones* quoque liberos educare non fuit in parentum potestate, ut in Lycurgo suo refert Plutarch. Recens nati *in Leschen* deferebantur explorandi a tribulibus, qui ætate erant provectissimi, degeneres visi

visi *in Apothetas*, locus erat juxta Taygetum præcipitiis circumcisus, ab ista consuetudine exponendi dictus, *abjiciebantur*. Athenienſibus ſacer erat tali δοκιμασίᾳ dies a partu quintus, quo ἀμφιδρόμια celebrabant, infantulos curſim circa focum ferentes. Nec moleſte ferre fas erat, ſi vel primogeniti reprobati e medio tollerentur, Plato in Thæteto, Suidas in Amphidromia. Nam quod nothos exponerent meretrices *in Cynoſarges*, ubi *Herculis Nothi & nothorum præſidis templum*, Gymnaſiumque in quo ejusmodi juvenes vulgo nati exercebantur, Lucusque erat circumjectus, de quo Livius l. XXXI. ad hunc locum non pertinet, notumque eſt ex Tzezæ Chiliad. XIII. cap. 489. Reprehendit impium morem Epicurus: *ſed neque ovis*, inquit, *relinquit ſuam ſobolem, neque lupus, & homo relinquat?* Male quod inde colligere volebat: ſapienti non eſſe generandos liberos, vide Arrian. l. 1. Epictet. cap. 23. At *apud Thebanos* lex erat ὁ θῶς ἅμα ἢ φιλανθρώπως lata, qua capitale fuit, ſi quis infantem expoſuiſſet. Qui propter inopiam educare ſuos non poterant, ſtatim a partu adhuc rubentes cum faſciis ad Magiſtratum deferebant, a quo interveniente pacto vendebantur τῷ τιμὴν ἐλαχίστην δόντι. Pretium educationis *ſervitus* erat educati, ut refert *Ælian. l. II. var. c. 7.* de Romanis ne quid addam facit *Dempſterus*, qui *in Paralipom. ſuis ad Roſini Antiq. Rom. cap. 1.* multa de impio hoc more congeſſit: expoſitos infantes ad mare, fluvios, cloacas publicas & in deſerta, in vaſe fictili, papyraceo, fiſcella: addita in præmium vel educationis, vel ſepulturæ, quod homines, pii ſcilicet, nefas eſſe ducerent, liberos paternorum bonorum eſſe omnium expertes, aurum, argentum, monilia, crepundia, & quædam generis ac ſtirpis γνωρίσματα, &c. Vetuſtiſſimum hunc morem ſcribit, & *adeo in uſu populo Hebræo.* Quærebam mecum; *an id vere?* Nam quod pro argumento affert,

Moyſen

Moysen expositum, id non ex recepta consuetudine, sed ex crudeli quadam misericordia factum constat. Quem celare parentes diutius nequibant, maluerunt expositum fatis & undis permittere, quam in sinu suo interfici videre. Etsi non negaverim, *apud Ægyptios* morem istiusmodi fuisse. Quæ mihi perfunctorie hoc agenti in mentem venerint, annoto. *Primo* apud Hebræos *jus patriæ potestatis vitæ necisque arbitrium* complexum fuisse, colligo inter alia ex Prov. XIX. 18. *Erudi filium tuum, ne desperet: ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam:* Laß deine Seel nicht beweget werden ihn zu tödten / D. Lutherus. Deterret Salomo a nimia sævitia, ut vers. seq. insinuat: *Ira nimia fert damnum, &c.* sic *apud Persas* Liberi tractabantur ut servi, quod tyrannicum esse ait Aristoteles l. VIII. Ethic. cap. 10. Nec aliter *apud Romanos*, ut docet Grotius de jure Belli & Pac. l. II. cap. V. num. VII. De eorum patria potestate *Dionysius Halicarnass. l. II. Antiq. Rom. cap. IV.* fuse. *Romanorum Legislator*, inquit, *omnem potestatem in filium patri concessit, idque toto vitæ tempore: sive eum in carcerem conjicere, sive flagris cædere, sive vinctum ad rusticum opus detinere, sive occidere vellet: licet filius jam Remp. administraret & inter summos magistratus censeretur &c.* Sic *Japones* & similes barbari hodieque quos alere non possunt, fas habent occidere: rati melius esse emori suos, quam cum pauperie conflictari, sic Corn. à Lap. in Proverb. l. cit. *Deinde* non semel alluditur ad istum morem exponendi liberos. Altera Hoseæ soboles ex Gomera nata vocatur, *Lo Ruchama*, οὐκ ἠλεημένη, *sine misericordia* Vulg. minaturque Deus, se impiam suam prolem Israëliticam omnino abjecturum, nec ulla posthac dignaturum miseratione, cap. I. 6. 7. Davidis ista sunt: *Pater meus & mater mea* עזבוני *hazabhuni dereliquerunt me*, velut expositum & abjectum: At Jehova יאספני *jaasopheni*,

pheni, suscipiet, tollet, educabit me, Psalm. XXVII. 10. Ubi Drusius notat: *Hebræorum Jurisconsultis Asaphos dici liberos expositivos, si quis eos tollat & alat* q. d. τροφίμους, Alumnos, Altellos, *l. 1. quæst. Ebr. 78. & D. Quistorp. in Annot. Bibl.* Pulcherrimus ad istam rem locus est *Ezechiel. cap. XVI. 1. & seqq.* de quo quia nunc non vacat, alias. Ex quibus certum mihi, morem istum Hebræis notum & visitatum; an & *usitatum* dicam? Sane non licitum constat fuisse; si quis suos exposuit, barbaros mores, non præscriptum legis secutus est.

CAP. X.

Mures in deliciis; ubi adorati? Lustratio, alia ad dictum Esa. LXVI. 17.

MInatur Deus, se justis prosequuturum pœnis eos, *qui in hortis post januam intrinsecus* [εἰς τὰς κήπους ἐν τοῖς πρόθυρους LXX. alter post alterum in medio, Symmach. & Theodot. in hortis idolorum, turba post turbam, Chald.] *sanctificabantur & mundos se putabant, comedentes interim carnem suillam, & abominationem* Hasschekez, τὰ βδελύγματα, *& murem:* Character fœdæ hypocriseos cum δεισιδαιμονία conjunctæ. Specta mihi 1. *superstitiosas lustrationes:* Præceperat per Mosen Deus, *ut si quis præventus fuisset in peccato, vaccæ rufæ adspersus cinere, & aliis expiationis modis, per sacrificia & victimas, rediret ad templum, quod illi neglexere.* Hieron. in Esa. h. l. Quid ergo? *Sanctificabantur*, lustrabantur, ritu profanarum gentium, Pharisaica superstitione jam tum radices agente: *Sanctimoniam esse in corporis ablutionibus*, unde Judæi in iis tam frequentes, teste S. Marco cap. VII. Ita Vatablus. ut & Turcæ hodieque, & pas-

& passim barbari. Ubi? *in hortis*, in lucis putat *Cyrill.* sub arboribus umbrosis, ubi Dæmonum aræ & delubra: *Hieronymus*; in locis deliciarum & voluptatum, in hortis amœnissimis, vel baptisteria extruebant, vel piscinas, ad areolas irrigandas, adulteria & omnem libidinum turpitudinem simplicibus aquis abluere se putantes: quibus rectissime illud aptabitur, *& noctem in flumine purgant:* Sic ille ex Persi Sat. 2. ubi Casaubon. *E lecto surgentibus varia purificatione opus. Primum ipsa nox polluere credebatur, ut notat Servius. Deinde appellatione noctis Venus intelligitur. Contracta pollutio vel adspersione aquæ, vel numero dierum tollebatur, ut est apud M. Tullium &c.* At *quomodo?* Sanctificabantur, inquit Propheta. *Hieronymus* de aqua lustrali, aut ea lustratione intellexit, quæ liquido hoc fiebat elemento, *Cyrillus* in Esai. h. l. vel, inquit, purgabantur aquis, vel *faces igneas* tanquam in orbem circumferentes, animas suas vitiorum inquinamentis fœdatas absterserunt. Nam *aut tæda* purgabantur [*-ter circum lustrati sulphure puro* Tibull.] *aut aqua* abluebantur [*- ter socios pura circumtulit unda &c.*] aut *aëre* ventilabantur, quod erat in Sacris Liberi, Servius ad VI. Æneid. *De his vide Durant. Casell. l. II. var. cap. 1. & 2.* Quo id *ordine? unus*, inquit, *post alterum, ut in Mysteriis fieri oportebat* [nec alia in sacrificiis, in exequiis expiationis ratio fuit.] *Stabat ad fores templi aquiminale, in quo titione ardente ex ara sumto demerso ingredientes adspergebantur*, Casaubon. ad Theophrasti Charact. de superstitione. *Funus prosecuti redeuntes ignem supergrediebantur, aqua adspersi: quod purgationis genus vocabant suffitionem*, Festus in aqua, de quo ritu *Kirchmann. de Funer. l. III. cap. IX.* Sic Græci, quod ibid. est, sic hodieque Guineæ auriferæ incolæ Æthiopes Africani, *apud Levin. Hulsium* in der *VII.* Schiffart *cap. 43.* qui cap. 20. jam exposuerat, qua se lustratione in

sacris solerent expiare, e fictili vase aquæ pleno, in qua lacerta jacebat, se adspergentes. Fœdior multo purgandi ratio *apud Circassos* in usu fuit, referente *Gaguino in descr. Tartar.* Sacrificus concionaturus lac, sanguinem, fimum & terram commiscens, in arborem secum defert, ea pro suggesto est. His finito sacro populi concionem adspergit, ea in terram provoluta Deorum hoc tam præclarum munus venerabunda excipit. Si quis cum ratione putat insaniisse, credat ista cerimonia admonitos suæ fuisse fragilitatis, quasi illud sibi alter in alterius aurem insusurraret:

Cum fex, cum fimus, cum res turpissima simus,
Unde superbimus? in terram terra redimus.

Habes Judæorum ethnicam superstitionem. Nam & apud prudentiores Ethnicorum *superstitionis nota* adspergebantur, qui *aqua lustrali expiati, laurum tota die præmordebant, tanquam* ἀλεξίκακον φάρμακον: *qui domos suas crebro purificarent, sepulchrum nunquam insisterent, ad nulla defunctorum justa accederent, & ad nullam puerperam, &c.* Theophrastus l. cit.

Venio 2. *ad lustratorum pollutiones:* Nam qui ita expiati mundiores sibi videbantur ipsis solis radiis, interim nulla non in stomachum suum inferciebant lege Dei prohibita βδελύγματα; adeo ut ne quidem muribus abstinerent. *Murem*, inquit, *comederunt*, nempe *quem nos glirem vocamus, vel juxta Orientis provincias* μύοξους, Hieron. In deliciis fuisse, & instituta ideo γλιροτροφεῖα, cœnis denique ademtos censoria lege M. Scauri ex Pollvce, Plinio, aliisque docent *Bruyerinus de Re Cibar. l. XIII. cap. 33. & 34. & Stukius Ant. Conviv. l. II. cap. 9.* Magorum quidam murem bis in mense jubebant mandi, doloresque ita caveri, *Plin. l. XXX. cap. 3.* Plutarchus meminit, hepaticum quoddam fuisse πάθος, cujus signum erat mures accurate indagare & consectari *l. VIII. Sympos.*

poſ. quæſt. 9. Weinrichius *de monſtris cap. XV.* Puellam Sileſiacam hauſto felis ſanguine contra epilepſiam, ab impoſtore propinato, in delirium incidiſſe, & ex intervallo felem voce, geſtibusque imitatam, mures in ſilentio venatam fuiſſe, *vide Raineſii l. 1. var. Lect. cap. 10.* Vidimus nos puellam, ait *Marcellus Donatus*, ita lacertorum deſiderio detentam, ut quoties liceret, arrepta fronde oblonga, per hortum currendo venaretur, innoxieque devoraret, *l. IV. Hiſtor. Medic. Mirab. cap. 1.* Cyrillo tamen alia mens fuit: *Adorabant*, inquit, *abominationes & murem.* Eo enim ſtultitiæ lapſi erant ſuperſtitioſi aliquot, ut etiam *murium ſtatuas* ac figuras haberent. Sic *Apollo Smintheus* a muribus dictus, quos Cretenſes *Sminthas* vocarunt, pedibus murem premens fingebatur, *auctore Heraclide Pontico apud Strabonem l. XIII.* Bœotii Apollinem *Parnopium* colebant, a muribus quoque vocatum, &c. refert *Julianus Aurelius l. 1. de Cognomin. Deor.* Apud Ægyptios Aſſyriorum Rex Sennacheribus, quod ejus exercitum mures, corroſis nocte una arcubus & ſcutorum habenis, armis exuiſſent, ut multis amiſſis fugere coactus fuerit, in templo Vulcani ſtabat lapideus, murem manu tenens, atque hæc per literas dicens: *In me intuens pius eſto!* Herodotus in Euterpe. Credibile miraculum divinæ opis Hieroſolymitanis exhibitum, *de quo 2. Reg. XIX. 35.* Diabolum hac fabella & ſtatua ad ſe voluiſſe transferre. Facit ad rem, quod *Theophraſtus de Animant.* repente viſis, tradidit: mures ferrum quoque & aurum arrodere creditos, eque iis diſſectis aurifabros aliquando aurum ſuſtuliſſe: In Ægypto autem bipedes & magnos naſci, anterioribus pedibus pro manibus uti, fugientes ſaltu evadere, *apud Photium in Excerpt. Cod. CCLXXIIX.* Sed Cyrillus *Philiſtinorum aureos mures* videtur in oculis habuiſſe, de quibus 1. Sam. VI. 5. quos *Muſoritas* quosdam *idololatras*

coluisse, apud Philastrium legere est. Denique ut aliquid ex h. l. ad mores faciens delibemus, comparat cum his hypocritis Judæis Hieronymus: *omnes voluptatis magis amatores quam Dei*, in Comm. h. l. cit. Sic *generatio est, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota a sordibus suis*, Prov. XXX. 12. Qui in vana mundi hujus potentia summum ponunt Bonum, numquid q. *musculos adorant?* scite & ad rem Boëthius: *quæ vero est ista vestra expetibilis ac præclara potentia? Nonne ô terrena animalia consideratis, quibus præsidere videamini? Nam si inter mures videres unum aliquem jus sibi ac potestatem præ ceteris vendicantem, quanto movereris cachinno? &c.* l. II. prosa VI. Sed ne & mihi *mus pariat Elephantem*, desino.

CAP. XI.

Sternutantibus bene precari mera superstitio est.

PRobo *de plano*, originis falsæ *destructione*, veræ *adstructione*. Falsa hæc adfertur: Anno Dom. DXC. pestem Romæ & per Italiam sæviisse: ad ceteros autem casus quibus homines fœde passim absumebantur, hoc etiam mali accessisse, quod multi cum sternutarent, alii cum oscitarent repente spiritum emittebant. Quod cum sæpius eveniret, consuetudinem inductam, quæ etiam nunc observatur, ut sternutantibus salutem precando, oscitantibus signum crucis ori admovendo, præsidium quærerent, *ita Sigonius de Regno Ital. l. 1.* sub Rege Agilulpho Rituale Romanum secutus, oblitus sui. Nam quis credat, eum morem hunc, *ex medio paganismo* petitum, Christianorumque imitatione propagatum usque ad nostra tempora, ignorare potuisse. Græcos jam olim sternutantibus bene precando acclamasse, ζεῦ σῶζον, quod

quod ipsissimum nostrum vernaculum est: GOtt helff! testis est vetus Epigrammatarius Ammonius l. II. Epigram. & annotat. ad Apulei IX. *P. Colvius, p. 126.* ubi festivus fabulator ait: *ut primum maritus acceperat sonum sternutationis, quod eum putaret ab uxore profectum, salutem ei fuerat imprecatus, & iterato rursum, & frequentato sapius.* Plinius Tiberium etiam in vehiculo exegisse ejusmodi salutationem tradit, *& aliqui*, inquit, *nomine quoque consalutare religiosius putant*, l. XXVIII. cap. 2. Eumolpus Petroni *Gytona salvere jubet* ad istum modum, *Satyr. p. 115.* ubi Georg. Erhard. in symb. observat, Hebræos quoque salutem aut medicinam, id est ipsorum verbis אסותא *Asutha* & רפואה *Rephua* sternutantibus precari, ac fabulari, ab initio mundi fuisse morbum *Askera* strangulatorium, qui per sternutamenta spiritum ipsum expulerit, ex Eliæ Levitæ Lex. Ex quibus satis patet, morem hunc & vetustissimum, & per omnes fere populos fuisse pervulgatum. Origo tamen a superstitione, qua sternutamenta vel læti vel adversi quid semper præsagire credebantur. *Argutum omen* dicuntur Propertio l. II. Eleg. 3. Quærit Aristoteles, *cur sternutatio sacra sit habita, non aut ructus, aut ventris obscœnus ille sonitus?* Respondet 1. Quia caput corporis pars sit θειοτάτη. 2. Quia sit ista σημεῖον ὑγιείας, *hinc adoratione & euphemia excipi, vide Probl. Sect. XXXIII. quæst. 9.* Quæ si ita recte habent, digitum merito attollimus Tartaris, qui *crepitus ventris* eadem veneratione prosequuntur. *Nec Serapidem suum Ægyptii magis extremiscunt*, ut docet Minutius Felix. Sed de his nunc quidem satis. Omina & auguria observare, quam sit a Christiano nomine alienum ex *Deuter. cap. XVIII. 10.* constare debebat: Nec Cicero *sternutamenta* majoris facit, quam *pedis offensionem, aut abruptionem corrigiæ*, vanissimas aniculorum observatiunculas, *2. de Divin.* Plura Muretus

habet *in Catull. de Acme & Septimio*, *& Tiraquell. in Alex. ab Alex. l. II. cap. 26.* Ammonii Epigramma obiter verto:

Non potis est manibus nares emungere Proclus,
Cum naso longe sit breviore manu:
Non clamat, JOVIS ô SERVA! cum sternuit: auris
Tam longe a naso est, percipere ut nequeat.

CAP. XII.

Pharisæorum de jurejurando traditiones.

SIc est; locus ille Matth. V. 34. *Audistis quod dictum fuit antiquis; non pejerabis &c. At ego dico vobis; ne juretis omnino, neque per cœlum, &c.* Interpretum disputationibus valde perturbatus est, ut queritur D. Chemnit. Harmon. cap. LI. Sententiæ ad duo summa redeunt capita. 1. *Proponi novum secundi Præcepti additamentum*, ac prohiberi a Domino, Legislatore novo, vel omne in universum juramentum, vel certe non necessarium. Ac omne putant aliqui prohiberi vel *omnibus*, vel *solis perfectis*, qui hoc ad Consilia Evangelica referunt. Victor Uticens. l. III. Persecut. Vandal. refert; *Episcopos jurare noluisse, Evangelica auctoritate prohibitum dicentes: Ne juretis in toto:* Sic Origen. Tract. 35. *in Matth.* ut & Hieron. Hilar. Theophylact. *in h. l.* Athanasius *serm. de Pass. & Cruce Dom.* Paulinus *ad Celantiam*, Salvianus l. III. *de Gubern.* Oecumen. *in cap. V. Jacobi* &c. Sic *Essæis jurare visum est esse illicitum*, Joseph. l. II. *de Bello* c. 6. *Scythæ eam religionem ut Græcam cautionem abdicabant*, Curtius l. VII. *Romæ vetitum fuit Flamini Diali*, Plutarch. *in Quæst. Rom.* R. Jona *apud Lud. Capell. in Spicileg. Nov. Test.* super h. l. ait: *Non jurabit omnino, ne quidem per agnomina Dei, qualia sunt*

El,

El, Schaddai: *neque per attributa ejus, ut sunt* Channun & Rachum: *neque per opera ejus, ut sunt* cœlum & Angeli ejus *glorioſi: Sic etiam non jurabit per legem, neque per Veritatem, quia Deus vocatur veritas &c.* ubi vulgata formula: Bey der Warheit/ de qua Carolus M. l. 1. *capitulor. Sunt qui per Charitatem & Veritatem jurant, & cavent ſe a juramento Nominis Dei, ac neſciunt, quia idem eſt Deus quod eſt Charitas & Veritas.* Hanc ſententiam multis refutare non eſt operæ pretium, quod dudum ab iis præſtitum, qui contra Anabaptiſtas ſtylum ſtrinxerunt, nec poſt Roſcios in ſcenam prodeundum. Ergo *juramenta non neceſſaria* vetita ſtatuit Maldonatus, ut & olim Simon de Caſſia l. VIII. cap. XVII. &c. in qua ſententia verum eſt, ea prohiberi; falſum, quod hoc Domini ad legem veterem *novum* eſſe additamentum dicunt. Nam vana dejuria etiam in veteri lege prohibita fuiſſe, Exod. XX. 7. Deut. V. & XI. & aliunde patet, multisque contra Maldonatum & alios oſtendit Spanhemius *dub. Evang. CXXIII. parte 3.* Notandumque quod Hieron. de La Nuza *de Dilect. Inimic. Tract. Evang. IV. p. 1. numer. 1.* Maldonatum ſuæ ſectæ hominem non obſcure *immodeſtiæ* arguat, quod *commentum hæreticorum* appellare non erubuerit, quæ graviſſimorum Patrum opinio fuit; nempe; *in hac Domini concione Matth. cap. V. non nova legi præcepta eſſe addita, ſed vetera a Phariſæorum corruptelis vindicata.* Eſtque hæc certiſſima Theologorum regula: *Novam legem, nulla nova poſitiva præcepta continere, præter Sacramentalia & fidei*, ut docet Paës *in cap. V. S. Jacobi v. 12.* vide ex noſtris *D. D.* Gerhard. *de Evangelio cap. XXIV. num. 74.* Supereſt II. *exponi verum Domini interpretamentum contra Phariſæorum adulterinas gloſſas.* Ubi hoc in dubio eſt: *Quænam de Juramentis Phariſæorum fuerint traditiones?* Reſp. hæ. 1. Sola in Lege prohibita eſſe perjuria. 2. ad

ea devitanda tutissimum esse, non jurare per Dei nomen, sed per creaturas. 3. Et in tali jurejurando non omnibus formulis eandem obligandi vim inesse. Itaque sæpe fallebant incautos. Hinc Martialis *l. XI. Epigramm. XCV.*

Ecce negas, jurasque mihi per Templa Tonantis;
Non credo; jura, Verpe, per Anchialum.

ubi ridiculus homo, ut Athenienses ex ἀναστάσει a S. Paulo prædicata, *Deam Anastasiam*, Actor. XVII. 18. Sic ille ex formula sanctissimi juramenti: *Im Chai Eloah*, Si vivit Dominus, Jerem. V. 2. novum *Deum Anchialum* excudit. Quæ ut explanentur, videndum; quomodo Pharisæi per creaturas jurare soliti fuerint? Ac id quidem I. manifestum, non esse jusjurandum, *creaturarum contestationem*, in qua ut de juramento Demosthenico, *per interfectos in Marathone & Salamine*, Critici Rhetores judicarunt, sermo non est rectus, sed coloratus per methodum λαμπρότητος, atque ideo non ὅρκος juramentum, sed χῆμα figura, Apostrophe, Ethopœia, Prosopopœia, &c. *Sic ex Hermogene* Andr. Schottus *in Senec. Suasor. XI. 2.* Juratur ergo per creaturas, ut D. Chemnitius docuit, l. c. vel *invocando*, vel *oppignorando*. Invocatio fit vel *irrisione*, vel *superstitione*. Irrisio fuit, quando Socrates, Zeno, Diogenes *per anserem, canem, platanum, capparim* jurabant, vide Luciani *Icaro Menipp.* ut aliqui Monachi *per botas suas, aut per animam canis*, Gerson *in Reg. Moral.* Bochellus *l. VIII. Decret. Gallic. Eccl. Tit. 13. cap. 23. &c. 3. Superstitionis* duo sunt fontes. *Prior*; quod aliquid creaturis insit divinitatis, ut per eas licite juretur. *Posterior*; quod in tali juramento minor insit irreligiositas, sive in perjurio, sive in vano dejurio. *Ex priori* fonte fluxit, quod Ægyptii jurati sint *per Osyridem in nubibus*, apud Diod. Sicul. ut Massagetæ *per Solem*, Herodot. 1. *per Solem istum videntem Deum*, Apu-

Apulejus 1. Metamorph. Sic Pharao apud Alcimum Avit. l. V. v. 51. *Ditem Pharon, & Nilum, & - Divæ vocis Anubim* testatur. Scythæ jurabant *per ventum, acinacem & Zamolxin:* Libyes *per Atlantem*, Maxim. Tyr. *Dissert.* XXXIIX. De Chaldæis ait Sidonius Apollin. *in Panegyr. Anthem. - juratur ab illis Ignis & unda Deus, &c.* Nec aliunde fuit mos Græcorum jurandi, *per sepulchra & Manes eorum, qui pro Patria occubuerant, ad Thermopylas & Marathone*, Cyrill. *X. adv. Julian.* ac Romanorum; *per Genium & salutem Augusti* Lips. *ad l. 1. Annal. Tacit.* num. 195. ut & *per vitam Regis aut filiorum ejus*, quod vetuit Carolus M. l. II. *Capitulor. per Genium Dominorum*, Seneca *Epist. XII. per Parentum cineres*, alter Seneca, Pater, *Controv.* 1. &c. Ex *posteriori* fonte manavit Lex Rhadamanti, apud Eustathium, *ne in omni juramento Dei nomen adhiberetur, jurandum per anserem, canem & arietem.* Antiquissimum juramentum fuit *per Stygem*, θεῶν νόμιμος ὅρκος, *jusjurandum Deorum*, ut ait Lucian. quorum Jupiter jurat *per Torrentes Stygis, ripas & atram voraginem*, Minut. Felix *in Octavio.* Cur hoc? quia vere creditum, *Deum* δυμεῖν *odisse, quotquot nomen ipsius vane usurpent*, Cœlius Rhodigin. l. XXVII. cap. 5. 4. Sed ut & *de oppignoratione* aliquid dicam, mos erat res sibi chariissimas jurantibus devovere:

Per caput hoc juro, per quod Pater ante solebat.

Nam ut superstitio erat jurare *per caput Jovis*, ut apud Ægyptios, teste Aben Esra *apud Drusium in Præt. N. Test. ad h. l.* quomodo *Hyllus* jurat in Trachin, Sophocl. Sic *detestando & iræ Deorum consecrando jurabant per caput suum aut liberorum*, Plin. l. II. *Epist.* & in *Panegyr.* &c. *Phryx* apud Euripid. *per animam suam*, in Orest. v. 1516. Quo & illæ pertinent formulæ: *Ita Patri placeam*, Seneca *Controv. X. Ita me Dii Dominis probabilem præstent,*

fient, Symmach. ad Auſon. *Ita Sacra Philoſophia fruar & liberis meis*, Syneſius *Epiſt. 44.* &c. Ergo ut ad Phariſæos tandem redeam, ſuperſtitio fuit eorum mos jurandi per creaturas. Nam 1. aliquid divinitatis his attribuebant, ac licitum adeo putabant per eas jurare: quæ fuit *ſuperſtitio contumaciæ veteris*, Hilarius h. l. *ſæpe Prophetali ſermone reprehenſa, & Legi ſimpliciter contraria*, Hieron. ibid. Quod & contra Maldonatum reliquosque Pontificios notandum. 2. Religioſius putabant abſtinere nomine Divino, ac ſic facilius caveri tum profanum ejus abuſum, cum & perjurum contemtum. Sic Philo *de Legibus Specialib.* Si neceſſitas, inquit, poſtulet religionem jurisjurandi, *magis decet jurare per Matris aut Patris ſanitatem & ſenectutem proſperam, ſi vivunt; aut ſi defuncti ſunt, per eorum beatam memoriam: Sunt enim effigies & ſimulachra Divini Numinis, qui liberos ad vitam de nihilo produxerunt &c.* Confirmat teſtimonio *Priſci* cujusdam *Sapientis Legislatoris: jurato per religionem Patris tui!* Adhæc laudat illorum morem, qui ad jurandum provocati dicerent: *Ita me adjuvet*, nihil addentes, nec formulam abſolventes; Poterant enim ſupplere, non addendo ſtatim: *Altiſſimus*, aut *ſummus rerum conditor*; *ſed Tellus, Sol, Cœlum, Mundus, quæ præcipuæ creaturæ Dei, genere noſtro antiquiores, & omnis ſenii expertes ſunt.* Habes ipſiſſimas Phariſæorum δευτερώσεις, nec puto pluribus in eo laborandum eſſe. Hinc Elxai inſtitutum; *jurare per omnia elementa, per mare, aquas, ventos, cœlum & terram*, apud Epiphan. & Mahometi; *per Solem, Lunam, aſtra &c.* apud Euthym. *in Elencho Iſmaelit.*

CAP.

CAP. XIII.

In via ne quem salutes; Proverbium: unde superstitiosus mos nostrorum.

CUm Elisæus Giezi famulum suum ad exsuscitandum Sunemitidis filium defunctum, cum baculo suo amandasset, *vade*, inquit, *si occurrerit tibi homo non salutes eum; & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi!* 2. Reg. IV. 29. Idem Domini ad discipulos præceptum fuit: *Neminem per viam salutaveritis*, Luc. X. 4. Mira & absurda primore adspectu mandata. At humanitatis & affabilitatis lex aliud omnino exigit, meritoque etiam pueris instillatur illud pervulgatum: *Saluta libenter.* Recte igitur monuit Origenes: *Si quis non discutiens, quid volens Jesus hoc loco præcepit, quasi zelans vitam Apostolorum, neminem in via salutaverit, is quasi inhumanus & stultus videbitur omnibus: & sic decebit odire omnes verba Christi, quasi agrestes & inhumanos docentia homines esse*, in Matth. Tract. VII. Quid ergo? Hyperbolen intelligunt Interpp. in his verbis, qua significetur in divinis obeundis. 1. *prompta celeritas*; *Non*, inquit, Ambrosius, *salutationis officium ac sedulitas aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur, ut quando divina mandantur, paullisper sequestrentur humana*, in Luc. l. cit. Quo facit Syra versio: *De pace cujusdam in via ne rogaveritis.* Nempe juxta usitatas formulas: *Satin' salvæ? Num pax patri vestro seni?* Gen. XLIII. 27. &c. quæ non tam salutantium bona verba, quam longiorum confabulationum procœmia sunt: 2. *Sacra taciturnitas* & necessaria ἐχεμυθία, ne profano sermone interim vel devotionis ardor deferveſcat, vel aliquid obrepat, quod obsequium omne intervertat. Sic

de

de Elisæo Theodoretus q. XVII. *Sciebat eum esse honoris cupidum, & causam dicturum: inanem autem gloriam fore impedimentum, ne miraculum perpetret.* Connexa hæc duo sunt, ut in divino obsequio tota mente defixi, alia interim omnia ex animo relegemus, unis sacris & præceptis implendis intenti, eaque quam citissime expediamus. Saluberrimum monitum, sed κακοζηλίᾳ pagana in superstitiosam observationem evasit. Hinc illa præconis vox: *Hoc age!* & altera: *Favete linguis!* Quæ Græcis: εὐφημίαν ἀνειπεῖν ἢ σιγήν. - *Hinc fida silentia sacris!* Virg. *Quando hostia cædebatur fari nefas erat,* Macrob. &c. Quin & obvelato capite pleraque fiebant sacra, ne qua minus fausta facies omina turbaret, qua de re alias. Hinc & *Lustrationes*, vulgato Interprete, *Judæi obibant post januam in hortis intrinsecus*, Esa. LXVI. 17. *ne quis secretis religionibus imprudens interveniret*, & earum impediens effectum, & se inexplicabili scelere implicans. *Neque enim impune quispiam, quod non licuit, adspexit.* Petron. *Satyr.* pag. 62. ubi vide. Hinc auspicia facturi post mediam noctem *silentio surgebant e lectulo suo, inque solido sedentes, summa cum cautela, omnem non modo vocem, sed & strepitum evitabant, ne vitium facerent auspicio.* Festus *in silere*, & Josephus Scalig. ibid. Unde evenit, ut *silentium* in auspiciis diceretur, quod omni careret vitio, solebantque auspicantes interrogare augurem: *Dicito, si silentium esse videatur, is neque suspicit, neque circumspicit; statim respondet: Silentium esse videri.* Cicero II. *de Divinat:* Hinc jam anilis illa superstitio, qua eleemosynæ dari, amuleta collo vel appendi, vel detracta in profluentem abjici, qua certa quæri remedia, certæ legi herbæ jubentur his quidem ritibus, ut solis antevertatur ortus, caveaturque omnis interpellatio, Sollen es unbeschrien thun. Nec dubito, quin ab Hebræis ista per Pythagoram inprimis, ut alia

ejus

ejus generis pleraque, in omnes fere orbis nationes derivata fuerint. Quod pluribus exsequi majoris otii negotiique indiget.

CAP. XIV.

Superstitiosæ anicularum observationes ex S. Chrysostomo & S. Augustino. Sors Apostolorum.

QUæ passim hodie adhuc regnat vulgi & anicularum superstitio, ab ipso infernali Cerbero orbi quasi pestilens aura adflata, & a paganis in Ecclesiam derivata fuit, frustra renitentibus obicemque ponentibus sanctissimis ejus doctoribus. Exemplum dabo ex S. Chrysostomi Homil. XII. in 1. ad Corinth. IV. Refert is, inter Christianos, sed indignos tam sancto nomine, suo ævo fuisse receptum, ut, si Nominalium die, recens nato infantulo esset nomen imponendum, omissa pia patrum consuetudine, qui Sanctorum nominibus suos appellarint, *lucernæ in medio positæ accenderentur, suaque singulis apponerentur nomina. Quæ diutius ceteris splendebat puero fiebat cognominis*, in spem & omen futuræ longævitatis. *Quid vero*, inquit, *dixerit quis de amuletis, de manui appensis crepitaculis, & stamine coccineo, & aliis magna insania refertis? Crux sola ad tutelam puero erat adhibenda: nunc despectui est, quæ orbem convertit universum, quæ incurabile Diabolo vulnus inflixit, ejusque omnem evertit potentiam, & istis tricis apinisque creditur infantilis salutis custodia. Dicamne, quod risu majore dignum sit? At at nemo accuset nos intempestivitatis, si eo usque sermo nobis procedat. Certe, qui sordes velit expurgare, non gravabitur suas prius ipsius inquinare manus. Quid vero illud adeo ridiculum? mihi*

sane

sane non tale videtur : nam & ideo ingemisco. Est autem principium amentiæ & stultitiæ extremæ. Lutum e balneo nutrices & ancillæ accipiunt, eoque digito suo frontem pueri inungunt. Si roges, cui bono lutum? cœnum? averruncando, inquient, malo oculo, invidiæ, fascinationi. Proh quanta luti virtus, quanta cœni efficacia? tanta, ut totam Diaboli fundat & fuget aciem! Vide plura ibid. *Sors Apostolorum* licita, plane non vetita, ait Delrio *l. IV. disq. Mag. cap. 2. quæst. 7. sect. 3.* de qua Cæsarius lib. VIII. Miracul. cap. 56. sic : *Consuetudo est maxime provinciæ nostræ matronis, ut tali cum sorte specialem sibi Apostolum eligant : in XII. candelis, XII. Apostolorum nomina, singula in singulis scribuntur, quæ a Sacerdote benedictæ altari simul imponuntur : accedens vero fœmina cujus nomen per candelam extrahit, illi plus ceteris honoris & obsequii impendit.* Addit Delrio Ferdinando Cortesio sic in Hispania sortienti B. Petrum Apostolorum Principem obvenisse, *decuisse enim ut Evangelium apud Mexicanos plantaturo rigator faveret, quo rigante nunquam non incrementum dat Christus Jesus.* Judica bona mens quantillum intersit inter hanc κληδονισικὴν & illam a S. Chrysostomo reprehensam ? Certe si ille talia videret, non parceret faucibus & lateribus, quanta maxima posset contentione, exclamaret: γέλως ταῦτα καὶ κωμῳδία σατανικὴ, οὐκ εἰς χλευασίαν μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς γέενναν καταστρέφουσι τοὺς ἀπατωμένους, loc. cit. Refert Augustinus l. II. *de Doctr. Christ.* c. 20. *inter millia inanissimarum observationum, si membrum aliquod salierit* [ut oculus, aut supercilium, aut humerus, saliſsationem Latini dixere, Græci παλμὸν] *si junctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit. Atque illud quod lapidem calcant, tanquam diremtorem amicitiæ, minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum*

lum est, quod aliquando pueri vindicantur a canibus. Nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem, qui medius intervenerit, ferire audiant, non impune. Namque a vano remedio cito ille percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa, *limen suum calcare, cum ante domum suam transit: redire ad lectum, si quis dum se calceat sternutaverit: redire domum, si quis procedens offenderit: cum vestis a soricibus roditur, plus timere suspicionem futuri mali, quam præsens damnum dolere, &c.* Sic mala scæva fuit, *si quis sinistri pedis calceum vel primum in manus accepisset, vel induisset: Si exiens sinistrum pedem priorem movisset: si dexter oculus inferne saliisset, lachrymas ominabantur &c.* de quibus Chrysostomus *ad Ephes.* homil. 12.

CAP. XV.

Origo istius superstitionis.

SÆpe de ortu & fonte istiusmodi anilium deliriorum mecum cogitans, non dubitabam ad Pythagoræ Symbola referre. Nam & *Magus* ille fuit, artemque infamem *ex Zoroastris, Magorum Principis,* libris hausit, ut Clemens Alexandrinus meminit, & insaniæ, hujus hæredes, ut alibi per orbem terrarum, sic passim per magnam Græciam, totamque Italiam, apud Gallos vero & Germanos nostros *Druydas & Alirunas* reliquit, de quibus alias: denique *Symbola ejus* ita video ab aniculis, & vulgo superstitiose observari, ut nemo unquam majore religione Dei legem observarit. Talia sunt: *Contra solem ne loquitor,* quod faciunt, qui manifestæ veritati contradicunt: *Cibum in matulam ne infundas,* quod est, ne doctrinam puram impuro animo committas, ἄνθρωπε πῦ βάπτεις; clamabat Epictetus: *Nivibus nihil inscribas,* id est, beneficia immemori frustra conferas, aut doctri-

nam oblivioso: *Sinistra manu ne cibum capias*, quippe qui dextra & legitimis modis comparandus est: *Chœnici ne insideas*, quod prodigis in more est, qui sua usque ad pulviculum absumere certant: *Qui nihil a mensa aufert, non prosperabitur*, vetus Hebræorum verbum est, quo & illud Pythagoræum spectabat, quo *vetuit integrum fascem in ignem projicere: Manibus illotis non esse pulsandas fides*, idem suis edixit, moniturus eum, qui alios docere velit, prius operam dare, ut ipse sit irreprehensibilis. Sic *lapidem ne in puteum objicias*, prohibet eos injuria afficere, qui Bono Publico nati & dicati sunt: *Contra solem ne mejeto*, nihil est aliud, nisi non esse palam vitia sua prodenda, non de iis gloriandum, despuenda potius esse, quamvis minuscula appareant; quod ipsum voluit Pythagoras, cum *in unguium præsegmina & missam e vesica aquam jussit despuere*, vetuitque iisdem vel immejere, vel insistere. Notissima, & in usu superstitioso frequentissima sunt ista: *Scopas & stateram ne transilias: Speculum ad lucernam ne consulas: Ignem gladio ne fodias: mensam inanem ne tollas: Poculum quadræ ne imponas: E lecto cum surrexeris, vestigia corporis conturbato, &c.* Hæc ex rebus quotidianis accepta, non dubium quin ad vitam & mores componendos a priscis Sapientibus, fuerint tradita; nam & in Hebræorum monumentis, ipsisque sacris voluminibus, similia licet deprehendere, quæ antiquissimus Græcorum Poëta Hesiodus partem *in dies & Operas* suas transtulit, Pythagoras, qui & Proselytus apud Judæos fuisse putatur, propagavit, quam dextre non est divinare, sinisterrime certe arrepta & pessime observata fuisse experientia tota die docet. Symbola ejusmodi Pythagoræa *a Tartaris* observari docuit Vincentius Belluacensis *in speculo Historiali l. XXXII. cap. 2.* Credo ab eodem fonte hausta, e quo & Græci acceperunt, & forte Indi Brachmanes, a quibus ad istos potue-

potuerunt derivari. Nam *pro gravi culpa habent, si quis ignem cultello tangat, aut carnes eo de caldaria extrahat, aut ligna securi juxta ignem incidat. Sic enim ajunt igni quasi caput auferri. Talia sunt, flagello sagittas percutere, pullos avium capere, vel occidere, os cum alio osse frangere, equum freno percutere, lac aliumve cibum aut potum in terram effundere, in statione,* utor enim verbis Scriptoris, *mingere, quod sponte facienti capitale est; sin casu evenerit, igne lustratur tabernaculum, quaque in eo sunt omnia, nec prius ulli vel intrare, vel efferre quidpiam foras fas est. Si quis limen Ducis calcet interficitur. Buccellam si quis, quod deglutire non possit, exspuerit, facto sub statione foramine foras per illud protrahitur, & capite luit scelus inexpiabile, &c.*

CAP. XVI.

Ludibrio habitæ istiusmodi observationes ex Theodoreto, & aliis.

RIsisse Sapientiores ejusmodi Vulgi affanias multis exemplis claret. Dabo quædam ex Theodoreti *serm. 6. de curand. Græc. affectib.* Apud Menandrum Comicum *in Deisidæmone*, sive *superstitioso*, quod nomen & argumentum fuit fabulæ, cum quidam exclamaret: *Bene mihi hoc vertat, ô Dii multum colendi; nam dum calceor dextræ crepidæ lorum fregi! Jure*, inquit alter, *insane blatero: vetustate enim computruerat, tuque sordide triparcus novas tibi crepidas emere noluisti.* Antiphon conquerenti, quod *sus apud se enixa, ipsa suos porcellos devorasset*, malumque sibi & domui suæ ingens metuenti: *Gaude*, inquit, *de tam bono omine, quod famelica tua non devoravit pignora!* Bionis simile est, qui tales irridens superstitiones; *Quid mirum*, inquit cuidam trepidanti,

si mus tibi τὸν φύλακον peram aut penu corrosit, cum non haberet quod esset? Illud potius mirandum fuisset, *si*, ut Arcesilaus dixit, *pera comedisset murem.* Diogenes cuidam inter ostenta referenti, quod *serpentem invenisset pistillo suo circumplexum*, ne mirere, dixit: *hoc potius fuisset ostentum, si pistillum serpenti se recto circumdedisset.* Cato, cum esset consultus a quodam, *qui sibi a soricibus caligas diceret esse erosas*; respondit, non esse illud monstrum; sed vere monstrum fuisse habendum, *si sorices a caligis roderentur*, Augustin. loc. cit. Scipio ex Italia in Africam exercitum transportans, cum navi egressurus *prolapsus esset*, militibus trepidantibus, *Ludite*, inquit, *milites, Africam oppressi.* Cæsar navem conscensurus cum *lapsus* esset, *Teneo te*, inquit, *terra Mater!* vertitque omen in argumentum felicis reditus. Epaminondas instante jam adversus Lacedæmonios pugna, cum *sedile*, in quo resederat, *succubuisset*, & id vulgo pro tristi significatione confusi milites interpretarentur; *imo*, inquit, *bene habet, vetamur sedere.* Hæc & alia Frontinus l. 1. *Stratagem.* cap. XII. Rex Guilielmus, Angliæ acquisitor, primo terræ ingressu equum ad cursum incitavit, *lapsusque & in terram prostratus*; *Terra*, inquit, *mea est*, quod & eventus implevit, Petr. Blesensis *Epist. 65.* Confer Clement. Alexand. 7. *Stromat.*

CAP. XVII.

Æthiopis occursus, & Monachi.

NUnquid non ut filii Æthiopum estis mihi, filii Israël? Amos. IX. 7. Cur comparat Deus illis populum suum? Varia hic afferunt Interpretes. Mihi Merceri placet ex parte sententia: Æthiopum gentem fuisse vilissimam habitam, ex qua fere mancipia semper petita, apud Judæos etiam maledictam, propter imprecationem Noæ

Gen.

Gen. IX. 25. in Canaanem, Chusi filium, qui Chus Æthiopum pater fuit. Addo Deum voluisse indicare, factos esse impios Judæos *Omen omnibus gentibus*, quod & eventus jam comprobavit. Unde toties a Prophetis dicti *Schikkuz*, βδέλυγμα, *purgamentum*, quod si quis vel invitus calcasset expiatione credebatur opus habere, similes leprosis, quorum contactum & conspectum abhorremus, Suidas in βδελύσσω, unde & agnomen *fœtentium Judæorum*. Ammian. Marcell. l. XXII. inter fœtidissima recensentur *jejunia Sabbathariorum*, Martial. l. IV. *Epigramm.* &c. Talis Æthiopum fuit conditio, ut & occursus esset mali ominis. Sic inter signa mortis habitum fuit Severi Imperatoris, quod ei *Æthiops* occurrerit *cum corona ex cupresso facta*: quem cum ille iratus ab oculis removeri præcepisset, & coloris ejus tactus omine, & coronæ, dixisse ille fertur joci causa: *Totum fuisti, totum vicisti, jam Deus esto victor!* Spartian. *in vita sub fin.* Si quis domo egressus vidisset *monoculum*, vel *claudum*, male ominari solebat. *Si virgini occurrisset*, sterilem sibi diem istum interpretabatur; sin *meretrici*, faustum & lucrosum fore, ut habet S. Chrysostomus hom. XXI. *ad Pop. Antioch.* Fuit inter scæva omina quoque *occursus Monachi*, jam olim corrupto eo statu, & publice digitis vulgi notato. Lepidam historiolam recitat *Petrus Blesensis Epist. 65. cit.* Cum nuper de hospitio egredienti Magistro G. Pulchro, M. Guilielmus Blesensis Monachus, frater meus occurrisset, egredientem monuit regredi, & instantissime ne progrederetur, inhibuit, magnum eadem die sibi renuncians imminere periculum, si præsumere proficisci. Ille in Christo profectus, vaniloquium reputans, quod non esset in fidei radice fundatum, securus iter ingressus est. Quid multa? in fossam profundissimam & aquis concurrentibus exuberantem cum equo incidit, multis subvenientibus ægre evasit.

CAP. XVIII.

Bona Sacra nefas profanare.

HOc Deus intelligitur docuisse, cum *de luco alienorum Deorum jussit ligna ad holocausta adhiberi* & de Jericho, *ut omne aurum, argentum & eramentum inferretur in thesauros Domini*, ait S. Augustin. *ad Publicol. Epist. CLIV.* Ergo ne idolis quidem sacrata fas aut impune fuit in profanos usus vertere, de quo clarissimum Dei edictum exstat Deut. VII. 25. 26. & vindictæ exemplum Jos. VII. 1. & XXII. 20. 2. Maccab. XII. 40. Quanto minus vero Deo dicata? Agnovere Ethnici, & nefas esse crediderunt vel *lucernam accendere ex flamma altaris.* Hinc venusta fabula apud Phædrum 69.

Lucernam fur accendit ex ara Jovis,
Ipsumque compilavit ad lumen suum:
Onustus qui sacrilegio cum discederet,
Repente vocem sancta misit religio:
Malorum quamvis ista fuerunt munera
Mihique invisa, ut non offendar subripi;
Tamen sceleste spiritu culpam lues,
Olim cum adscriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Itaque hodie nec lucernam de flamma Deum
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.

Mutato nomine de nobis fabula narratur.

Exueret Deus ut terra caligine mundum
Doctrinæ accendit lumen Apostolicæ,

ut dicam cum *Sancto Prospero in Epigramm.* 2. Pet. I. 19. Quid vero ingrati nos? Debebamus *Lucernarum accensionem Festum* celebrare, justius multo quam Ægyptii, ex Hero-

Herodoto Stuk. *de Sacrif.* p. 106. b. Sed numquid multi ἐμπακτικώτεροι τῶν ϑεῶν Deum ipsum compilant ad lumen suum? Deinde fuerint licet infelicium Majorum ἀναθήματα, Deo ἀναθέματα & propter superstitionem inviſa, tamen ad istum modum non erant prodigenda. Luimus pœnas sacrilegii dudum, flamma illa e qua lucernas nostras accendimus sacra & profana, privata & publica depascitur: imo jam fere depavit. Et quid hoc, proh nefas! mali est? *Arsimus, arsimus, & tamen flammas, quibus jam arsimus, non timemus*, Salvian. l. VI. *de Gubern. Dei*, supereſt, ut Sacrilegis Deus lumen suum subtrahat, quo tam impie abusi sumus. De Sacrilegis exempla dabo l. II. pag. 126. seqq.

CAP. XIX.

Christi Induitio.

Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis, Galat. III. 27. Sensus Apostolicorum verborum satis clarus est; sacro Domini lavacro per fidem in tantam cum Christo Dei Filio recipi communionem nos, ut & Dei Filii & alteri quasi Christi, unum cum ipso, dum in ipso, vere simus & dicamur, vide h. l. Chrysost. *Nam credentes dum immutantur*, [per regenerationem & renovationem imputata prius Christi justitia] *Christum induunt: quando hoc appellantur, quod credunt*, Ambrosius ibid. Confer & D. Lutheri Comm. Sed sonus verborum non ita facilis, & dura satis videtur Metaphora, *induere Christum*. Unde quæso petita? In mentem venit Jacobus qui *Esavum fratrem indutus* benedictionem a Patre impetravit: sed non satisfaciebat animo. Quid si hoc sermonis genere, quo non raro utitur Apostolus, ut Roman. XIII. 14. Ephes. IV. 24. Coloss. III. 10. &c. alludere voluit, pro more ad aliquas *Gentilium cerimonias?*

nias? hæsito. Noto tamen *in mysteriis Isiacis* initiatos, primo *duodecim stolis* sacratos procedere solitos, tum *Olympiaca stola*, quam nuncupabant, indutos, manu gestantes *flammis adultam facem*, *capite corona rediviva*, *ex palmæ candidæ foliis in modum radiorum prosistentibus, ad instar solis exornatos, & in vicem simulachri constitutos fuisse*, apud Apulei, l. XII. *sub fin.* Sed & apud Siculos *Magnum jusjurandum dicturi in Æde Cereris & Proserpinæ purpuram Deæ induebant*, *facemque ardentem manu præferentes jurabant*, Plutarchus in Dione, sub fin. Nec ab isto more abludit, quod *Imperatores Romanorum, cum inaugurarentur, Deorum suorum Dearumve palliis purpureis, togisve palmatis solerent consecrari*, exempla vulgata sunt, apud Trebell. Pollion. in Celso, Vopiscum, Capitolin. &c. Augustæ historiæ Scriptores. Erant ista Gentilibus παλιγγενεσίας argumenta & insignia, per quam in Deorum suorum, id est, Dæmonum κοινωνίαν sperabant se iri assumptum, cujus & pignus erat *mystica sacrificiorum participatio*. 1. Cor. X. 20. Sic enim Diabolus sacra nostra, divinitus instituta, æmulabatur. Nec alia causa videntur vel *defuncti loti*, *uncti*, *coronati*, *imo & imagines aliquando eorum in habitum Dei alicujus efformatæ*, ut apud Apulejum l. VIII. a Charite conjuge mariti Lepolemi *in habitum Liberi Patris*; quam quod spem suam stulta Gentilitas ita voluerit testari, transiisse mortuos in Deorum commercium, & Deos evasisse. Explico nonnihil & illustro, sed numero sequente.

CAP. XX.

Stulta Divinitatis affectatio.

NOtissimum est ex historiis, eo processisse quorumdam non modo Regum aut Potentum, sed & aliorum

rum e vulgi fæce, & infimis pœne subselliis, insaniam, ut Dii haberi, dicique voluerint, habitu ipso Deos imitantes. Erat non dubie adhuc Pauli Apostoli ætate in ore vulgi *mensa Augusti* Δωδεκάθεος dicta; in qua convivæ Deorum Dearumque habitu discubuerunt, ipse se *Phœbum mentiebatur*, Sueton. in Octav. Aug. cap. LXX. Sic *Cajus Caligula* iis ipsis temporibus *modo Jovem se fingebat, modo Juno, Diana, Venus fiebat*, mutato cum nomine omni habitu, de quo plura Dio l. LIX. Ridiculum inter alia interponens apophthegma Galli sutoris, qui cum Cajum in tribunali sedentem, *habitu Jovis ornatum*, jus dicere vidisset & risisset, accitus ab eo, & quidnam ipsi esse videretur? Interrogatus; *magnum*, inquit, *deliramentum*. Quomodo *Alexander Magnus se modo in Ammonem, modo in Dianam, mox in Mercurium aut Herculem transformarit*, assumtis istiusmodi Dæmonum vulgatis ornamentis & insignibus docet *Athenæus l. XII.* qui festive recitat, quomodo a patre ejus Philippo *Menecrates Medicus*, sed qui ipse ad Medicos ducendus, & Hippocratis, ut ajunt, ligandus erat vinculis, derisus & convivio ejectus fuerit. Nam *Jovem se is ferebat, vitæ datorem*, secumque circumducebat servatorum quorumdam satellitium, qui hunc Jovem, ut *Dii Consentes aut Selecti*, sequebantur, pacti pro salute, quam dedisset ope Medica, servitium. Quibus ad convivium vocatis, Philippus Rex, cum aliis invitatis edulia apponi jussisset, præter *suffimenta* nihil dedit, usque dum satis delusi derisique e medio se proriperent, *Athen. lib. VII.* Quid vetat credere eo respectum esse ab Apostolo, cum Christianos hortaretur, *Induere Christum*, quotidiana vitæ imitatione, quem semel induissent jam in baptismi mysterio, justitiæ ejus imputatione? *Induant Bacchum, Venerem, Martem, Mercurium, Herculem, qui se nequissimis Dæmonibus consecrarunt; vos Christi participes*

facti, ad imaginem ejus mentem, vitamque omnem componite.

CAP. XXI.

Thracum Ludus.

POenitentia non differenda est. *Thraces*, ut Seleucus prodit apud *Athenæum*, *l. IV. Dipnosoph. c. XVII.* in conviviis *ludum suffocationis* ludunt periculosissimum. Pendet e laqueari laqueus, quo, quem sors tangit collum induit, stans in erecto lapide. Alius inopinato advolans lapidem sternit, pendet iste, & nisi falce, qua manum eum in finem armavit, laqueum citissime discindat, informi letho gutture obstrangulato abit ad plures, *in Orci culum*, ut dici solet; ridentibus ceteris convivis. Numquid eundem ludum ludit cum peccatoribus infernalis Pluto? nisi maturrime ἀνανήφωσιν 2. Tim. II. 26. ac falce pœnitentiæ se expediant, actum est. Tutissimum est se non induere in laqueum: proximum quam citissime periculo se subducere, & falce prudenter præscindere. *Ubi in præruptum quisquam se immergit periculum, oneratur etiam opprobrio.* Egesipp. l. II. c. 9.

Quem sæpe transit casus, aliquando invenit.

Seneca in *Herc. Furent.* Sirac. III. 27. Si invenit jam: resili quantocyus. *Cur dubium exspectat cras, hodiernæ salus?* Prosper in *Epigram.* Cogita te in lubrico stare, basin si casus aliquis subtrahat, periisti. Quid differs resipiscentiam tantisper, dum *inter Orcum pendeas & solem?* Fieri potest ut animam lucrere, sed & ut perdas fieri potest. *Quid salutem tuam in incertum mittis? Vis te a dubio liberari, vis quod incertum est evadere: Age pœnitentiam, dum sanus es!* Ambros. in *Exhortat. ad pœnit.* Itane Te & salutem tuam in acie collocabis novaculæ?

— *Quid*

— *Quid denique prodeſt*, ait Alcimus Avitus,
Tunc finem poſuiſſe malis, cum terminus inſtat?
Pœnitet ambigue, quem ſero pœnitet!

CAP. XXII.

Omina Menſalia ſuperſtitioſa.

MAla ſcæva in convivio creditur, ſi *vel ſalinum evertatur, vel poculum effundatur, vel panis e manibus, aut buccella ex ore labatur.* Hinc dicteria vulgata: Er hat ſein Glück verſchüttet / der Biſſen war ihm nicht gegönt / &c. Ex eodem rivulo fluxiſſe Pythagorica illa puto: *Quod cecidit, neu tollito. Panem ne frangito. Panis ſi forte e menſa, aut aliunde in terram ceciderit oſculo adoratus tollitur, & tacito ſalutatur murmure:* O du heilig Brodt! Superſtitio mera, & tamen pervetuſta. Tertullianus, jam tum Montanizans, dum varias conſuetudines recenſet, quas a traditione manaſſe vult, hæc tandem ſubinfert: *Calicis aut Panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxie patimur*, de Corona Milit. c. 3. *cur anxie?* B. Rhenanus in *Annotat.* reſpondet: *Propter crebram Sacramentorum tractationem inolita fuit illis religio quædam, etiam vulgarem panem & vulgare poculum reverenter tractandi.* Sed inhæſiſſe animis gentilium ſuperſtitionem certius eſt, in qua panis, ſal & vinum inter ſacra habita, *Sal divinum* dictum, *perque ſalem & vinum* juratum: unde mos; præbito pane & ſale adjurare ad dicendum verum. In ſomniis quoque *Panis hordaceus læti fuit ominis index. Hunc enim primum a Diis hominibus datum eſſe cibum produnt*, ait Artemidorus l. 1. cap. 71. qui jam ſcripſerat: *Vitrea pocula ſi videantur fracta charorum mortem ſignificare, aut ſi qui vidit ſolitarius ſit, propriam*, cap. LXVIII.

Re-ert

Refert Stengelius, notissimum sibi fuisse quemdam nobilem in Alsariâ, magni nominis, magnæque ditionis, qui ex arce sua novem vicinos pagos numerare & pœne plumbea glande tangere posset, suo dominio subjectos; Eum solitum in triclinio aliquo meridiari, hoc more, ut ad lectulum splendide exstructum mensa staret puniceo strata tapeti, & accubanti calix crystallinus vini rubri plenus adponeretur. Sic ille se extremum composuit ad somnum meridianum, cumque præter solitum cum sopore luctaretur, tardiusque ille inviseret, ecce! calix tinnitum edit, quasi digito ictus, & simul rumpitur, omnemque Liberi florem effundit. Territus ille signum dat suis tintinabulo, quod ad manum erat, casum enarrat, & hoc, inter alia ait, vitreæ suæ vitæ jam jam rumpendæ ostentum esse. Illi bono animo esse hortantur, ac persuadent, quieti ut se reddat. Alius ponitur interea in mensa calix, sed quid multa? finditur & ille paullo post eodem modo, spemque hominis simul omnem longioris vitæ secum elidit. Uxor tamen advolans modis omnibus molestiam animo abstergere nititur, ne sibi cor edat, aut vanis istis opinionibus se conficiat, monet, alium, & quidem probe inspectum, ne aliqua rimula hiaret, calicem reponi jubet, beneque precata eodem in lectulo Dominum suum relinquit, ut nubilum istud mentis edormiscat. Verum ecce! tertius eodem fatali ictu dissilit scyphus, simul Nobilis jam dum animo tabescens nonnihil corpore male habere incipit, mediaque nocte vitam finit. Historiæ auctor *Boni Genii* monitoris digito prodigium hoc adscribit, quod in medio relinquo.

Nam qui paganam πλησιονικὴν firmat Genius
ater an albus sit habendus nescio.

CAP.

CAP. XXIII.

Citharæ de Salicibus suspensæ.

Psalm. CXXXVII. 1. 2. eleganter exponit S. Paulinus carm. 8.

Sedimus ignotos dira Babylonis ad amnes
Captivi Iudæa manus, miserabile flentes,
Cum patriam memori traheremus pectore Sion,
Et meritum justa suspiraremus ab ira
Exilium: lentis qua consita ripa salictis
Hospitibus populis umbras præbebat amicas.
Illic Assyriæ mediis in mœnibus Vrbis
Obliti latas per mœsta silentia voces,
De salicum ramis suspendimus organa nostra.

VAria hic attentum Lectorem animi suspensum tenebunt dubia. Quorum aliqua tangunt & expediunt Interpretes. Ut Scholia Basilii illa: *Qua ratione ad flumina sederunt?* tamquam captivi, & hostili terra detenti, extra muros & civitates commorabantur. *Qua ratione organa in captivitatem abeuntes secum asportarunt?* Dispensatum hoc est ob eam causam, ut inter alienos constituti prioris conversationis monumentum haberent, & symbola cultus illius videntes amplius morderentur. Denique *an vere Babylonem secum attulerint organa sua Musica, eaque de Salicibus suspenderint?* quæri potest. Placidus enim Parmensis, *non* inquit *attulerunt secum organa sive instrumenta Musicalia ab Hierusalem*, ratio; *quia captivi ad vitam conservandam, non ad portandum talia erant intenti.* Quid ergo? *Hic*, ait, *est loquendi modus, quo innuere volunt, reliquisse cantum, & Musicam cum suis instrumentis, &*

suspen-

suspendisse in salicibus, in medio ejus scil. *Babylonis*, &c. Observo hic: Morem fuisse, ut si quis pausam faceret soliti artificii, vel operis, ejus instrumenta Diis consecraret. Sic apud Ausonium *Lais Veneri dicat speculum*, Epigram. LIV. *Sic gladiatores emeriti Herculi consecrabant arma sua.* Vejanius, armis Herculis ad postem fixis, latet abditus agro, *Horat. Lipsius Saturn. lib. II. cap. 23.* Timon ex rustico dives factus, *rhenonem & ligonem suspendit Pani*, agriculturæ valedicens, *apud* Lucian. *in Timone.* Virgines nubiles *Veneri donabant pupas suas*, Persius Sat. II. & ibi Casaub. *nubentes Zonam Virginalem suspendebant*, ibid. *Pueri jam ephebi bullam suam auream laribus: naufragi uvida vestimenta maris Deo*, &c. *Citharœdi*, ut Eunomus Locrensis l. IV. Anthol. *citharas.* Sic Horatius l. III. Od. 26.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria:
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit, &c.

Sic *Alcon pharetram de quercu suspendit*, de quo lib. V. in Sagittariis. Nam *arboribus* commendata talia anathemata ritu pagano, notum est, *quæ & sanctivæ* propterea dictæ, *Dempster. ad Rosin. Antiquit. Rom. l. 1. pag. 45.* Sic captivi Judæi, puto, dicunt, de salicibus amnicolis vel suspendisse, vel quasi, citharas suas in honorem DEI Opt. Max. quarum jam nullus esset in sacris usus.

CAP. XXIV.

Caput ultimo supplicio afficiendi velatum.

Τὸ ὅπ, ex omnium fere gentium moribus manifestum est. *De Persis* testatur historia Estheræ cap. VII.

VII. 8. Druſius *l. XII. Obſerv. cap. 18. De Iudæis* Joſephus l. VII. de *Bello* cap. 14. ubi eques Romanus captus a ſeditioſis Judæis, *revinctis poſt terga manibus, oculisque faſcia velatis ad ſupplicium ducitur. De Athenienſibus* Plutarch. & ex eo Ravanellus in *Biblioth. de Capite.* Carmen ferale apud Romanos notiſſimum: *I lictor, caput obnubito!, infelici arbore ſuſpendito!* Mitto plura. τὸ *ſicri* quæro. Qua de cauſa amabo? Invenio *caput velari ſolitum* quibusdam *i. ex pudore.* Sic & meretrices & nequam homines lupanar frequentantes caput cucullo, vel adducto pallio velabant, de quo more multa Petronii Interpp. Wowern p. 387. Erhard. in *Symb.* p. 547. *Ludices* (veſtes) *a ludis id eſt theatris vocatas quidam exiſtimant. Cum enim ingrediebantur de ludi proſtibulo juvenes horum velamento tegebant caput & faciem: quia ſolebant erubeſcere qui lupanar introiſſent*, Iſidorus l. XIX. 26. Ita *Thamar*, *quia ſe expinxerat idcirco Iudæ ſuſpicione viſa eſt quæſtui ſedere, adeo, quia ſub velamento latebat, habitus qualitate quæſtuariam mentiente*, Tertull. de *Cultu Fœmin.* cap. XII. ex Gen. XXXVIII. 16. Impudentiæ extremæ fuit inoperto capite luxuriari, aperto capite ire ad lenones, γυμνῇ κεφαλῇ, & fronte aperta nequitiæ ſe dare, *vide* Plaut. *Capteiv. Act. III. Scen. 1.* Sic Hegeſippus dixit: *usque ad Trajanum Virginem puram atque illibatam permanſiſſe Eccleſiam, poſt obitum Apoſtolorum prodiſſe palam hæreticos, & de cetero jam nudo capite veritatis præconio falſi nominis ſcientiam oppoſuiſſe*, apud Euſeb. l. III. *Hiſt.* cap. 26. Hinc *frons meretricia*, Jerem. III. 23. An igitur pudori damnatorum conſultum velato capite? Qua de cauſa *Pompejus* trucidandus -- *ubi vidit cominus enſes, involvit vultus, atque indignatus apertum Fortunæ præbere caput.* Lucan. Sic Julius Cæſar, *ut animadvertit undique ſe ſtrictis pugionibus peti, toga caput obvolvit, quo honeſtius caderet, ne*

ſcili-

scilicet oris vultusq; horror & deformitas morientis videretur, Sueton. in *Cæs.* cap. 82. Nam ad supplicii gravitatem spectabat, si rei *capite resupinato & nudo* traherentur, *subjecto etiam aliquando gladii mucrone mento, ne faciem submitterent, ut agnosci possent*, quod Vitellio accidisse refert Sueton. cap. XVII. ubi Casaubon. videndus. Habes causam unam moris hujus, accipe alias.

CAP. XXV.

Caput ex luctu & metu velatum.

DEinde *lugentes* solebant caput non modo demittere, quod calamitate oppressi nec possent præ gravitate fortis attollere, nec auderent præ pudore, nec cuperent ex humilitate, Judic. VIII. 28. Job. X. 15. Thren. II. 10. &c. unde *vivere capite demisso*, Seneca *Epist.* 65. quod & Hypocritarum Esa. LVIII. 5.

Obstipo capite, & figentes lumine terram
Muamura cum secum & rabiosa silentia rodunt,

Persius *Satyr. III.* &c. Sed etiam involvere & tegere. Sive qria lugentibus lux gravis, gratæ sunt tenebræ; sive quia conspici & digito notari ægre ferunt, vide Jerem. XIV. 3. 5. 2. Sam. 19. 4. &c. vide Stuk. *Conviv. Antiq.* l. II. cap. 28. Flentes capita obvolvunt, erubescentia, ut Ulysses, ibid. Lacrymas a claris viris auferendas, mulieribus vero tribuendas censuit Plato. Apud Romanos *parentes mortuos filii efferebant capitibus velatis, filiæ nudis, & passis crinibus*, de quo Plutarch. *quæst. Rom. XIV.* & Kirchmann. de *Funer.* l. II. cap. 16. Sed & *fugientes* capite tecto se in pedes dabant, sive propter repentini casus horrorem & abominationem, sive metu ne agnoscerentur. Exempla vide apud Ravanell. l. cit. Dousam in *Petron.* p. 292. Plaut. in *Mostellaria*:

Capi-

Capite obvoluto ut furiat cum summo metu.
Sic *desperabundi* horrore objecti infortunii, & in quod ruebant, exitii, *vestibus præligabant capita, & se dabant* vel in flumen vel in mare, vel alio *præcipites.* Wovver. in Petron. p. 440. Exemplum sacrum habes 2. Sam. XV. 30. & Ezech. XII. 6. 7. 12. Geminum plane apud Herodian. l. V. *Hist.* ubi *Macrinus chlamyde & cetero imperatorio ornatu detracto, e prælio, stante adhuc acie, discedit, paucisque e fidissimis commilitonum comitatus, fugam occupat, detonsa barba ne agnosceretur, itinerario vestimento, capiteq; semper obvelato.* Sic ergo reorum & mœror velamen capitis desiderat, & supplicii horror. Vis aliam causam? exponam.

CAP. XXVI.

Sacrificantes & Sacrificia capite velato.

DE *sacrificantium* nota res ex Stuk. *de Sacrif.* p. 68. 69. Plutarchus *quæst. Rom.* 10. Quærit, *cur Deos adire mos fuerit velato capite, cum hominibus honor haberetur aperto*, ubi Boxhornius pag. 104. docet, *Sacerdotes quoque Hebræorum cidari aut galero caput tectum habuisse inter operandum*, Levit. XVI. 4. Exod. XXVIII. 40. 42. Unde R. Moses Maimonid. in Misna de Orat. c. 5. *Non esse orandum cum pera, neque retecto capite, neq; nudis pedibus*, Christiani contra aperto capite orare cœperunt, in signum libertatis suæ & lætitiæ, quod a servitute Judaica, & pagana superstitione essent liberati, 1. Cor. XI. 4. ubi Capellus in Spicilegio.

Nec pietas ulla est, velatum sæpe videri,
Vertier ad lapidem, atq; omnes accedere ad aras
Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas

Ante Deum delubra. Lucret. l. 5.

Ratio superstitionis paganæ fuit, quod oculos & faciem velarint, ne adversi quid vel oculos feriret, vel aures inter sacrificandum, aut orandum, *quo omina turbarentur*, quæ tum vel maxime captata, docet pluribus Stukius l. cit. Qua de causa per præconem jubebantur, qui sacris intererant ἐνφημεῖν, *& favere linguis*, & oraculum petituri *tinnitu æris circumsonabantur*, Plutarch. l. c. quibus adde *cymbalorum quassationes, & concrepationes scabillorum*, &c. Arnobius l. II. p. 73. & l. VII. p. 237. nuperæ edit. Quibus & mala omina cavebant, ne in aures inciderent, & in entheum furorem agebantur. Lucret.

Et Phrygio stimulat numero cava tibia menteis.

In sacrificiis *vittatos* lege apud Bernartium ad l. V. Thebaid. unde Fungerus delibâsse videtur in Etymolog. *Victimas ipsas & coronatas & vittis ac taniis ornatas*, ibid. & Act. XIV. 12.

Victima labe carens, & præstantissima forma
Sistitur ante aras, vittis præsignis & auro.

Sic Sinon Virgilianus, Theseus ad Minotaurum missus, Iphigenia & alii Diis immolandi *vittati*, de quibus Bernart. l. cit. & quædam in Act. Apost. Corn. a Lap. Quid si igitur capitis damnati in supplicio velatis capitibus, quia *Orco cadebant victimæ?* Quia vel tum maxime cum Diis agendum iis videbatur, ad quos jam jam abibant ex hominum consortio? *Victima haud ulla amplior potest, magisque opima mactavi Jovi quam Rex iniquus*, Seneca dixit Hercul. Fur. V. 923. Sic hic: Ita *homines Pharmaci vittis & verbenis ornati in civitatis piaculum exitio dati*, de quibus alias.

Addo:

CAP.

CAP. XXVII.

Oculi mortuis clausi & iterum aperti.

RES nota est ex Genes. XLVI. 4. & Kirchmann. de Funer. l. 1. cap. 6. quod proximi agnati *morientium oculos presserint & composuerint*, ne turpiter, cum horrore spectantium, hiarent. Sed ante *sepulturam* aut *ustrinam recluſos fuisse oculos, solique adhuc semel ostensos*, nescio an ex sacris literis possit erui. Locus tamen est *apud Jobum cap. XXVII.* 19. qui videtur ad istum morem non invitus trahi posse. *Dives*, inquit, *cum dormierit, tandemque beatulus alto compositus lecto, crassisque lutatus amomis, oculos mundo semel occluserit*, vide de lecto funebri Kirchmann. *aperiet eos iterum*: ubi? *ante sepulturam*, de prisco more, *& nihil inveniet de pristinis opibus suis*, nihil nisi magnum inane, & cœcas tenebras. Hebræi legunt: *Dives cubat, & non colligitur*, non aggregatur, cœtui nempe vivorum repente exemtus: qua de causa morientibus oculi clausi, & supplicio adficiendis capita velata, quod indicio esset eos a civitate & vitæ lucisque communione esse abalienatos, ut observat verbulo Arias Montan. *Antiq. Judaic. l. VIII.* p. 146. *Oculos dein aperit, & non est*, neque se, neque quenquam, neque quicquam invenit. Aperit autem, quomodo mortuus? quærit Drusius in Job. exponit *hypothetice*, si aperiat, & aliter, ut & alii, vide Coccejum. Causam hinc expiscor, cur dixerit Plinius l. XI. cap. 37. *Morientibus oculos operire, rursusque in rogo patefacere Quiritium magno ritu sacrum fuisse; ita more condito, ut neque ab homine eos supremum spectari fas sit, & cœlo non ostendi nefas?* Quæ alia hic in diversa tendentes attulerint, non excutio: Mihi videtur, oculos jam jam in morte natantes non fuisse fas spectari, quod secreto animæ jam emi-

grantis intervenire religio esset, quam oculis inhabitare paullo ante dixerat Plinius. Itaque claudebantur, quia e cœtu viventium, & lucis consortio abire morientes res est. Sed iidem in rogo referabantur, duplici de causa; ut viventes *vanitatis mundanæ* admonerentur; post mortem nihil jam in terris superesse, quod defuncti spectare habeant aut exspectare: *& spei suæ:* esse lucem cœlestem deinceps visuros, & revisuros; quare & mortuorum oculi cœlo ostensi quasi extremum dicerent: Valete & plaudite! Post tenebras speramus lucem! Hæc puto mens fuit eorum, qui primi mortem hunc condiderunt, quem posteri superstitione sola & sine sensu observârunt.

CAP. XXVIII.

Hircus Emissarius.

MEmorabile est quod Hebræi ferunt: *hirco apopompæo* de quo Levit. XVI. 10. *ad cornua alligatum fuisse filum aut funiculum laneum*, vittam dicerent Latini, *coccinei coloris, quod educto eo in desertum, & ex monte aut scopulo Azazel præcipitato, si Deus esset populo suo reconciliatus, in manu ejus, qui eduxeras Hircum, exalbuerit, in signum gratiæ & propitiationis: Quo facto dedisse educentem inflato cornu signum publicæ lætitiæ; quod alii per desertum usque in castra & urbem sanctam cornicines, per intervalla dispositi, ut se invicem audire possent, puncto temporis inflatis cornibus suis divulgârint, ut tota natio Judæorum ad plausum, & festiva gaudia excitaretur. Sin vitta colorem rubrum retinuisset, passim silentium fuisse, & luctum publicum*, sic Fagius *in Levit. XVI.* ut & Oleaster *apud Cornel. a Lap.* ibid. Capellus ex Thalmude refert, vittam istam, sive ut Rabbini vocant, *linguam*, id est productam *taniam*, aut ligulam purpuream portæ Templi alligatam fuisse, & hirco emissario in exitium

tium dato, in favoris Divini argumentum exalbuisse, sed annis ante Templi eversionem quadraginta desiisse miraculum id videri, lib. II. Vindic. Isaaci Casaub. cap. IX. & X. Fabellam esse censet Cornelius a Lap. sed verisimilitudinis argumenta insunt. *Primum*, quia videntur Prophetæ alludere, & ad vittam illam coccineam; *Si fuerint peccata vestra, sicut coccinum, sicut nix albebunt*, Esa. I. 18. quod eo citat Thalmud, & ad cornicines, *Evangelicorum præconum* typos, Esa. LII. 7. Nah. I. vers. ult. Rom. X. 18. & ad ipsum illum qui hircum eduxerat, qui Christi figuram gessit, *missi ad prædicandum* Schenat-Razon *annum benivolentiæ & gratiæ*, juxta Chald. Esa. LXI. 2. in cujus manu ac cornibus [nam idem *& victima fuit sacerdotii sui, & sacerdos sua victima*, ut ajunt Veteres] id est merito crucis & mortis, peccata nostra exalbescunt, tolliturque reatus. *Deinde* meminit cerimoniæ hujus antiquissimus Latinorum doctorum *Tertullianus*: Hircum coccino circumdatum, maledictum & conspu-tatum, & convulsum a toto populo, adeoque notatum fuisse manifestis indiciis Dominicæ passionis, *adv. Judæos & l. 3. adv. Marcion. Ad hæc* manifesta deprehenditur hac in re Ethnicorum κακοζηλία, qui *purpureis vittis capita victimarum* vinciebant, quo ipso Diis devota esse & vinculo religionis religata indicabatur. Et ut *niveæ vittæ* læti ominis erant, quibus Vates ac Sacerdotes redimiti erant; *cæruleæ* ferales & Deorum Manium propriæ: Ita *purpureæ* piaculares fere, & victimarum peculiares. Sic Atreus fratris Thyestæ liberos immolaturus, apud Senecam *in Thyest.* Act. IV. v. 686.

Post terga juvenum nobiles ligat manus,
Et mœsta *vitta* capita *purpurea* ligat:
Non thura desunt, non sacer Bacchi liquor,
Tangensve salsa victimam culter mola,

Servatur omnis ordo, ne tantum nefas
Non rite fiat, &c.

Testimonia plura in hanc rem ex *Ravisii Epithetis*, ut & *Bernartio* & *Fungeri Etymolog.* cit. nota, inde peti possunt, si quis desiderat. *Denique* vittæ purpureæ capiti alligatæ venustissime poterant significare caput iræ & vindictæ Dei devotum propter *sanguines peccatorum*, ut eorum & culpam & reatum Scriptura vocare solet, de quo alias. Nam ut Capella habet: *Vittæ sunt quæ crinibus innectuntur, quibus fluentes religantur capilli, & vittæ dictæ quod vinciant.* Sic tenues & simplices purpureæ virginum vittæ - *insigne pudoris*, Ovid. 1. *Amor.* Statius *Achilleid.* 1. v. 620. duplices, credo & colore gemino niveo ac purpureo distinctæ, inter matronalia decoramenta, *sociale vinculum*, Mart. Capella l. 1. *de Nupt. Philolog.* & Tertull. de *Cultu Fœmin.* c. 12. &c.

CAP. XXIX.

Homines Pharmaci, Peripsemata.

OBiter addo, quoniam injecta mentio est, *homines diis immolatos fuisse*, ad averruncandam eorum iram, a plerisque gentibus & nationibus, vulgatum est, vide Serar. in *Judic.* cap. XI. quæst. 17. & quos ille citat, ut & Eliam Schedium de *Diis German. Syntagm.* II. cap. 31. & seqq. Nam ceteros nominare quid opus est? Cui non dictus Hylas? Judæos accusavit crudelis impietatis hujus *Apion.* solitos in sanctuario hominem Græcum opipare saginare, demum interfectum sacrificare, gustatisque extis ejus conjurare in odium Græcorum; *refellit commentum calumniosum* Josephus *l. 2. contra Apion*, De Persarum & Chaldæorum *Sacais* mox dicam. De Græcis Suidas: *Pharmacos*, inquit, *vocabant, eos qui publice alebantur, ut Civitates expiarent suo interitu.* Sic quotannis *duos viros*, ut

ut inquit Lysias, educebant, qui expiarent Urbem in festo Thargeliorum, unum pro viris, alterum pro mulieribus, *in Pharmacus.* Et in *Peripsema* annotat, dici solitum fuisse, cum ejusmodi piacularis homo in mare porriceretur: *Peripsema nostrum esto!* Meminit *Nicolaus Leonicus l. 3. var. Histor.* Homines, *inquit*, duos quotannis Athenienſium civitas expiandorum luſtrandorumque civium gratia jugulabant, unum duntaxat pro maribus, pro fœminis alterum, quos cuſtodia publica aſſervatos præclareque enutritos Thargeliis ſuis cum ſolenni pomparum religione deducebant, & *Pharmacos* appellabant &c. *cap. XXXIII. & cap. CVI.* Moris fuit antiquiſſimi, cum civitas aliqua fame, aut peſtilentia, aut aliqua enormi calamitate laboraret, diſquirere hominem in ea turpiſſimum, quem *Catharma & Pharmacum* appellabant, eumque ad locum ſacrificio deſtinatum deducebant, manu tenentem caſeum cum placenta, & ficus, quem poſtea ſepties caprifico, & ſcylla agreſti, aliisque virgultis ſilveſtribus, partes pudendas verberatum, ſcrobe eo loci facta, lignis ſilveſtribus comburebant, confectumque cinerem, pro urbis illius expurgatione & piaculo in mare projiciebant, &c. Maſſilienſes, *ut eſt, in Petronii fragm.* quoties peſtilentia laborabant, unus ſe ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic poſtea ornatus verbenis & veſtibus ſacris circumducebatur per totam civitatem cum exſecrationibus, ut in ipſum reciderent mala civitatis, & ſic porriciebatur. Obſervo tribus verbis: *Verbenatos infulatosque ſive vittatos* fuiſſe ejusmodi ſacros homines, & vel in mare, vel de ſcopulo præcipites datos, ut apud *Sueton. in Caligul. cap. XXVII.* ubi habes καθαρσίαν paganam, & Dei ſimiam Diabolum Hirci Emiſſarii piaculum æmulantem, *confer Stuk. de Sacrif. p. 41. 46.* Deinde *Druydes Gallorum* cauſam dabant impiæ pietatis: *Quod pro vita hominis, niſi*

vita hominis reddatur, non possit Deorum immortalium Numen placari, apud Cæsar. l. VI. de Bell. Gall. En ipsam *traditionem antiquissimam de arcano Dei consilio*, Diaboli technis in pessimum scelus detortam. Denique tale se & ceteros Apostolos mundo fuisse περικάθαρμα questus est Apostolus: *facti sumus quasi purgamentum & peripsema omnium*, ut legit Tertullian. *de Pudicit.* de quo vocabulo mire variant Interpp. vide Erasm. Annot. ut & Bezam & Estium. Breviter & bene ad hunc sensum, qui mihi placet, Hesychius: *Peripsema esse* vel περικαθάρμα fœculentas sordes, vel ἀντίλυτρα, ἀντίψυχα; *pericatharma*, quo solvantur veneficia & expientur: *Pharmacos* alexiterios, qui expurgent urbes, mulierem & virum. Hæc ad 1. Cor. IV. 13. non quidem aliis indicta, sed a plerisque tamen aliter explicata, & in alium quoque sensum.

CAP. XXX.

Sacæa Persarum.

SAcæa Festum fuit non absimile Romanorum *Saturnalibus*, in quo servi per quinque dies Dominis suis imperabant, &c. Ait *D. Quistorpius in Annotat. ad Jerem. cap. LI. 39.* a Propheta ibi descriptum esse, captamque per eos dies a Cyro Babylonem, quem vide. Præivit *Scaliger & Seldenus de Diis Syris, Syntagm. 2. cap. XII.* Et favet primo festi antiquitas; nam a Cyro devictis *Sacis* institutum fuisse, quod aliqui testantur, Seldenus refellit & *Vossius de Idololatr. l. II. cap. 22.* & deinde nomen Babylonicorum Numinis, *Sesach*, a quo Festi nomen, & urbis Babylonicæ, Jerem. XXV. 26. & LI. 41. de quibus iidem. Sed hoc ago. Videntur alludere ad ritum Tragicum festi Prophetæ, cum repentinum impiorum exitium, diramque sortis eorum vicissitudinem descri-

scribunt. Ut Jerem. XII. 3. *Congregari eos quasi gregem ad victimam, & sanctificari in diem occisionis.* Sic Job cap. XXI. 30. *In diem perditionis servatur malus, & ad diem furoris ducetur, &c.* Quomodo hæc cum Sacæis conveniant, accipe *ex Dione Prusæo*, quem quidem iidem citant, quos modo laudavi, sed non exhibent locum integrum, neque id quod maxime in rem est: *Sacæorum festum*, inquit Diogenes ad Alexandrum, *quod Persæ agunt, an ignoras?* Roganti, *quale nam? Victorum*, ait, *aliquem & capitis damnatorum accipiunt, sublimatumque in regio throno, regioque cultu exornatum sinunt omnibus deliciis affluere, fruique per eos dies regiis pellicibus: denique quicquid allubescit, facere nemo prohibet: sed mox exuentes, flagellantesque suspendunt. Cujus hoc veris esse symbolum? aut quo fine a Persis institutum? Annon quod sæpe accidat, ut stulti pravique homines hanc dignitatem, nominisque axioma adipiscantur; deinde pauxillo tempore abusi per injuriam, turpissime ac infœlicissime pereant:* Addit, quod Josephi *Apion* Græco a Judæis capto, & ad piaculum saginato evenisse dixit, *rerum ignaris apud Persas accidere, ut ex vinculis repente in Thronum regium translati lætentur, seque beatos prædicent: Sed gnaros imminentis exitii, nullis capi voluptatibus, carcerem præferre solio regali, & pedicas aureis monilibus:* Hæc aureum illud os *Orat. 4. de Regno pag. 48. edit. Græca.* Sic *Mexicanos* ajunt captivos idolorum suorum ornamentis amicire solitos, & postquam mensem integrum omnibus honoribus ac deliciis cumulassent, publice spectatos, adoratosque interdiu, tandem solenni sacrificio mactasse, & devorasse, *vide parallella apud* Camerar. *Cent. 1. cap. LIX. & Stuk de Sacrif. loc. cit.* Ne te itaque decipiat, *dico cum Minutio Felice*, quod Deum nescientes divitiis affluant, honoribus floreant, potestatibus polleant: Miseri in hoc altius tolluntur, ut

decidant altius : *Hi enim ut victimæ ad supplicium saginantur; ut hostiæ ad pœnam coronantur.* In Octavio.

CAP. XXXI.

Saturnalia Romanorum.

PAuca delibo, quæ forte aliquid facient ad illustrandum illud Domini promissum, Luc. XII. 37. *Beati servi &c. Amen dico vobis, præcinget se & faciet ut discumbant, & accedens ministrabit eis.* Sic enim Dominis facere jus & mos fuit in Saturnalibus, in honorem & memoriam Saturni, aureique ejus seculi. Regni ejus tempora felicissima fuisse feruntur, cum propter rerum copiam, tum etiam quod nondum quisquam servitio vel libertate discriminabatur. Quæ res intelligi potest, quod Saturnalibus tota (aut tuta) servis licentia permittitur, *Macrob. 1. Saturn. cap. VII.* ubi plura & seqq. Sumebant servi herilem habitum, Domini vero obibant servorum λειτουργίας. *Lipsius ex Dione Hist. & Athenæo l. 1. Saturn. cap. 2.* Sed & Regem designabant servi aliquem, qui præcipere solebat: Tu bibe, tu pocula misce, tu expelle, tu discede, tu accede, *ut meminit Arrianus in Epictet. l. 1. cap. 25.* Inde jocus Senecæ in Claudium, *Saturni mensem toto anno celebrasse*; erat enim *servus servorum*, ut idem ait Narcissum ejus libertum fuisse *Domini dominum*, in Apocolocynthosi. Quid ergo? ad Saturnalia allusisse Dominum nostrum? Non dico: nam apud plerasque nationes similia festa agebantur, in quibus servi liberè agebant pari cum Dominis jure & voluptatum fructu. Talia enim fuêre Thessalorum *Peloria*, Cretensium *Hermæa*, Troezenorum *Panagyra*, Alex. ab Alex. Gen. Dier. l. II. cap. XXII. ex Athenæo l. XIV. ubi & de Persarum *Sacæis*, in quibus servi Dominis imperabant, & unus regium in modum cultus ac exornatus præerat,

Zoga-

Zoganem dicebant, de quo plura Vossius l. cit. & Selden. num. præced. Sed & apud Judæos puto aliquando similem morem fuisse, quorum *Purim* non admodum a Saturnalibus discrepat, de quo *Dn. Schikkardus peculiari libello, & Buxtorffius Synagog. Jud. cap. 24.*

CAP. XXXII.

Cristæ galearum.

APud omnes fere gentes tacito quodam consensu receptum jam olim fuit, ut milites *conos* galearum suarum *apicibus & cristis* quibusdam tegerent, *de quo Lipsius l. III. de Milit. Rom. & Alex. Neap. l. 1. cap. XX. ut & Tiraquellus commentator ibid.* Finem invenio varium. Nam præter ornatum erant cristæ 1. *documentum* generositatis, animi pugnacis, & quasi super hostiles acies pernici volatu ferri gestientis. Hinc illa epitheta: *excelso minitantes vertice cristæ: - Galeamque minantem quassat, &c.* Quamobrem pro cristis *ferarum hiantes rictus, & cornua* quibusdam fuere, quibus minitarentur bellatores, se adversas copias non protrituros modo, sed & quasi devoraturos. Sic enim milites illi glorioси, quibus tamen *nihil fuit præter Pisandri cristam & supercilium* sæpe, ut est in Proverbiis. Eo spectabant *equinæ jubæ* conis additæ, ut apud Claud.

——— galeæque minaci
Flava cruentarum prætenditur umbra jubarum.

Quodque rari & barbari exempli fuit, caput hosti desectum aliquando

Totaque detracta est capitis membrana resecti
Atque peremtoris nitido super addita cono,
Hostilemque comis galeam pendentibus umbrans
Præbuit infandi signum crudele triumphi.

Guntherus Ligurini l. X. v. 415. Ipse incessus militaris

in

in armis ad eandem aliquando metam collineabat. *Ita cristatis galeis coruſci Romani, vibrantes clypeos, velut pedis anapæſti præcinentibus modulis, lenius procedebant,* Ammian. Marcell. l. XXV. Qui *pompaticus ingreſſus*, ad numeros compoſitus, faſtuoſi ſpiritus præbet indicium, ut Eſa. III. 17. Amos. VI. 1. de quibus alias. Pertinet huc proverbium, *criſtam erigere*, id eſt, *ſupercilium, aut cornua tollere.* Deinde 2. inſignes criſtæ *diſcrimen* erant militum vulgi, & Ducum, aut nobiliorum. Sic *pavonina*, de quibus dixi, lib. III. cap. 22. ducum regumque geſtamen fuerunt. Sic Achillis galea - *ſtellarum inſtar fulgebat equina terrificante juba, diſtincta crinibus aureis: Mulciber hos paſſim interſperſerat arte frequentes*, Homer. Iliad. 19. De tali criſta accipio quod dixit Sidonius in Panegyr. avito ſcripto:

Includit ſuras ocreis, capitique micantem
Imponit galeam, fulvus cui creſcit in altum
Conus, & iratam jaculatur vertice lucem.

Galeam dicit *micantem*, auro & gemmis, *lucem iratam*, puniceam intelligo jubam, aut criſtam, aurcis comis & gemmis diſtinctam. Hinc 3. *Terror hoſti:* nam ut ait Syneſius de Calvitio: *Bellatores terrorem incutiunt hoſtibus galeis muniti:* eſſe autem, inquit, τὸ κράνος galeam, nomine & re κράνιον χαλκῆν, & equinis exornari jubis. Hinc Poëtæ dicunt.

Terrificas capitum criſtas, &
Terribilem criſtis galeam, flammasque vomentem.

Denique 4. *Superſtitio* acceſſit, ut Deorum Dearumve ſe conſecrarent tutelæ, quorum quarumve ſacrorum alitum pennis capita texerant. Sic *Moluccarum Reges*, de quibus l. III. c. 22. num. præced. cit. Eo refero vulgatam *Plutonis galeam*, quæ inviſibiles & inviolabiles præſtaret in prælio, quam Ariſtophanes vocat σκοτοδαισυπυκνοτρίχα, *hiſpidam denſis nigrantibus pilis*, de qua Eraſm. in Adag.

Et

Et credo fabulam ortam a *Galea illa salutis*, qua & Deus armatur, cum suis in auxilium properat, & armat eos, cum verbo suo de salute sua obsignat, Esa. LIX. 17. Eph. VI. 17. 1. Thess. V. 8. Verbum enim Dei tota fidelium est panoplia. *Ibidis pennæ* apud Ægyptios sacræ fuerunt, quod crederent, iis tactos crocodilos obrigescere, *Horus l. II. Hierogl. 81.* Mercurio dicatas docet *Ælianus in Hist. Anim.* quia bicolores, nigræ & albæ; nigræ sermonem significent ἐνδιάθετον, albæ προφορικὸν. *l. XV. ex interpret. Gillii cap. 20.* Diodorus Siculus narrat ex antiquis Ægyptiorum fabulis, sacrum cœlitus ab accipitre allatum librum puniceo circumligatum filo, ceremonias illorum continentem. Hinc scribas ipsorum sacros *licium purpureum, & accipitris alam* in capite gestare, de quo Caussin. ad Horum pag. 87. & 116. Quæ ad illustrandum faciunt.

CAP. XXXIII.

Galeæ Cornigeræ.

AMos. VI. 14. *Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Gloriatio est Ephraimitarum, vel decem Tribuum. Jactant superbi de domo Josephi principes robur & potentiam, qua regia dignitate macti, facilemque hostium victoriam non semel nacti sint. Veni, vidi, vici! Nihil hic Deus! sine cujus numine nihil tamen editur ἀξιάκουστον, ut ait *Cyrill. h. l.* Quanto aliter pii? *In te ventilabimus inimicos nostros cornu!* Psalm. XLIII. 6. ibid. Ergo *cornua* apud Amosum vel divitias exponunt, *ut Chaldæus*, vel regnum, vel victoriam &c. In quem postremum sensum quadrat illud Ovidianum:

Vicimus & domitum pedibus calcamus amorem:
Venerunt capiti cornua sera meo.

l. III. Amor. Eleg. 10. Ego observo 1. Prophetam *cornua*

nua dicere numero duali, *karnaim*, q. duo depingat. 2. Fortitudinem & robur, quæ alias cornu dicuntur usu sacro passim, a cornibus hic distinguere, *ut causam mediam ab effectu.* 3. *Metaphoram* peculiari ratione, quia de familia Josephi Ephraimitica, penes quam decem Tribuum regnum erat, sermo fit, *petitam* ex oraculo Mosaico, in quo Josephus Primogeniti *tauri decorem & Reem id est Rhinocerotis cornua habere laudatur*, Deut. XXXIII. 17. Jam 4. Usitatum esse, ut Prophetæ *ad insignia Regum gentiumque* alludant, præsuppono, de quo quædam dixi in Joëlis cap. II. 3. Unde concludo 5. ut *ad Leonem*, qui Tribus Judæ insigne fuit, Prophetæ sæpe; sic Amosum *ad cornua tauri*, aut forte *Monocerotem* Ephraimiticæ Tribus insigne alludere. Nec dubium mihi, quin & in Galea Regum ejus Tribus cornua fuerint, ferro aut ære laborata, ut Zachar. I. 18. Qua de causa 6. Sedecias filius Chanaana, Pseudoprophetes, & ut apparet reliquorum in isto regno Alpha, *ferrea duo cornua* capiti suo imposuit, Regis sui, cui assentabatur, insignia manifeste exprimens, 2. Paral. XVIII. & 1. Regum XXII. Accedit 7. quod observavit Lipsius, *ubi num. præced.* a galeis earumque λόφους multifariis ortas esse *picturatas in clypeis galeas, in quibus cristas, cornua* & alia id genus visere est. Unde non improbabile, Reges de Ephraimitica Tribu in clypeis, in vexillis, & alibi pro insignibus habuisse picta vel capita tauri cornuti, vel Monocerotis, cum cornuto naso: & in capitibus gestasse galeas ad eandem figuram. Denique 8. illustro ex historia profana. Eccam!

CAP. XXXIV.

Alexander Macedo Bicornis.

ITa ab Arabibus nomine proprio dicitur *Dulcarnaim*, & nomine compositio, *Dulscender*, quasi dicas: Alexander

der ille διπρόσωπος. Cur ita? Varias etymologias ex Arabibus, Græcis Latinisque scriptoribus exponit *Hottingerus Historiæ Orient. l. I. cap. III. pag. 73.* Sed inter ceteras vero proxima & ad rem nostram est, quam insinuat *Beidavi Alcorani interpres:* Quia habuit duo cornua, id est, duos cirrhos, aut *quod ejus corona* [quid si galea potius?] *fuerit bicornis.* Consentit quod *Ephippus Olynthius* de Alexandri & Hephæstionis obitu narrat: *Sæpe Alexandrum in conviviis purpuram Hammonis & cornua indutum fuisse.* Et Clemens Alexandr. in Protrept. *Volebat*, inquit, *Jovis Hammonis filius haberi, atque ideo κερασφόρος & ἀναπλάπτος ὑπὸ τῶν ἀγαλματοποιῶν Corniger fingi a Statuariis, humanum decus opprobrio afficiens cornu*, quod nempe bestias potius decet, *p. Græcæ Edit. 16.* Habes & rem, & rei causam. Sed unum torquet adhuc: *Hammon cum cornibus jam fingitur & formatur arietinis*, ait Arnobius lib. VI. & vulgatum est. At *cornua hircina* gestasse pro insignibus Alexandrum credibilius. Quia Pyrrhus Epirotarum Rex, qui armis & manu dicitur repræsentasse Alexandrum, apud *Plutarch. in vita Pyrrhi*, cristas insignes & *cornua hircina* in casside gestavit, *Idem ibid.* Unde & *hirco caprarum* Alexander præfiguratus, alludsumque ad hæc ejus insignia, Dan. VIII. 5. & 21. ubi *aries bicornis* Persarum Regis typus, qui *aureum capitis arietini figmentum, interstinctum lapillis, pro diademate gestare solitus*, Ammian. Marcell. l. XIX. *Persarum Reges*, ait Petrus Ravennas Chrysologus serm. CXX. *nunc subjecta pedibus suis sphæra*, ut polum [lego: *polorum*] *se calcare vices mentiantur; nunc radiato capite, ne sint homines, Solis residentin figura: nunc impositis sibi cornibus, quasi viros se esse doleant, effœminantur in Lunam: nunc varias velut siderum sumunt formas, ut hominis perdant figuram, & nihil supernæ claritatis acquirant, &c.* Ubi obiter nota: ut Alexander, quo se

Jovis

Jovis Hammonis mentiretur filium, arietina vel hircina fronte præferebat cornua; sic Persarum Reges, *qui se Solis & Lunæ fratres scribebant*, nunc caput radiatum, forte arietinis cornibus, qualia Soli appicta, nunc tauriforme gestabant. Adde his *Castores*, quorum capita *Cassides æratæ stellarum apicibus insignes contegebant.* Apul. X. Metamorph. sub fin. Thraces in galeis habebant æratis *aures & cornua bovis cornupetæ*, Herodot. l. VII. Ægyptii quoque Reges pro insignibus leonis, taurive, aut draconis imaginem, quin & ignem arboremve in capite ferebant, *Diodorus Sic. l. II. c. 2.* Quo allusum Ezech. cap. XXXI. & XXXII. videri potest.

CAP. XXXV.

Cornea vascula, somni cornu.

UT in profano usu crebra fuere *cornea pocula*, labris aureis aut argenteis, *de quibus Athenæus & Stukius Con. Antiq. l. III. cap. 12.* aliaque id genus vascula, *vide Langi Epist. Med. 29.* Sic in sacro fuit *cornu*, e quo oleo consecrato Reges inaugurabantur, 1. Sam. XVI. 1. 13. 1. Reg. I. 39. Tale cornu tribuunt Poëtæ somno.

Somne Pater, Somne omnipotens, te Colchis ab omni
Orbe voco, clamat Medea apud Valer. Flacc. l. 8.
Quæ freta sæpe tuo domui, quæ nubila cornu,
Fulminaque & toto quicquid micat æthere.

ubi tamen *Delrio l. III. Disquis. p. m. 357.* frigido glossemate in margine locum obscurat potius, quam dilucidat. *Nota*, inquit, *cornu, pro potentia & robore.* Nam ad picturam Somni allusio est. Pingitur autem ille manu altera ramum ferens lethæo rore madidum, aut succo papaveris, hoc quasi *adspergillum* est; altera gestat *cornu* e quo ista spargit, & eo velut poculo inebriat, quos humen-

humentibus alis complectitur, & domat. Hæc ex iis clara, quæ subjungo.

Ecce Deus ramum Lethæo rore madentem
Vique soporatum stygia super utraque quassat
Tempora, cunctantique natantia lumina solvit:

Virgil. l. V. Æneid. Ita Statius l. X. pingit *somnum tapetis incubantem in nigra, sua*, quam describit, *aula:*

— manus hæc fusos a tempore lævo
Sustentat crines, hæc cornu oblita remisit.

Qui & l. V. Silvar. orat. pauxillo adspergi rore, ut liceat indormiscere.

— nec, inquit, *te totas infundere pennas*
Luminibus compello meis: hoc turba precatur
Latior, extremo me tange cacumine virgæ.

Sic apud Silium l. X. *— quatit ille soporas*
Devexo capiti pennas, oculisque quietem irrorat.

Sed & Prudentius hymno VI. de dormientibus:

Mens æstuans procellis
Curisque fauciata,
Totis bibit medullis
Obliviale poclum, &c.

Confer *Ovid. 11. Metamorph. Cœl. Curion. Hierogl. de Deorum simul. Antonii de Verdier Gallicum Lobrum*, Les Images de Dieux *pag. 395.* Quæ faciunt ad illustrandum quod Zacharias c. XII. 2. de *grandi poculo soporis* habet, quo hostes Ecclesiæ inebriati ferreum somnum dormiunt, ut Sissera poculo soporifero Jahelis, Judic. IV. 20. Vide Versionem Tremellii in Zach. l. cit. Sed addo δευτέρας φρενήδας.

CAP. XXXVI.

Poculum Soporis.

Conſtituam, inquit ὁ παντοκράτωρ, *Ieruſalem pelvem*, ſcyphum, calicem *Soporis* [ita enim Hebræi vertunt doctiores, quod habet Propheta *Soph- rahal*] *omnibus circumcirca gentibus.* Quæro unde petita metaphora? Audio reſpondentem Cornel. a Lapid. *eſt*, inquit, *metaphora a calice aureo, optimo vino pleno, ſed venenato, ad quem certatim accurrunt ſitibundi, ſed mox ut eum guſtarint, tremere, ſtupere, animam agere incipiunt.* Illuſtrat *Babylonis aureo calice* Jerem. LI. 7. In eundem ſenſum D. Tarnovius. Nec improbo. Sed ad hiſtoriam aliquam alluſum ſimul arbitror. Quamnam illam? Fuit frequens admodum ſtrategema vino ſopire hoſtes, ut ſecuri cæderentur, eoque aliquando venenato. Nam ut vino domiti ſæpe in hoſtium venere poteſtatem: Sic Troja capta eſt,

Quum inter ſepultos Priamidas nocte & mero
Danai relaxant clauſtrum & effundunt viros,

ex equo ſuo Durateo, *Petron. Satyr:* &, ut mox addit, *mero graves obtruncant, & in mortem ultimam ſomnos continuant.* Sic Syracuſæ a Marcello, quo tempore cives diem Dianæ feſtum agentes vino ſe & ludis dediſſent, *Plutarch. in Marcello.* Sic Monachi Amidam perdiderunt, Cabadi Perſarum Regi capiundæ occaſione præbita, cum ebrii poſt feſtum diem actum ſomnoque ſepulti jacerent in turri munitiſſima, quæ cuſtodiæ eorum tradita fuerat, *Procop. 1. Belli Perſici, &c.* Ita opera data ut vino prius caperentur, quos in cædem deſtinaverant callidi duces. Notiſſima eſt *Cyri hiſtoria.* Tranſierat Araxem, & in Scythiam aliquantiſper proceſſerat. Tomyris Scytharum regina adoleſcentulum filium

filium cum tertia parte copiarum obviam misit. Cyrus simulato metu castra deserit, vini affatim, & quæ epulis necessaria erant, relinquit. Adolescens rei militaris ignarus, velut ad epulas non ad prælium venisset, omissis hostibus, insuetos Barbaros vino se onerare patitur: priusque Scythæ ebrietate, quam bello vincuntur, &c. *Justin. l. 1. Histor. cap. 8.* Erat hæc res gesta, si tamen ita gesta, nam de Cyri morte aliter *Ctesias apud Photium*, aliter *Xenophon*, in omnium ore eo tempore, quo scribebat Zacharias. Accipe recentius exemplum. *Maharbal* missus a Carthaginensibus adversus Afros rebellantes, cum sciret gentem avidam esse vini, magnum ejus modum Mandragora permiscuit: cujus inter venenum & soporem media vis est. Tunc prælio levi commisso, ex industria cessit. Nocte deinde intempesta, relictis intra castra quibusdam sarcinis, & omni vino infecto, fugam simulavit. Cumque Barbari, occupatis castris, in gaudium effusi, medicatum avide merum bibissent, & in modum defunctorum strati jacerent, reversus cepit eos, & trucidavit, *Frontinus l. II. Strategem. c. 5.* Simile habes apud *Polyænum l. III. Strateg.* Hæc sufficiunt. De Mandragora, quæ Hebræorum *Dudaim est*, Gen. XXX. ejusque virtute soporifera, multa *Stukius l. III. cap. 8.* Vinum animos nostros rigans curas & molestias sopit, ut homines mandragora, hilaritatem vero excitat, ut oleum flammas, *Socrates apud Xenophont. & Athen. l. II.*

CAP. XXVII.

Ierusalem Pelvi similis.

Observo: quod ut Zacharias *pelvim* vocavit urbem sanctam, sic eadem dicta sit *Olla* ab Ezechiele c. XXIV. 6. & pars ejus inferior, in false sita, *Pila*, id

est mortarium, Zephan. I. v. II. Est enim *Pila vas concavum, & medicorum aptum usui, in quo proprie ptisanæ feriri solent*, Hieron. in Zephan. in quali Anaxarchus contusus a Nicocreonte Cypriorum Tyranno, Laërt. l. 9. Unde Ovidius in Ibin:

Atque ut Anaxarchus pila minuaris in alta
Iactaque pro solitis frugibus ossa sonent.

Vide nunc, an non venuste *cum pelvi* comparata Jerusalem, quod ei esset ex maxima parte assimilis? Sic urbes regionesque ab historicis variis rebus aut animalium formis assimilatæ, ut docet *Piccartus Decad. XIV. Observ. cap. 5.* cui hæc loca adjicio. *Ægyptus* Nilo undique cincta in modum literæ *Delta* formata est, centum millibus villarum incluta, *Honor. de Imag. M. l. 1. cap. 18. & cap. 28.* Antiqui civitates secundum præcipuas feras, ob significationem, formabant. Unde Roma *formam leonis* habet, qui cæteris bestiis quasi rex præest. Brundusium formam *cervi*, Carthago *bovis*, Troja *equi* figuram habuit. Sic apud Pompon. Melam Peloponnesus *platani folio* similis; Sicilia Græcæ literæ imaginem, quæ *Delta* dicitur, efficit: Sinus Persicus reddit formam *humani capitis*. Eustathius in Dionys. Periegesin: Scias, inquit, quod quemadmodum Pontus Euxinus *arcui Scythico* comparatur, sic alia loca aliis similia. Historici Ægyptum *Deltotum* triangularem vocant. Alexandriam *chlamydi militari* comparant, Italiam *hederæ*, Iberiam *pelli bovinæ*, Naxum *pampino*, Peloponnesum *platani folio*, Sardiniam *vestigio hominis*, Cyprum *velleri*, Libyam *figuræ Trapeziæ*, quadrato oblongo, de quibus sigillatim e variis Dn. Piccartus. *Sic Albricus Gentilis in descript. Moroniæ l. III.* Belgium ait *leoni*, Peloponnesum *platani folio*, Italiam *tibiæ mortui hominis*, *corio bubulo* Hispaniam, utramque peninsulam orbis Atlantici *piscium pulmonibus*,

bus, Asiam *Crocodili pelli*, assimilata. Subiit in memoriam historia cum hæc scriberem. *Fuit Dinocrates* [quem alii *Stasicratem* vocant, fabrum ferrarium, gente Bithynum ait Tzezes, Chiliad. VIII. v. 410.] celebris architectus tempore Alexandri Magni, qui Regi promisso splendido adulatus, fingere se velle eum dixit κινέντα γῆν καὶ θάλασσαν, moventem terras & maria. Nam ad Regem cum perveniisset, dixit: Se Dinocratem esse, & rem regiis curis dignam afferre: se animo talem montis Atho concepisse formam, ut instar viri, dextra pateram teneret, quæ omnium ex eo monte emanantium fluminum undam exceptam in mare effunderet, sinistra amplissimæ civitatis ferret mœnia. Sed cum nulli essent agri circa, qui possent eam urbem tueri, laudavit Alexander quidem ortsa Dinocratis, ceterum nec infantem sine nutricio lacte; nec urbem sine agris & eorum fructibus posse crescere respondit, *hæc Vitruvius l. II. Archit. in Præf.* Talis est Babylon mystica, aquis & regnis imperans Apoc. XVII. 15. Sed nulli circa agri divinæ sementis feraces. Usus tamen Alexander opera Dinocratis in condenda Alexandria. Ejus situm & figuram describpturi Architecti, cum non esset in promptu creta, *polenta* in solo nigro *delineaverunt* rotundum Sinum, cujus interiorem superficiem rectæ bases, quemadmodum a fimbriis, figura chlamydis solet duci, æqualem ad magnitudinem perducebant. Eam figuram cum magnopere probaret Rex, subito omnigenæ & innumeræ aves a flumine & lacu, nubis instar, locum occuparunt, atque ita polentam depastæ sunt, ut ne tantillum quidem relinquerent. Perturbatum eo augurio vates confirmarunt, urbem locupletissimam, & quæ omnigenum hominum alumna foret, condi ab eo dicentes, *Plutarchus in Alex. M. ex vers. Xylandri.* Meminit *Ammianus Marcell. l. XXII. sub fin.* Alexan-

dria, inquit, vertex est omnium civitatum, quam multa nobilitant, & magnificentia conditoris altissimi, & architecti solertia *Dinocratis*: qui quum ampla mœnia fundaret & pulchra, penuria calcis, id momentum parum repertæ, omnes ambitus lineales *farina respersit*: quod civitatem posthæc alimentorum uberi copia circumfluere fortuito monstravit indicio. Sic Jerusalem illa mystica farinula Prophetica delineata, mater & nutricula omnium gentium evasit. *In monte Sion septem fuerunt Synagogæ, ubi Judæorum populus conveniens legem DEI per Mosen datam discere potuisset. Ibi nulla lex audita est, nec ab aliquo celebratum judicium, nec est aliqua illic ab ullo judice lata sententia. Quia locus erat doctrinæ, non controversiæ. Post doctrinam si quid agendum erat, intra muros Hierusalem agebatur. Unde scriptum est in Isaia: de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Optat. Milevit. adversus Parmenion. lib. III.

CAP. XXXVIII.

Mos vetus exiliendi sub precationis finem.

Gaudete & saltate! Luc. VI. 23. σκιρτᾶν proprie pecudum est lascivientium, ut Psal. CXIV. 4. 6. Sap. XIX. 9.

——— ——— *exilat agnus*
Lascivitque fuga, lactantiaque ubera quærit.

Jubet ergo Dominus oves suas, Deo Pastore securas, inter omnia mundi adversa, exultim ire, plenas bonarum spem, & desiderii cœlestium præmiorum. Quo fine mos fuit, dignus notatu, *ut preces finirent suas veteres Christiani cum lata exultatione.* Autor est antiquissimus

quissimus Clemens Alexandrinus Stromat. VII. nam cum docuisset, omnem etiam ἐνδιάθετον ὁμιλίαν exaudiri a Deo, subtexuit. *Ea propter & caput elevamus, & manus in cœlum tollimus, & pedes excitamus ad ultimam precationis συνεκφώνησιν, quasi sequuti spiritus promtitudinem, ad illam solo intellectu apprehendendam essentiam, corpusque cum precatione e terra abducere tentantes: Animamque desiderio meliorum alatam sublimem facientes, cogimus ingredi in Sancta, generose despecto hoc carnali vinculo. Scimus enim bene, fidelem τὸν γνωστικὸν*, ut vocat, *non minore cum alacritate mundum hunc omnem transilire, quam olim Judæos Ægyptum, ut perspicue demonstret, quod quam maxime propinquus futurus sit Deo.* Ac quod de capitis manuumque elevatione dixit, testatissimum est. *Illuc in cœlum suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus, &c.* Tertull. Apologet. cap. XXX. Sed *de subsultatione* ista non æque multa legas. Plausum dantium gestus erat. Unde illud Varronis in γνῶθι σεαυτὸν: *Non subsilies & plaudes, & ab Arato posces Astricam coronam?* Cum Augusto spectante ludos pronunciatum esset in mimo: *O Dominum æquum & bonum!* universi, quasi de ipso dictum, *exsultantes comprobarunt*, Sueton. Sed a Judæis mos hic in Ecclesiam derivatus. Illi etiam nunc ad finem precum matutinarum, cum ad hanc pervenerunt clausulam: *Qui Superis dat pacem, nobis & toti Israeli pacem det, Amen!* per tres passus *retro resiliunt*, quod si in conferto cœtu resultandi facultas non sit, *ter subsiliunt*, ut docet cap. V. Synagogæ Dn. Buxtorff. Monet mos iste qua cum fidei lætitia, qua cum elevatione mentis ad Deum, quo cum desiderio dicendum sit *Amen!* Nec minore cum devotione voluit orari a suis Diabolus.

Hinc *de Iamblicho* suo refert Eunapius Sardian. in vita ejus, *eum de terra inter precandum fuisse nonnumquam sublatum* πλέον ἢ δεκα πήχεις. Quanquam simile quid de Xaverio & Dominico narret Cornel. a Lap. *Spiritu secum rapiente corporis molem, inter cœlum & terram pendulos orasse*, in Procem. in Minor. Prophet.

CAP. XXXIX.

Musicæ usus in Præliis & Triumphis.

CUm *Tympanis & citharis* ! Esa. XXX. 32. Lætissimum suis annunciat Propheta Evangelium *de excidio Assuris*, cujus tyrannico dominatu tum terrebantur. Debellandum esse *cum tympanis & cytharis* hostem ferociſſimum, armorum præsidiis superbissimum. Putant Interpretes alluſum *ad morem triumphantium*, quos e prælio reversos, re feliciter gesta, virgines Israelitides variorum Musicorum instrumentorum modulis solebant excipere. Testimonia exstant clarissima, Exod. XV. 20. Judic. XI. 34. 1. Sam. XVIII. 6. 2. Paralip. XX. 28. Sic in Græcia *inter Hieronicas*, qui Periodo vicissent, [in omni certaminum genere] *cantulyraque pronunciati*, palmam altera manu gestabant redeuntes, tanta victricium civitatum cum gratulatione, ut multa passuum millia *civium suorum portarentur manibus, ne omnino terram contingerent, &c.* Alex. Sard. de Morib. Gent. l. III. cap. 24. Natal. Com. l. V. Mythol. cap. 4. Quod obiter inspergo, cum faciat ad illustrandum illud, quod David victoribus Dei athletis pollicetur, Psalm. XCI. 11. 12. *In manibus portabunt te, &c. De triumpho Scipionis refert* Appianus Alexandr. l. 1. de Bell. Punic. ante currum Imperatoris in pompa præcessisse *chorum*

rum Citharistarum & Satyrorum, tibicinum, Ethrusco more cinctorum, aureisque coronis ornatorum &c. Sed mihi verisimile fit, usos etiam Musica sacra *in præliis ipsis* Israelitas, Levitis circum Arcam fœderis fidibus, tibiis, & assa voce hymnos Deo Bellatori concinentibus, quod colligere est Num. XXXI. 6. Jos. VI. 4. 1. Sam. IV. 3. 4. & XIV. 18. 2. Sam. XI. 11. Sic LXX. in Esai. l. c. satis aperte: *Ipsi enim tympanis & citharis pugnabunt contra eum.* Interp. Hieronymo. Sic electi & *classicum* canunt contra Antichristum Apoc. XIV. 2. & *epinicium*, cap. XV. v. 2. 3. Sed & typus Assuris videtur exigere. Diaboli enim potentia victa, regnumque ejus eversum est, solo evangelii tympano, citharæque modulis. — *Solo venit victoria cantu*, ut de Gedeone cecinit Sidonius Apollin. in Eucharist. ad Faust. Regiens. Similem variarum gentium consuetudinem perstringit Musica ipsa apud Martian. Capellam perorans l. IX. *Quid, quod bella victoriæque undique meis cantibus conquisitæ. Nam Cretes ad citharam dimicabant: Lacedæmonii ad tibias. Nec aggrediebantur fata prœliorum, priusquam illis contingeret litare Musis. Quid Amazones? nonne ad calamos arma tractabant? Quarum una, quæ concipiendi studio venerat, cum Alexandrum salutaret, donata tibicine, ut magno munere gratulata discessit. In Italia Tibaritas tibicines ad prœlia præire quis nesciat? &c.* Athenæus: *Fortissimi Lacedæmonii cum tibia sub signis sunt: Cretenses cum lyra: cum fistulis & tibiis Lydi*, ut scribit Herodotus. Ex Barbaris multi *legatos ad hostes cum tibiis & cithara mittunt*, ut eorum infestas mentes emolliant. Quod Getas factitasse ex Theopompi lib. XLVI. Histor. probat, & placuit inserere, quia ad legatos Domini, Apostolos, quadrat, ex lib. XIV. Dipnosophist. Audiamus ergo hic in castris citharas & tympana Dei, ac fortiter

audeamus : sic in æterno triumpho concinemus quoque epinicia. Ad rem Moschus in Prato Spirituali : Athanasium quendam Abbatem, tacite aliquando cum animo suo mussantem : *Quid putas erit certantibus, & non certantibus?* repente extra se positum, visum sibi adstitisse januæ cuidam speciosissimæ, in loco lucidissimo, & audivisse chorum numerosissimum Deo Psallentium : Pulsanti vero & ingressum postulanti, responsum a quodam intus : *Nemo huc introibit negligentiæ deditus. Si intrare vultis, ite, certate. seculi vanitates spernite!* cap. CXXX.

CAP. XL.

TRIVMPHVS Iudæorum, Romanorum CHRISTI Iesu!

Captivam duxit captivitatem. Eph. IV. 8. Sensus est ex Hebraismo : *Multam in triumpho duxit captivorum turbam.* Quorumnam? duæ sunt sententiæ. 1. Chrysostomi : *Tyrannum accepit captivum, Diabolum & mortem, maledictionem & peccatum.* Ὁ ῥᾳ̃ς σκῦλα καὶ λάφυρα viden' hic prædam & spolia? Hom. XI. h.l. 2. Fideles alii volunt intelligi, quos prius illa tyrannis captivos tenebat, *non actu sed reatu*, in infernali carcere. Nam de patribus è Limbo eductis piget meminisse : Vide h. l. Estium. Prior utique verior & textui concinnior : utraque tamen ex Triumphandi more. Qualis ille apud Romanos fuerit vulgatissimum est. *Plutarchus* pingit *in Æmilio Probo*, de Perseo triumphante. Si videre velis in brevi tabella, en eccum 1. Populum spectantem alba veste puraque indutum, Templaque omnia aperta, sertis & suffitibus referta. 2. Fercula innumera spoliorum, quæ inter statua captiva, arma, opes, opera ab hostibus parta, spectatu digna. His tum spectaculis biduum

duum impensum. Tertio die demum Triumphator urbem ingressus est. 3. Pompa præcessit currum triumphalem; tubicines classicum canentes: victimarum apparatus, centum viginti tauri auratis cornibus, mitris sive vittis, sertisque ornati: thesaurus Persei pretiosior, ejus currus & arma cum super imposito Diademate: denique captivi, Regii liberi, Rex ipse, turbaque familiarium & amicorum: prælatæ currui coronæ aureæ, donatæ ab amicorum legatis, victoriam gratulatum missis. Ipse purpuram auro intertextam indutus, dextra lauri frontem gestabat Æmilius. Sequebantur milites lauro coronati, pæanas concinnentes, & patria alia carmina, jocis & risu mistis. Eadem fere *Appianus loco superius cit.* Coronatur pompa universa, præcedunt tubicines, & plaustra spoliis onusta: traducuntur captarum urbium simulachra, &c. Post coronæ Imperatori donatæ, boves candidi & elephanti, duces captivi, lictores paludati, musici, ludiones, & inter eos mirus gesticulator ad captandum risum; Dehinc qui suffitum spargebant, & tandem Imperator in curru picturato, corona aurea gemmata redimitus, toga clavata purpurea vestitus, gestans manu sceptrum eburneum & virgam lauream. Eodem curru vecti liberi, pueri, virginesque & in equis jugalibus adolescentes gentiles: juxta, Imperatoris scribæ, apparitores, armigeri: Pone milites laureati, sua fortissimi quique gestantes dona militaria. Tandem Capitolium adscensum, præbitumque amicis in Templo epulum. Alia addunt alii, quæ referre fusius non vacat. Id autem præterire non debeo: liberatos ex hostium vinculis & potestate cives, sequi solitos currum, *pileatos & rasis capitibus*, more servorum, libertate per manumissionem donatorum, *vide hæc & alia apud Alex. ab Alex. l. VI. Gen. Dier. cap. 6. & Tiraquell. ibid. ut Dempster ad Rosin. Antiq. Paralip. cap. XXIX. lib. 10. &c.* Non absi-

abſimilem triumphandi ritum antiquiſſimo more apud Judæos fuiſſe receptum, & exemplo manifeſtat David, 1. Sam. XXX. 20. & Pſalmo triumphali, LXVIII. ex quo locus citatus Eph. IV. 8. qui vel ſolus indicat & adſcenſum in montem Sionem, & captivorum & ſpoliorum traductionem, & miſſilia in vulgus ſparſa, aut dona militibus & amicis diſtributa. Quorum quædam, ut & alia huc ſpectantia, ne longior ſim hic, ſuo loco exponentur. Facit huc triumphus Domini in ipſa cruce, elegantiſſime depictus ab Ambroſio. *Nunc*, inquit, *quoniam Trophæum jam vidimus, currum ſuum Triumphator adſcendat: non arborum truncis, aut quadrijugis plauſtris manubias de mortali hoſte quæſitas, ſed patibulo triumphali captiva de ſeculo ſpolia ſuſpendat. Non hic revinctis poſt tergum brachiis gentes, nec exciſarum urbium imagines, oppidorumque captorum ſimulachra cernimus, aut ſubmiſſa captivorum Regum colla miramur, qualis humanorum ſolet eſſe ſpecies triumphorum, nec victoriæ terminos regionis fine diſtinctos, ſed ovantes populos nationum, quæſitos non ad ſupplicium, ſed ad præmium: Reges liberis affectibus adorantes: Voluntariis urbes ſtudiis deditas, & in melius reformatas imagines oppidorum, quas non fucus expreſſerit, ſed devotio coloraverit: fidei arma, victoriarumq; jura toto orbe currentia: captivum Principem mundi, & Spiritualia nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibus, obedientia imperio vocis humanæ: ſubditas dominationes, variarumque virtutum ſpecies, non ſericis, ſed moribus emicantes. Fulget caſtitas, fides ſplendet, & induta mortis exuviis devotio fortitudinis, &c. mox: Solet præcedere pompa victores: At vero currum Domini triumphalem præibat bona pompa reſurgentium defunctorum. Solet etiam titulus ſubjugatarum gentium numerum deſignare: Sit in illis triumphis, ordine quodam digeſta miſerabilis, devictarum præeuntium contumelioſa captivitas nationum;*

num; hic redemtarum gentium vernat gratia. Digni tanto triumpho jugales, ut cœlum, terra, maria, inferna a corruptela mutentur ad gratiam, hæc ille lib. X. in Luc. cap. 23.

CAP. XLI.

Mos Reos solvendi e vinculis die Festo.

E *Duxisti vinctos tuos de lacu*, Zach. IX. 11. alludit, *ad lacum Carceris* Jerem. XXXVIII. 6. cui simile apud Athenienses *Barathrum*, vide quæ notavi ad h. l. in Passionali: & ad eductionem ex Ægypto, quam liberationis per Messiam futuræ typum fuisse, non dissimulant Verparum Magistri, vide ibid. p. 331. in Agno Paschali. Hinc mos ortus, contra legem tamen, & ex populi libidine, ut die Paschali, à senioribus suis, ut & deinde a Romanis magistratibus peterent aliquem ex reis capitis solvi & liberari, Matth. XXVII. 15. Sic enim communior habet sententia. Nam quod *Grotius* a Romanis cœpisse vult, qui *Lectisternii* indicti diebus vincula reis exsolverint, quos deinceps iterum vinciri, quibus eam opem Dii tulerint, religio vetaret, *ex Livii lib. V.* tam mihi non probat, quam si quis *Purim festi* cerimonias ab iisdem velit petitas, aut *Scenopegiorum*. Nam in illis fiebat quodammodo, quod per octo Lectisterniorum Romanorum dies: *Tota urbe patentibus januis, promiscuoq; usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt, & cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos, jurgiis ac litibus temperatum*, Livius ibid. Cur non *a Græcis, ab Ionibus* vicinioribus? Si peregrini Ephesum venirent, Sacra Dianæ facturi, sacerdosque ejus laureatus in forum adventaret,

in Templum ad rem sacram introducturus, abstinere tantisper a supplicio oportebat, dum sacrificium esset peractum, vinctisque dempta sunt vincula, *refert Achilles Statius l. VII. de Clitop. & Leucippe.* Quo die *puppim ejus navis*, quam Athenienses mittunt in Delum, more a Thesei temporibus profecto, ex ejus voto, cum salvus revertisset cum comitibus bis septem ex Creta, *Apollinis Sacerdos coronabat*, lustrabatur urbs, nec publico quisquam afficiebatur supplicio, donec ea navis & Delum pervenisset, & Athenas rediisset, ut est apud *Platonem in Phædone.* Sed & alias religionis causa capitis damnati pœnæ exemti, vinculisque exsoluti: Ut si quis *apud Phliasios in Hebes Templum* confugisset: is enim criminum impunitatem consecutus *vinculaque*, si vinctus fuisset, ademta in cupresseto, quod ædem ambibat, *ex arbore aliqua Deæ suspendens*, liber abibat, *Pausanias in Corinthiac. l. II.* Inter Flaminis Dialis *castus* erat; *vinctum, si ædes ejus introierit, solvi necessum est, & vincula per impluvium in tegulas subduci, atque inde foras in viam dimitti. Si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes ejus supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est*, Fabius Pictor l. I. A. Gell. X. c. 15. Vestalis reo ad supplicium ducto fortuita obviam facta, pœna eum liberabat, *ex Plutarcho Lipsius de Vesta lib. cap. XI. &c.* Hæc talia an ex antiqua traditione, de liberatione hominum ex damnationis ergastulo, introducta: an vero ratione inventa sint, quod Deum propitiaturos deceat hominibus se placabiles exhibere, honoremque habere sacris locis & antistitibus, nostris ad Deum deprecatoribus, hunc conveniat? dictu non facile est. Ratio suasit *fundendum esse merum Genio, non hostiam faciundum*, ut ait Censorinus de Die Nat. cap. II. Quam Varronis sententia exponit: *Id moris institutique majores nostri tenuerunt, ut cum die Natali Genio munus annale solverent, manum a cæde ac sanguine absti-*

abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent, in Attico. Sic de Quinquatribus Ovidius 3. Fastor.

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro;
Causa, quod est illa nata Minerva die.

Quorsum ista? ut & Domini beneficium agnoscamus, qui nos e mortis Sathanæque vinculis exemit, & officium facere discamus: Rei ad unici Sacerdotis nostri pedes procumbamus supplices: soluti, compedes in veræ Hebes, *Juventam* dicebant Romani, æde, grati æternum vernante memoria, suspendamus; denique qualem erga nos Deum & fuisse prædicamus, & semper esse desideramus, tales nos fratribus exhibeamus. Quamobrem sancte institutum fuit a majoribus nostris, priscis Christianis, ut die Paschali dimissis captivis carceres reclusis januis paterent, ac *cella illa gemituum, tristitiæ domus, apud superos Plutonis hospitium locus perpetua nocte cœcatus, aliquando infusione lucis albesceret*, ut de hoc ipso more loquitur Cassiodorus, quem vide l. XI. Var. Epist. 40. *Hodie patent carceres*, exclamat Cyprianus, *de Unct. Chrism.* vel æqualis ejus, quisquis fuit, *auctor de Cardin. Operib.* Exceptis tamen certis criminibus, ne impunitas esset illecebra peccandi, quod ex Impp. Valentiniani, Theodosii & Arcadii rescriptis liquet, *de quibus Grotius & Dn. D. König in Casib. Consc. Catech. pag.* 565. ubi de more Venetorum, quo, si quis ex debito summam quinquaginta florenorum non excedente, in carcerem sit conjectus, die Paschali liberatur; dimidium debiti exsolvente Magistratu, reliquum condonante creditore. Sic Christiani duce recta ratione, a qua longe aberrevit mos Judæorum impius, cui cessere tamen Romani Præsides ex κακοηχνία illa πολιτικῆ, ut pristinæ libertatis aliquam concederent umbram populo

duce

duræ cervicis, ut servitutem minus sentirent. *Sic enim quasdam gratias præstant gentes iis, quos sibi subjiciunt, donec confirmetur super eos jugum ipsarum*, ut scite dixit Origenes in Matth. l. cit.

CAP. XLII.

Ἀνθρωποφάγοι, carnis humanæ dulcedo.

Appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas, Psalm. XXVII. 2. Metaphoram ab immanissimis feris ductam interpretes putant, ex usu Scripturæ, vide Jerem. L. 17. & LI. 34. Ezech. XIX. 3. 6. ubi ea ratione *Tyranni leonibus* comparantur, ut alibi homines improbi, avari, impotentes, qui vi, fraudibus, *calumnia*, id est, *malitiosa juris interpretatione*, ut vocabulum hoc exponit Cicero, bonos opprimunt, Psalm. X. 9. & XIV. 4. Proverb. XX. 14. &c. Sed in Psalmo XXVII. 2. 3. manifesta est belli ὑποτύπωσις. Quo sensu Tremell. *Belligerantibus adversus me maleficis, ad exedendum carnem meam &c.* Itaque ad Ἀνθρωποφαγίαν respectum, sive illam Gigantum fabulosam, aut similem, quæ in ore vulgi ferretur, sive noti quidam inter Barbaros fuere Populo Dei, *Canibalum & Lastrigonum immanitate infames*. Berosius l. 1. Antiquit. de Gigantibus antediluvianis: *Manducabant homines & procurabant aborsus, inque edulium præparabant.* Sceleris immanissimi auctorem se facit Lamech apud Philonem in Antiq. Bibl. *Viros*, inquit ad uxores, *corrupi pro me, & lactantes de mamillis abstraxi, ut filiis meis ostenderem iniqua operari, &c.* Uterque quidem testis arenarius, & suppositicius, vetustissimas tamen has fuisse fabulas argumentum præbet, & ex vulgaribus Hebræorum adagiis ortas; nec dubium, quin de Canaanæorum

nærorum Gigantum feritate similia in ore omnium fuerint. Sic accipere licet, quod exploratores de Canaanitide dixerunt: *Terram eam devorare habitatores suos*, Num. XIII. 33. non pestilitatis nomine, sed immanitatis belluinæ diffamantes, ut epexegesis innuit addita, de portentis Cyclopicis a se visis. Sic Anthropophagi fuere *inter Æthiopas*, Solin. c. XXXIII. & *inter Scythas*, de quibus Mela l. II. c. 2. *Bella cædesque amant: mosque est bellantibus, cruorem ejus, quem primum interemerunt, ipsis e vulneribus ebibere.* Hieronymus adv. Jovinian. *Massagetas & Derbices*, ait, *miserrimos putare, qui ægrotatione moriantur: Itaque parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam venerint, jugulatos devorare, rectius esse dicentes, ut a sue potius, quam a vermibus, comedantur.* Ipse se adolescentulum in Gallia vidisse *Scotos*, ait *gentem Britannicam, humanis vesci carnibus, & cum per silvas porcorum greges & armentorum pecudumque reperiant, pastorum nates* [forte melius, puerorum] *& fœminarum papillas solere abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari.* Habet Marcellus Donatus l. IV. de Med. Hist. cap. 1. varia ejus crudelitatis exempla, inter alia quod huc facit, ex Hect. Boëthii lib. XVIII. Hist. Scot. captum fuisse *latronem Scotum*, & cum conjuge omnique familia vivum combustum, qui adolescentes domum suam allectos esitare, & quibus tenerior erat ætas, meliorque corporis habitudo, in summis deliciis habere solitus fuerit: uni puellæ ejus, nondum annum natæ, parsum fuisse; quæ vix duodecimum ætatis attigit, cum in paterno scelere deprehensa, ut viva defoderetur, damnata; cum ad supplicium duceretur, omnibus exsecrantibus, torvo & taurino cum adspectu; *quid*, inquit, *despuitis? credite, si experimento constaret, quam grata palato sit caro humana, qui a liberorum esu se contineret, inveniretur nemo.* Exhorresco! Sed nunquid & suos nostra ætas fert

Anthropophagos? Crudeles homines, sanguinem nostrum sitientes; & ex ipsis vulneribus ebibentes? Sed & alios mitiore adspectu, non animo, quibus pauperes pro pane & deliciis, Psalm. LIII. 5. qui dentes acuunt in parentes, fratres, agnatos, nulla sanguinis propinqui religione? Tanta humanæ carnis illis dulcedo est! confer Proverb. IX. 17. Quodque magis indignere, tolerantur istiusmodi Phagones, imo foventur in sinu. Vopiscus in Aureliano: *Vehementissime delectatus est Phagone, qui usque eo multum comedit, ut uno die ante mensam ejus, aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum comederet, biberet autem in fundibulo appositio plus orca.* Suetonius in Nerone: *Creditur etiam Polyphago cuidam, Ægyptii generis, crudam carnem, & quicquid daretur, mandere assueto, concupisse vivos homines laniandos, absumendosque objicere.* Numquid Nero revixit?

CAP. XLIII.

Jobi Hospitalitas. Eumolpi Testamentum.

APud Jobum cap. XXXI. 31. locus est, in quo expediendo varia sunt sententiarum divortia. Quidam vertunt: *Si non dixerunt homines tabernaculi mei; Quis det de carnibus ejus? non satiaremur:* Et exponunt *de Jobi patientia*, qua atrocissimas familiarium suorum concoxerit injurias, tantum carnem suam devorare non palam avidorum, ut cap. XIX. 22. Sic Coccejus h. l. quo & LXX. Versio referri potest: *Quid quod & ancillæ sæpe dixerunt meæ; Quis det nobis carnibus ejus exsatiari?* Nec multo aliter D. Osiander: *an unquam domestici mei eo proruperunt feritatis, ut dicere auderent: Quis det de carnibus ejus, hujus* aut illius hostis nostri? *non satiaremur.*

mur. Ita, inquit, condocefeci meos, & ad omnem humanitatem ac patientiam assuevi. Sed *de hospitalitate* agi συναφεια textus clamat. Verum hic quoque dissensus est. Quidam enim de domesticis explicant, indignantibus adeo se a Jobo hero defatigari in curandis hospitibus, ut nulla sit ad capiendum cibum ipsis respiratio. *Si non dixerunt familiares mei*, irati tædio tot laborum, aut stimulante fame, dum in tractandis hospitibus noctu & interdiu occupantur, *Utinam liceat carnibus istius satiari*, ut Vatabl. aut expressius, Tremell. & Junius: *Si non dixerunt contubernales mei: ô si quis daret de carne illius! non saturamur.* Confer versionem Vulgatam. Sed hæc laus Jobi vituperium grave continet. An ille ita hospitalis in exteros, durus fuerit in suos? Qui sibi suisque malus, cui bonus? Romæ, quo tempore Attalus auctore Alarico tyrannidem invasit, Dardanariis omne frumentum supprimentibus, tanta fames fuit, ut in Circensibus audita vox populi fuerit: *Pone pretium humanæ carni!* Zosimus lib. VI. *Hist.* sub fin. Eone redegerit Job suos domesticos? apage! Nec hyperbolæ locus est. Adeo dura & absurda est ista suæ hospitalitatis deprædicatio. Ad verbum Hebræa sic habent: *Si non dixerunt viri tentorii mei*, quos vel hospites licet accipere, de quibus sequitur, vel melius domesticos: *Quis det de carne ejus non saturemur?* O wolte GOtt/ daß wir von seinem Fleisch nicht gesättiget würden/ vertit Dn. Lutherus. Quasi dicturi essent: Ita liberaliter se nobis impendit, ita copiose & benevole nos tractat, ut nec carni suæ parsurus videatur. Oculos suos erueret, & nobis daret, Galat. IV. 15. cor ipsum apponeret, ne fame nos pateretur cruciari. Videtur opes suas in advenas excipiendos ita exhaurire, ut in votis esse debeat, ne tandem carne ejus vesci oporteat, quos velit saturos dimittere, &c. Sic Jobus hospitalis Domini nostri typus fuit. Nec verba ista aversantium sunt, quod

esus humanæ carnis esset horrori; sed potius vel deprecantium, & modeste excusantium, ne sua causa adeo laboret, quasi seipsum totum convivis suis impensurus esset; vel vehementer redamantium: *Quis det nobis de carne ejus? non satiaremur.* Wir möchten ihn vor Lieb essen! Risere inauditam Domini bonitatem Gentiles, & Satyris traduxerunt. Eo enim Petronianum Eumolpi testamentum spectabat: *Omnes qui in testamento meo legata habent, præter liberos meos, hac conditione percipient, quæ dedi, si corpus meum in partes conciderint, & astante populo comederint. Apud quasdam gentes scimus adhuc legem servari, ut a propinquis suis consumantur defuncti, adeo quidem ut objurgentur ægroti frequenter, quod carnem suam faciant pejorem.* Addit exempla: *Saguntini oppressi ab Hannibale, humanas edere carnes, nec hæreditatem exspectabant. Petavii iidem fecerunt in ultima fame, nec quicquam aliud in hac epulatione captabant, nisi tantum ne ejurirent. Cum esset Numantia a Scipione capta, inventæ sunt matres, quæ liberorum suorum tenerent semesa in sinu corpora.* Hæc Petronius *Satyr.* extremo sub Nerone, quo tempore Christianis *convivia Thyestæa & infanticidia objici cœperunt.*

CAP. XLIV.

Fel & Ossa Diis data ex Sacrificiis.

Mensa Domini despecta est, Malach. I. 7. Vilem apud se statuebant impii Sacerdotes Domini mensam, puta aram victimalem, quod pessima quæque, quæ ne homo quidem quispiam pro donis esset accepturus, immolarent. Itaque hæc eorum quasi sententia fuit, non verbo expressa, sed facto testatissima, *sic Theodoretus ibid. &c.*

&c. Verbis honorabant, corde procul erant, Esa. XXIX. 13. Imitati insaniam Gentilium, qui optimas victimarum partes ipsi absumentes, *fel & ossa femorum Diis suis offerebant.* Increpiti merito a suis Poëtis. Sic enim Eubulus Comicus in Semele sua Bacchum fingit dicentem: *Primum quidem sacrificant mihi quidam sanguinem*, κύστιν, *vesiculam, puta* χοληδόχον *fellis, nihil de corde, ne quidem superficiem. Ego vero* οὐκ ἐσθίω γλυκεῖαν οὐδὲ μηλίαν, quod Hervetus vertit: *neque dulci vescor victima, neque femoribus.* Sed γλυκεῖαν alii observant Græcis dici χολὴν, quod & Plinius l. XXVII. cap. 10. & pro μηλίαν μηλέαν legendum esse, ut dicat Dionysius, *se neque felle vesci neque ossibus femoralibus.* Sic Menander expostulat, *quod Diis apponant* τὴν ὀσφῦν ἄκρεον, τὴν χολὴν, ὀστέα τοῖς ἄθεοις *extimam lumborum partem, fel & ossa, cibo inepta, reliqua ipsi absumant.* Hæc apud Clement. Alex. l. VII. *Stromat.* qui ex Hesiodo annotat, impiam hanc sacrificandi rationem a Prometheo accepisse posteros, qui δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ *ossa Taurino insuta corio,* κεκαλυμμένα πημελῇ *Jovi immolarit*, cujus meminit & Lucianus in eum, qui dixit Prometheus es, &c. Fabula ex historia sacrificii Cainitici petita, de quo Genes. IV. 4. & ibid. Interpp. At Deus noster optima sibi quæque vult offerri, vetuitque *sanguine* omnino, *& adipe animalium* immolabilium vesci, eo nempe, qui vel interne in visceribus confertus, vel ea externe complexus esset, vide Münster. in Levit. VII. 22. Fagium Levit. III. 17. Buxtorff. Synagog. cap. XXVII. *In sanguine animam poscens*, Philo de Victim. p. 703. m. *in adipe* πᾶσαν ἡμῶν ἐνθύμησιν, Macarius homil. 31. sive *devotionem illam mentis, qua electi conditori suo in perfectiori charitate copulantur*, Gregor. M. I. Reg. cap. 2. *Quo vescuntur adipe, qui pietatis affectum ad se transferunt*, Radulph. Flaviac. l. V. in Levit. cap. III. Sive, *qui se, non muneris largitorem laudari affectant.*

Idem l. II. Hancque eandem *mystici mandati quasi margaritam in pera hujus literæ inditam*, scite ait Hesychius l. II. in Levit. Fagius adipem notat a Chaldæo dici *Tharba* ab excellentia. Unde David adipi confertur, Sirac. XLVII. 2. &c. Vide Flacium & Ravanellum in *Adeps*.

CAP. XLV.

Athletæ Reprobati.

A *Liorum præco, ipse reprobatus*, 1. Cor. IX. 27. Proverbium est, a nemine, quod sciam, animadversum. Petitum a re athletica. Nam palæstritæ se ibidem comparat Apostolus. Mos autem fuit, ut athletæ, antequam ad certamen descendere fas esset, examinarentur, & a præcone per ora omnium traducerentur, clamante: *Estne quis qui hunc accusare velit?* Convicti criminis alicujus aut alius vitii, quo exclusione digni essent, reprobati cum ignominia, & ejecti sunt. Dixi nonnulla strictim in Decade Vindemiol. Biblic. cap. VIII. ubi de *Spirituali Athletica*. Quæ, etsi ista in paucorum manus venerit, hic non itero: alibi legentur fortasse. Locum ea de re ibi obiter citatum *ex Aristide*, do, *Tom. 2. Orat. Suasoria de non agendis Comœdiis*. Nam cum quidam dicerent, utilem esse illam comœdorum in theatro maledicendi licentiam, spargendique *convitia*, ut ajunt, *de plaustro* morem; quo & qui turpiter vixissent, redarguantur, & alii metu similis ignominiæ modestius discant se gerere; respondit, ebriis histrionibus non mandandam fuisse istam provinciam. *Etenim*, inquit inter alia, *athletarum facimus ἐγκρίσεις delectus, ut si quis ipsorum sit nauti, φαῦλος, seipsum pudefaciens discedat, pœnas etiam dans corpore: & nos rerum gravissimarum duces & magistros, undecumque ex omnibus ergasteriis, adeo turpiter & ignaviter deligemus? &c.* Quod ad locum Paulinum non inepte

inepte adfertur. Apud *Artemidorum lib. 1. Oniroer. cap. 61.* de isto more reprobandi est. Ubi inter cetera: *Novi quendam, qui sibi visus est in Olympiis ordine moveri, & in metallum damnatus est, propterea quod sacri certaminis jura non haberet. Homo puta nequam, & infamis.* Idem cap. LXVI. de *Balneo* hæc habet: *Novi citharoedum qui Smyrnæ certamen Adriani decertaturus erat, is visus est sibi dum lavaret aquam in balneo non reperire, & contigit ipsi, ut deprehensus, velut qui certamen corrupisset, mulctaretur, & a certamine ejiceretur.* Imitati Romani *in Equitum solenni traductione & recognitione*, in qua, loco isto indignos, reos man festi alicujus sceleris, &c. publice accusare, accusatorique detrahere ab equo fas erat: convictis equi & anuli ademti aurei, addita etiam mulcta, & infamiæ nota aliquando, vide Valer. Max. l. IV. cap. 1 & Sueton. in Augusto cap. XXXIX. & in Caligula cap. XVI. &c. Eadem ratio fuit *Hastiludiorum* aut *Torneamentorum* olim, quorum legibus duodecim continebatur, ut si quis manifeste reus sit, vel impietatis contra Christianam fidem, vel læsæ Majestatis, vel raptus, & violentæ expugnationis virginum, adulterii, homicidii, aut similium flagitiorum, &c. publice vapulans, ejiciatur. Quas leges, quique earum fuerint auctores, apud *Münsterum legere est in Cosmograph. &c.* Quid autem ignominiosius, quam si quis præconis agens officium, alios traducat & proclamet, mox inter pugiles subscripturus ad coronam, ipse reprobetur, & turpiter ejiciatur? Ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων, *aliorum Medicus ipse scatens ulceribus?*

CAP. XLVI.

Saturnus vinctus & solutus.

TEmpus redimendum; Ephes. V. 15. Coloss. IV. 5. Metaphora illustris & proverbialis. Sed fontem nescio an assequuti sint interpretes. Atque id quidem nemo, puto negabit, aliud esse *tempori servire*, Rom. XII. 11. quod est occasione præsenti recte uti, sich in die Zeit schicken / non tamen ut, qui politici videri volunt, solent: *versare naturam suam, & regere ad tempus, atque huc & illuc torquere & flectere, cum tristibus severe, cum remissis jucunde, cum senibus graviter, cum juventute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose vivere*; ut habet Cicero pro M. Cœlio. Prudentia sana fines suos novit. *Omnia tempus habent*, Virgil. *Omnia tempus nacta suum*, Claudian. II. in Eutrop. *Tempus est omni rei.* Tertull. de veland. Virgin. Sic Boethius: *Signat tempora propriis aptans officiis Deus; nec quas ipse coercuit misceri patitur vices.* l. 1. carm. 6. Ergo *temporibus servire decet*, Lucan. ad Calphurn.

Temporibus servire decet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Ovidius: Χρὴ δὲ καιρῷ μέτρα εἰδέναι, σοφίης γὰρ ἔτος ὄρος, Stobæus ex Dione serm. 129. τὸ ἀκαιρον πανταχῆ λυπηρόν &c. Sic Proverb. XXV. 10. Eccl. III. 1. Similia sunt *tempori parere, tempori cedere*, trititissima sapientum præcepta, frequentia apud Ciceronem, hominem omnium horarum loca annotare, vel ex Nizolio pueris nota, non est operæ pretium.

Temporibus semper cautus servire memento,
Ne restare velis adversum flamina venti.

Quæ ideo annoto, ut vel hinc appareat, vulgatis adagiis uti,

uti, imo pie abuti, Paulino stylo non esse insolens. Quod mox usui erit. Aliud vero est *tempus redimere*, & prope par illi quod est inter veterum scita, χρόνῳ φείδου *tempori parce*, quod *Clemens Alex. l. V. Stromat.* ait duobus modis intelligi posse; vel, quia vita brevis est, non esse tempus hoc frustra absumendum, vel parcendum esse sumtibus, ne postea necessariis deficiamur. *Seneca* ne studiis supervacuis vitam prodigamus monens, cum *plus scire velle, quam sit satis, intemperantiæ genus sit*, præceptum hoc salutare refricat: *Tempori parce*, Epist. 88. Videtur itaque, ut compendio dicam, *tempori servire*, inprimis ad eam prudentiæ partem spectare, quæ actiones imperatas, ex occasione natas, moderatur, ubi electio non omnino libera est. Sed *tempus redimere, tempori parcere*, spontanei impulsus est. Tempori serviunt, qui ut se dat tempus, ita mores gubernant & actiones, & *ut in alto ventus est, exin vela vertunt*: Alia enim tempora alios mores postulant, *Cicero ex Terentio l. XII. Epist. 25. Plin. Paneg. post princ. &c.* Tempus redimunt, qui pro animi sui sententia occupant & dispensant. Utrumque prudentiæ. Nam & *servire tempori necesse est, & non amittere tempus cum sit datum*, Cicero ad Artic. l. VIII. Ep. 3. At unde metaphora? an *a mercatoribus*, quibus lucello nihil carius? Sic Beza & alii. Non repugno. *Vita enim hæc quasi mercatus quidam est, ut recte dixit Pythagoras*, & indicat Dominus Matth. XIII. 45. Luc. XIX. 13. &c. Tempus Theophrasto bene πολυτελὲς ἀνάλωμα. *Quanti, putas, redemturus esset epulo infernalis unam horulam? Voluerat omnem substantiam suam tradere, ut posset sibi in flammis situs unius saltem horæ requiem compararc*, Salvian. l. 3. *contra Avaritiam.* Quid dedisset, si vitam unius horulæ potuisset recuperare, ut pœnitendo tormenta ista evitaret? Sed duo officiunt huic

lumini. Primum quod *tempus redimere* videtur ex pervulgatis proverbiis fuisse, quod præmonui: alterum quod ἐξαγοράζειν Paulo alias proprie est *redimere*, quod *captum tenetur in vinculis*, ut in Epist. ad Galat. subinde. Dicam quid mihi videatur, quod tamen non obtrudo. *Saturnum solvere in Saturnaliorum diebus mos fuit, nam per annum vinctus tenebatur, laneis compedibus*, vide Erasm. Adag. *Dii laneos pedes habent.* Ita stabat in templo suo, Macrob. I. Saturn. c. 8. ita pingebatur, Lucian. *Numquid a nobis dicitur, parricidii causa* [Quod cœlum Patrem virilibus multarit, vide fabulam notissimam apud Apollodor. l. 1. Biblioth. &c.] *vinctum esse Saturnum & ablui diebus statis vinculorum ponderibus & levari?* Arnob. l. IV. ubi vide Cauteri notas. Hinc, *Musis valere jussis*, Statius in Saturnal. l. 1. Silvar. *Saturnus*, inquit, *mihi compede exsoluta adsit.* Fabulæ rationem exposuit Natalis Comes, Tempus e cœlo ad inferiora relegatum, vinctumque teneri inter hæc nostra fluxa & caduca, &c. lib. 2. Mythолog. cap. 2. Nam Κρόνος nihil aliud est præterquam χρόνος, Cicero II. de Nat. Deor. circa med. Sin civilem Theologiam mavis Gentilium, quæ magis ad rem facit: Tempus per annum omnem vinctum & alligatum videntur indicare voluisse, solutum autem & liberum diebus Saturnaliorum, quibus maxima licentia regnabat, de quibus alias. Hoc ergo illis tempus redimere erat, ab occupationibus solitis id liberare, & licenter finere effluere, animo in omnem voluptatem & otium laxato, quasi Saturni aurea secula agente. Sic illi; nostra ratio diversissima esse debet. Mundus tempus sibi servire cogit, ligatumque tenet vinculis scelerum gravissimis Δέσμιον ὡς λυσσὼν εἰς τὸ βάραθρον ἔνεις, ut de Jove dixit Palladas l. 1. Anthолog. in improbos, vel ut cum Ovidio dicam- *Saturno tenebrosa in Tartara misso*, ut non inscite dictum sit

ab

ab Onirocriticis, *Saturnum in somniis significare maleficis vincula*, Artemidor. l. II. cap. 44. Nam juxta Rhadamanti legem,

Si quis, quod fecit, patitur, justissima pœna est.

Æquum est Compedes quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber. Auson. At pios prudenter, & pie prudentes decet, quocunque pretio dato, redemtum exsolvere, ut libere serviant Deo, sibi, proximo. *Laneis enim sociis incedit, & nullo cum pedum strepitu*, nisi tuum tibi facias, *elabitur.* Unde illud Columellæ:

Invigilate viri; tacito nam tempora gressu
Diffugiunt, nulloque sono convertitur annus.

Denique Calvinus fenestram mihi apperuit: *Quum ita corruptum est seculum, videtur Diabolus tyrannidem occupasse, ut tempus non possit Deo consecrari, nisi quodammodo redemtum. Quod autem erit pretium redemtionis? infinitis illecebris, quæ facile nos perverterent, cedere: extricare nos a curis & voluptatibus mundi: & denique omnibus impedimentis renunciare*, sic ille ad Ephes. loc. cit.

CAP. XLVII.

Curatores annonæ, eorum dignitas & insignia.

HUnc *Pater signavit Deus*, Johann. VI. 27. Apud omnes fere bene constitutas respublicas, Magistratum aliquem invenias, qui curæ annonæ & victus præfuerit. *Apud Ægyptios* spartam hanc ornavit *Josephus*, rei frumentariæ præfectus, & Prætorio, Dominus domus Regiæ Psalm. CV. tanta cum auctoritate, ut secundus esset a Rege, titulo *Abrech, Pater Regis, & Patriæ*, collatis quoque insignibus, annuli, stolæ byssinæ, torquis

torquis aureæ, & currus regii, vide Dn. Dieteric. Antiq. Bibl. p. 2. ad Geneſ. XLI. 43. *Sic Perſæ* habuerunt προσόδων ὑποδεκτῆρας, καὶ κτημάτων φύλακας, Briſſon. de Reg. Perſ. l. 1. p. 146. Procuratores annonæ, de quibus Eſdræ cap. VI. 9. nam τροφὴν Regum & exercituum imperabant ſubjectæ regioni; Satrapia Babylonica menſibus quatuor; Aſia cetera reliquis Regem alebat, *Herodotus l. 1. Xenophon. l. 4. Anabaſ. &c. apud Briſſon. pag. 124.* Hamanem & mox Mardochæum præfectos Prætorio, ſummum quoque magiſtratum geſſiſſe, vix dubitem. Titulis inſigniebantur, *Patris Regum*, Fragm. Eſther c. XIII. erant ſecundi a Regibus, ibid. ornamenta dignitatis collige ex Eſther cap. VI. 8. & VIII. 15. de quibus Briſſon. p. 95. & ſeq. *Apud Athenienſes*, quemadmodum aliis venalibus *Agoranomi*, ſic rei frumentariæ σιτοφύλακες præfecti, ut occurreretur τῶν σιτοπωλῶν πανουργίαις, καὶ κακονοίαις, de quibus *Lyſias contra Sitopolas, orat. 21.* Sitophylaces magiſtratus Athenis, qui curabat, ut frumentum, farina & panes recte venderentur, *Suidas. De iis Sigonius de Republ. Athen. l. IV. cap. 3. Poſtellus de Magiſtrat. Athen. cap. 17.* qui ſimilem Venetorum Magiſtratum commemorat *Providadoriorum*, quibus cuſtodes & diviſores frumentorum adjuncti *Duumviri*, *Farinarii* dicti: ut & apud Turcas ait, officium eſſe præfecti Vrbis *SSar Emin* dicti, ut copia oryzæ & frumenti ſit populo, ut viliori pretio vendatur, ne quis exerceat monopolium. Sed & alibi in Græcia ſimilis mos. *Annonam curamus & Ædilem gerimus*, ait ad Apulejum Pythias. Et inſignia erant: *Lixæ, virgæ, habitus Magiſtratui congruens. Jus frangendi menſuras iniquas, cariusque vendita pedibus obterere, &c.* Apul. 1. Metamorph. & ibid. P. Colvius. Neptunus Plauto in Rudente, *faſtidioſus Ædilis* joco dicitur: *Si quæ improbæ ſunt merces, jactat omnes,*

omnes, inquit: ubi Taubmannus, &c. *De Præfecto annonæ* in veteri Roma fuse disseruit Pancirolus in Comm. ad l. II. Notit. Imp. Occid. cap. V. pag. 119. Ejus studii fuit, ut sacratissimæ Urbi præpararetur annona, ubique redundaret panis copia, & tam magnus populus, tanquam una mensa, satiaretur. Itaque per officinas pistorum cibosque discurrebat, pensum & munditiam panis exigebat: in fraudulentos distringebat: panis pondera æquus examinator intendebat. Dignitas proxima præfecto Urbis, cui in spectaculis conjunctissimus erat. Triticeas copias Præfectura Prætoriana procurabat; hæc dispensabat. *Cereri* illa similis, quæ frumenta dicitur invenisse; hæc *Pani*, qui primus consparsas fruges coxisse perhibetur, unde *Panis* ab ejus nomine. Inter insignia fuit carpentum, quod mixta glorificatione Præfecti urbis hic noster conscendebat. Sed & tribunal &c. *Hæc Cassiodorus l. VI. Epist. 18. In Formula Præf. Annonæ:* vide reliqua, quæ huc facerent apud Pancirol. qui & lib. I. Comm. de Not. Imp. Orient. de Præfecto Urbis Romæ Novæ, & ei suffecto in curam victus, præfecto annonæ, diligenter egit, cap. XXV. & XXVI. Plura forte alia occasione. Apud Judæos similem præfecturam instituisse videtur Salomo 1. Reg. IV. 5. 7. &c. *Sitiresium aut frumentatio* Davidis extra ordinem fuit, 2. Sam. VI. 19. Dabunt alii plura; quibus Hebræorum res ex Talmudicis perspecta magis. Ego quæ habui, non invidi. Quod si ad Josephum aut similes præfectos annonæ respectum quis putet a Domino, & ad eorum insignia alludum, cum se dixit *a Patre Deo signatum*, non abnuam. Quamquam insignem, aut insignitum esse, & signatum sigillo impresso, ἐσφραγισμένον, valde distent; tamen ipsa illa dignitatis σύμβολα, σημεῖα, κοσμήματα, quid aliud fuerunt, nisi σφραγῖδες publicæ auctoritatis? Talia Domino fuerunt, *annuli* digito-

digitorum, mirabilium effectorum, Cant. V. 14. *Currus* ipse & *thronus* Patris, *corona* gloriæ, & ut venuste dixit Hilarius, *omnis paternæ formæ plenitudo signantis Dei, ut per hoc potestas in eo dandæ ad æternitatem escæ intelligi posset* l. VIII. de Trin. de qua forma Dei Apostolus ad Philipp. II. 7. Et hæc omnia Christo data in tempore, qua Filius Hominis erat. Videtur Hilarius præ oculis habuisse *auratas Principum imagines, vultibus sacris signatas, Præfectis Prætorii prælatas*, de quibus Pancirol. l. 1. cit. cap. XXIV. & deinceps suo loco, si Deus volet. Confer quæ de Eduliorum Præfectis congessit Stukius l. 2. Conviv. cap. XII. Et quæ de Conviviorum Rege, Cœnæ Patre, Symposiarcha, [cui se comparat Dominus Luc. XI. 37. & similem exhibuit, Johan. XIII. Luc. XXII. 37.] Idem habet l. cit. cap. VII. nam talorum jactu, & coronæ impositione legi solebat. Sed de hac Domini obsignatione plura lib. VI. cap. XXXI.

CAP. XLVIII.

CLAVES Aureæ.

Claves regni cœlorum, Matth. XVI. 19. Locus apud *Zenonem Veronensem* insignis est, sed obscurior, *serm. 3. ad Neophyt.* Exultemus, Fratres in Christo, *Triumphatoriq; perpetuo hymnis, citharis, tympanis, canticis gratiam referamus:* qui nobis promissa perpetuans, pia sanctione, ut ajunt, *claves vere aureas* misit. Et quidem non illas, quæ maligno beneficio crimina excipiunt, quæ corpori parcunt, animam liberare non possunt: quæ peccata, cum dissimulando prætereunt, non adimunt, sed includunt: quæ reum, qualem invenerint, talem quoque dimittunt: quæ in pari causa ipsi Præstatori nihil prodesse possunt. At vero nostræ acervatim absolvunt, quicquid invenerint, nec aliquid subsecivi esse patiun-

tiuntur, sed pectorum aperiunt cuncta penetralia, diligenter universa crimina expellunt, ac rursus diligenter occludunt, ne quid illo vel frivolum, inde quod [malim, quo] excluditur, revertatur. Et mox: *Pretiosa indulgentia est, quæ & veniam præstat & medicinam. Cæterum qui parcit venefico, homicidæ, adultero, incestatori, sacrilego, nisi ejus curaverit mentem, non video, quid illi præstiterit.* Sunt hic digna observatu aliqua. 1. Mos Triumphantes excipiendi, de quo alibi dictum. 2. Clavium Ecclesiæ officium, quod est solvere & ligare: objectum vero, personæ, & culpæ, & thesaurus ipse gratiarum. Metaphora petita vel ab antiquissimo more, ante usum clavium repertum, colligandi repositoriorum ostia aut opercula, *Nodi, non annuli nota.* Plin. l. XXXIII. cap. 1. Cujac. l. XII. observ. cap. 37. ut inde loquendi usus obtinuerit; *vel a claustris*, seris, fibulis exemtilibus, quæ si aperirentur, tum et thecæ solvebantur, & quæ in eis erant recondita, sin clauderentur, ligata erant omnia. Quo & catenæ spectabant, seris aut pessulis additæ, ut explicat *D. Calixtus in Harmon. & D. Glassius in Rhetor. Tract. 1. cap. 12.* In Notitia Imp. Orient. inter insignia Comitis largitionum, & rerum privatarum pictæ extant arcæ talibus cum claustris, &c. Fecit enim Dominus Apostolos *Comites sacrarum suarum largitionum, thesaurorum curatores*, vide Pancirol. l. 1. Comm. Not. Imp. cap. LXXIII. Bene observat Camero in Myrothecio ad loc. Matth. cit. Non dixisse Dominum; *Quoscunque solveritis, aut ligaveritis*; sed, *quæcunque*: indicabat hoc officium spectare & *personas & res. Personæ* aperiendo solvuntur e carceris squalore, claudendo ligantur. Et in Ecclesia fiebat jam olim peccatorum ligatio *per excommunicationem*, qua aditus ad sacra occludebatur; ut solutio, *per solennem absolutionem*, qua aperiebatur. *Res* sunt vel *culpa*, vel *gratia*; utraque vel soluta aperitur, vel ligata includitur; illa

illa in impuro vase delinquentis hominis, hæc in Thesauraria arca Dei condonantis, vide hic Interpp. & nuper Walæum ex Salmasio, & aliis ad cap. XVI. & XVIII. Matth. De utroque clavium officio agit Zeno, sed presse: nam clavibus Christi & animas liberari, & peccata absolvi, & medicinam afferri innuit. *Clavis est, quæ & conscientiam apud peccati confessionem aperit, & gratiam ad æternitatem mysterii* (forte, ministerii) *salutaris includit*, August. de SS. serm. 27. qui Maximi Taurin. est inter Ambrosianos, 66. His expositis supereſt 3. Malignum illud beneficium, missis CLAVIBUS AUREIS, reos eximendi pœnæ, quod tamen in simili causa Præstatori ipsi nil posset prodesse. Quod Zeno cum summo & perfecto hoc Domini beneficio comparat. De quo quid dicam, vix invenio quale fuerit. Variis modis *gratia*, id est Pietas Principum *reos supplicio eximebat*, vel propter natalem filii, vel propter sanctitatem feriæ sextæ Paschatis, ut alibi dictum; vel ob jucundum suum in aliquem locum adventum, aut ob rem a Principe feliciter gestam, &c. ut docet Gregor. Tholosan. in Syntagmate l. XXXVI. cap. 21. Atque id pia sanctione vel *generali* fiebat, ut in Indulgentia Paschali, de qua forte Zeno exponi possit, cujus formula est apud Cassiodorum lib. XI. Epist. ult. *Veniam generalem* vocat; vel *speciali*, per *literas Gratiæ*, *codicillos veniales*, de quibus Tholosan. l. cit. Sed quomodo *Claves aureæ* ista sanctione mitterentur, non satis extrico. An forte *Comitivæ Sacrarum Largitionum* insigne fuerat talis Clavis? quæ sola tantummodo serviebat ad momenta pietatis, & per quam Principes supplicum erigebant fortunas, ut per eos Comites forte mitteretur indulgentia? *Cassiodor. l. VI. Epist. 7.* An Clavis ad Magistrum claustrorum, præfectum carcerum, missa cum veniali rescripto? vide eund. Cassiod. l. II. cit. Claves aureæ Regum Camerariis collatæ, & illæ, quas nomine

S. Pe-

S. Petri Romani Pontifices, Impp. aut Principibus mittebant, se & Ecclesiam fidei ac tutelæ ipsorum commendantes, de quibus Baron. ad ann. Dom. 726. 740. 796. ut & Rhegino, Urspergens. &c. nihil huc faciunt. Ad Clavim *carcerum Præfecto* missam inclinat animus. Nam ut apud Tribunum militum claves erant civitatis, ubi præsidium Romanum, *Alex. ab Alex. l. VI. Gen. Dier. c. 18.* Sic carceris apud superiorem aliquam potestatem. Ea etsi non esset, tamen vere *aurea* dicebatur, quia vitam afferebat auro contra charam. Quamquam fieri potuit, ut proverbio, pia illa sanctio ipsa *Clavis aurea*, non inscite vocaretur. De pœnis tollendis confer *Grotium l. 2. de Jure Belli ac Pacis cap. XX. De Clavibus plura infra lib. V. cap. 36.*

CAP. XLIX.

Classicum in Suppliciis Capitalibus.

ET mittet angelos suos cum tuba & voce magna. Matth. XXIV. 31. Sic Apostolus: *Dominus in jussu*, ἐν κελεύσματι cum celeusmate, *& voce Archangeli, ac tuba Dei descendet de cœlo*, 1. Thess. IV. 16. Manifesta allusio est ad morem judiciorum capitalium, quomodo ea id ævi a Romanis celebrarentur. Nam & classico & hortatu, celeusmate, ac magno boatu Præconis concio convocabatur, *celeberrimæ eligebantur viæ ubi plurimi intueri, plurimi commoveri possent: omnis enim pœna non tam ad delictum pertinet, quam ad exemplum.* Quintilian. Posthum. Declam. 274. Sic *apud Judæos* tubis convocatus populus, & supplicia de infamibus facinorosis circa festa celebriora sumta, Num. X. 2. 5. Matth. XXVI. 5. Actor. XII. 4. Deut. XVII. 12. 13. ubi & locus supplicii, *ad portam*, ubi frequens populus conveniebat, & ex R. Akiba ac R. Maimonide observatum Fagio ad Paraphr. Chald. ibid.

ut idololatræ, & læsæ Majestatis, aliorumve atrocium scelerum rei, plecterentur sub tribus festis. *De Romano* more locum ex Seneca habes supra. In provinciis Romano Imperio subjectis eundem observatum docet Seneca Pater, Controvers. XXV. *Ascendit Prætor tribunal, inspectante Provincia, noxiæ post terga ligantur manus statim intento ac tristi omnium vultu, sit a præcone silentium: adhibentur deinde legitima verba, canitur ex altera parte classicum.* Meminere Alex. ab Alex. l. III. cap. 5. Polletus in Hist. Fori Rom. l. V. cap. 13. & 18. &c. Apud Varronem fragmenta sunt illustrium quorundam locorum, quæ huc spectant. *Præco in templo*, augurali puta, *primum vocat, postea de mœris item vocat. Accensus clamabat: Omnes Quirites, inlicium visite huc ad judices! Omnes Quirites, ite ad concionem huc ad judices!* Inlicium erat cum circum muros iretur, ut populus inliciatur ad Magistratus conspectum. Reus si non compareret, præco de muris vocabat, *cornicines ad januam ejus, & in arce cantu ciebant.* Unde illud ex Comment. Anquisitionis M. Sergii, qui capitis accusavit Trogum: *Qui de censoribus classicum ad comitia centuriata redemtum habent, uti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce classicum canat, tum circumq; mœros, & ante privati hujus T. Quinctii Trogi, sceleroſi hominis hosticum canat, ut in campo cum prima luci adsit*, vide Varron. l. V. de LL. adde Plutarchum de Gracchis, citatum Rosino Antiq. Rom. l. IX. cap. 30. & Lipsio ad 2. Annal. Tacit. Sic citati *Hierichuntini* classico & jubilo circum mœros, Josuæ cap. VI. Sic *Babyloni* & *Mundo* cantatur denunciaturque exitium Angelorum tubis & celeusmate; *in Apocalypsi.* Nos quoque attentos esse decet *ad vocem tubæ*, Jerem. VI. 17. Nam & in arce, & in Templo dudum insonuit, circa muros mugit, missique singulis *cornicines ad januam* occinentes, jam jam aderit Accensus aut Præco clamitans: *Surgite mortui, venite*

venite ad judicium! visite inlicium, ite in concionem huc ad judicem! Facit ad rem parabola Damasceni, vel quicumque est, *ex historia de Balaam & Josaphat*; Regem quemdam, quod honorem habuisset eremicolis obviis & supra illorum & infra suam dignitatem, ut videbatur, a fratre reprehensum, hoc eum ultum fuisse commento: *Consuetudo*, inquit Auctor, *erat illi Regi, quando sententiam mortis contra aliquem dictabat, præconem ante januam illius cum tuba, huic officio deputata, mittere, cujus voce cognoscebant omnes mortis reum illum existere.* Vespere igitur veniente, misit rex buccinam mortis tubici-„ nare ante januam domus fratris sui. Ut ergo audivit„ ille tubam mortis, de sua salute desperavit, & tota nocte„ sua disposuit. Summo vero diluculo, nigris ac lugubri-„ bus indutus vestibus, cum uxore & filiis pergit ad fores„ Palatii, flens & lugens. Quem Rex ad se ingredi fecit,„ & videns eum ita lugentem, ait illi: O stulte & insipiens,„ tu si timuisti præconem germani fratris tui, adversus„ quem teipsum nihil deliquisse cognoscis; quomodo mi-„ hi reprehensionem intulisti, quia in humilitate salutavi,„ & osculatus sum præcones Dei mei, honorabilius tuba„ mortem mihi significantes, & terribilem Domini occur-„ sum, cui multa & magna me ipsum peccasse conscius„ sum? Adtexo, quia rei illustrandæ est, quod sequitur.

CAP. L.

Præcones Judicum, Sacrorum, Busyritæ, Sybaritæ.

CLama, *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum*, Esa. LVIII. 1. Puto ex hoc loco constare, quod modo asserebam, *præcones* quoque *in judiciis capitalibus* fuisse olim Judæis, qui

concionem advocarent. Ac ad Sacrorum quidem administros, qui *favere linguis* jubebant, *& procul exesse profanos*, referri utcunque hoc poterat, de quibus Stukius de sacrif. pag. 81. Sed rectius omnino ad istos. Nam de judiciis sermo statim sequitur, v. 2. Alioqui *ad Fœciales*, non invitus adeo, trahi potuisset Esaiæ locus, qui erant Regum legati, interpretes, &c. de quibus *Carolus Paschalius in Legato cap. IV.* Clamare, tuba canere, vocem exercere, communia his nostris, quos ἀγγελοῦντας vocabant, cum ceteris fere; proprium *annunciare reis peccata eorum.* Nam ut *Polletus de Foro Rom. sub fin. l. V.* notat: cum supplicium sumeretur, *crimen vel præconis voce exprimi solebat, vel titulo, reo prælato*, qui & post executionem apponebatur, de quo Lipsius l. II. de Cruce cap. 11. Præconii illustre exemplum est in supplicio Veronii Thurini, qui ad stipitem alligatus, fumoque necatus est, Præcone dicente: *Fumo punitur, qui fumum vendidit!* apud Lamprid. in Alex. Severo. Debebant *laurea coronari* hi Præcones Dei. Nam etsi peccata ex lege arguant, tamen & pœnitentibus portant Evangelium. Sic autem mos fuit, ut læta nunciaturi κήρυκες δαφνηφόροι emitterentur, Herodian. lib. VIII. Debebant ἄσυλοι & sacrosancti esse. Ἄσυλον γὰρ ἡ θεῖον τὸ γένος τῶν κηρύκων. Non quia a *Mercurii & Pandrosæ filio Ceryce* orti, sed quia ut Homerus ait - Διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ ἀνδρῶν, Scholium in Iliad. a. *Nolite tangere Christos meos!* Psalm. CV. 15. Quod proverbio dicitur *Lingua Præconi*, de quo Erasm. ea enim *Præconis sacrificii* honorarium fuit: Hic quoque locum habere debebat, linguaque iis præstanda, Rom. XV. 30. 2. Thess. III. 1. Heb. XIII. 18. Non illa interfectrix: *Venite percutiamus eum lingua*, Jerem. XVIII. 18. Sed pia, & sine dentibus. *Nam & infantes noluit Deus cum dentibus nasci, ne fontes uberum, per quos alimenta derivantur, vexarent inter sugendum*, Philo de Legib.

Legib. Special. Sed habet Mundus semper *Busiritas* suos & *Lycopolitanos*, apud quos vetitum erat tubis canere, quas *asininum* quid rudere putabant: asinos autem oderant, quod in iis *Typhonis cacodæmonis sui*, animam crederent hospitari, Plutarch. de Iside & Osyr. Ita isti oderunt magis Dei Tubicines, quam *fullo ululam*. Nolo quid atrocius dicere, quod tamen ex vero possem. Sic *Sibaritæ gallis gallinaceis perpetuum in sua ditione indixerant exilium*, Athenæus lib. XII. *quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno, nocturno vigiles natura genuit*, Plin. l. X. cap. 21. Sed qui tubas has audire nolunt, audient vel inviti *Furiarum*, quæ Neronem exsternarunt, ut se putaret interdiu audire, ex eo loco, ubi Agrippinæ ossa sita erant, tubicines πολέμιοι καὶ Ἐρινύων ᾠδὲς insonantes, Xiphilinus in Nerone: audient denique ultimam illam Dei tubam, toto cœlo horrisonam. Quod inter prodigia fuit, cum sub Tito Imp. Vesuvius præter morem incanduisset, *ut adesse tempus crederetur, quo mundus in Chaos redigendus, igneve consumendus sit. Nam ex die nox, & tenebræ ex luce factæ erant, putantibus nonnullis, Gigantes contra se insurgere, quod multa eorum simulachra in fumo conspicerentur & tubarum clangor audiretur*, Dio, l. LXVI.

CAP. LI.

Ignis prælatus Regibus, Ignis animal.

ANte faciem ejus ignis vorans, & post eum exurens flamma, Joel II. 3. Loquitur Propheta de exercitu vel Sennacheribi, vel Nebucadnezaris. Ignem, *qui præcesserit*, recte videtur Sanctius accepisse de eo, *qui legibus præferri solebat* in argumentum Majestatis; Ratio,

quia vix possit intelligi, quomodo alioqui ante faciem ejus exercitus potuerit ignis præire, cum comes potius & aflecla sit bellici excidii. Et addo, quia sacri Chaldæorum, Persarumque ignis aptissimum epitheton est *Vorans*. Nam etsi vorare & comedere commune sit omni igni: Qua de causa Ægyptii statuebant ignem θηείον εἶναι ἔμψυχον, καὶ πάντα ἐσθίειν, Herodot. l. III. Hinc Veterum superstitio ut *ne lucernam extinguerent, sed ultro sinerent consumi, quod animali similis videretur*, Plutarch. Quæst. Rom. 75. Quo & illæ spectant metaphoræ: *lucernis occidentibus oleum infundere*, Petron. Satyr. apud Virgilium vita est,

Lambere flamma comas, & circum tempora pasci:

apud Lucretium: *ignes - celeri flamma degustant tigna trabesque.* Horatius *vivas* dixit *lucernas.* Dracontius in Hexaëm. v. 478.

Ignibus extinctis jam, mortua flamma resurgit,
Redditur ignis edax redivivo lumine candens,
Et scintilla vorax incendia vasta reducit, &c.

Tamen *sacer ille ignis* peculiari ratione *vorans* dicitur, quam Maximi Tyrii verbis expono: Persæ, inquit, ignem habent ἄγαλμα ἐφήμερον, ἀνάρεσον καὶ ἀδηφάγον, cui sacrificant, alimentum, quod igni debetur, afferentes, præfati: πῦρ δέσποτα ἔσθιε! *Ignis Domine, comede*, Dissertat. 38. Ceterum de more Regibus ignem præferendi sacrum testatur Ammianus Marcellinus, Regibus Asiaticis communem fuisse. *Ferunt*, ait de Magis, *si justum est credi, ignem cœlitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri, cujus portionem exiguam, ut faustam, præisse quondam Asiaticis Regibus dicunt*, l. XXIII. non dubium, quin *in altaribus argenteis*, ut de Persarum Regibus refert Curtius: *Ordo*, inquit, *agminis erat talis ignis, quem ipsi sacrum & æternum vocabant, altaribus argenteis præferebatur*, l. III. c. 3. Hinc cultus ignis, a Chaldæis profectus, ad alias gentes deditus, cum ista non dubium regali pompa.

pompa. Nam ut Clemens Alexandrinus habet in Protrept. *Non tantum Persarum Magi ignem coluerunt, aliique per Asiam multi, sed etiam Macedones*, ut fert Diogenes in primo Persicorum: quid enim opus est memorare *Sauromatas*, quos Nymphodorus in Legibus Barbaricis ignem venerari auctor est? &c. Transiit mos fastuosus ad Romanos, cujus in Commodo, Juliano, Maximino meminit Herodianus, qui & Augustorum conjugibus prælatum ignem, refert: Non dubito quin *sacrum* aliquem & *æternum*. Nam *lampades* fuisse, non puto esse adstipulandum. Quibus non modo *Imperatores* adventantes excepti, inter Musica instrumenta concinentia, suffitus & odores incensos, florumque sparsiones, ut Caracalla apud Herodian. & Severus apud Xiphilin. sed etiam *Impp. Duces*, ut Holofernes, Judith. X. de quo Sanctius l. cit. & *Præfecti Prætorio* exornati, ut essent inter eorum insignia, Pancirol. ad Notit. Imp. Orient. cap. XXIII. Facit huc quod *de Indorum Regibus* legitur, in publicum progressuris prælata fuisse thuribula argentea, iterque odoribus sparsum. Alex. Sard. de Morib. Gent. l. II. cap. II. Sic ex Ægypto egressis præivit Israëlitis columna ignis. Quod Thrasybulo exules e Phyla Athenas reducenti, cum noctu per avia iter haberet, accidisse commenti sunt Græci, ut columna & ignis præcederent, donec in tutum deduxisset, defecisseque ubi post ora fuerit τῆς φωσφόρου, *Clemens Alex. 1. Stromat.* de stella Veneris duce Æneæ in Italiam, dixi in Silva Symbol. Quid ergo obstat, quo minus *signum* Dominici adventus, de quo lib. V. & VI. & alias deinceps *Ignis prævius* esse debeat?

CAP. LII.

Ignis & fumus signa bellica, ut vexilla russea.

DAbo *Prodigia in cœlo & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi: antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*, Joel II. 30. Diem illum proprie esse, quo justo Dei judicio, per Romanos, supplicium illud vere magnum & terribile, vel potius Ἐπιφανὲς & illustre, de Judæis sumtum est, eversa Synagoga & Republica eorum, argumentis & vero evici in commentario meo dudum edito. Fuit autem dies ille prodromus & typus censorii illius magni, ut de eodem simul Prophetam egisse nihil vetet. Præcedet ergo & hunc non modo *sanguis*, ille in terris copiose per tyrannos effusus, imo, quod ad rem magis est, in cœlo spectandus; sed *& fumus & ignis*. Explico paucis 1. signum vicinæ impressionis hostilis, ut & militum delectus, pugnæ ineundæ, apud plerasque Gentes fuit *velum* aut *tunica, russata, punicea*. De tali signo accipiunt quidam illa Jerem. IV. 6. *Levate signum in Sion*, & cap. VI. 1. *Super Bethacarem levate vexillum, quia malum visum est ab aquilone.* Ubi & locus, ubi erigi solerent ista, in arce Sionis, in speculis & turribus ut Bethacarem, in altis montibus ut conspici procul possent, & quisque sibi rebusque suis quærere receptum, aut parare arma ad resistendum, ut Esa. XVIII. 3. *De Romanis*, in hostibus denunciandis usos vexillo interdiu in hasta prælonga erecto, puniceo, noctu vero igne, testis est *Appianus in Bell. Hispan. pag. m. 973.* Sic exercitu imperato vexillum ruffi coloris in arce positum, *Macrob. 1. Saturnal. cap. XXVI.* ad delectum militum, de quo Virgil. *Tunc belli signum Laurenti Turnus ab arce*

fustu-

sustulit, ubi vide Servium. At in castris aut procinctu proposita *tunica russea μάχης ἐσομένης σύμβολον* fuit, Plutarch. in Marcello. *Signis illico fixis, cum undique ad arma conclamaretur, imperio Principis & ductorum stetit regibilis miles, vexillum opperiens extollendum, quod erat opportune subeundæ indicium pugnæ*, Ammian. Marcell. l. XXVII. ante extrem. non procul: Sic Luna vertetur in sanguinem, *adventum testata Dei*, & pugnæ ineundæ tempus, Apocal. VI. 13. Pergit 2. Johannes, & astrorum ignes cœlo casuros, eversis quasi facibus, extinctosque subtexit. Quod & Prophetæ sæpe. Quod in magno luctu fieri solebat, ut apud Persas Rege defuncto. *Hephæstione defuncto* scribit Diodorus Sicul. l. XVII. *Omnibus per Asiam incolis imperasse Alexandrum, ut sacrum, quem Persæ vocant, ignem extinguerent, usque dum justa ei essent perfecta: quod Persis de more fuerit facere Regibus defunctis.* Apud Benomotapenses, legatorum adventu, quotannis ad subjectos ei Regi Regulos missorum, omnes, qua patet id imperium, ignes extingui mos est, qui vivere sinit, rebellionis se reum facit, *dixi ex Osorio de Reb. Emanuel. l. IV. in silva Symbol. 65.* Romæ in funere Principum præibant signa incomta, fasces versi, Tacitus l. III. Annal. Pedo Albinor. ad Liviam:

Quos primum vidi fasces, in funere vidi,
Sed vidi versos indiciumque mali.

Sed 3. *ad ignem venio & fumum.* Vexillorum vicem ista præstabant in denunciando vel hostium vel sociorum & auxiliarium adventu. *Hostium adventum per noctem flammæ, per diem fumus significat sociis*, Vegetius l. III. cap. 5. mos per omnes gentes pervagatus, de quo vide Arnold. Bootium l. 1. Animadv. Sacrar. cap. 11. ad loca Jerem. IV. 6. & VI. 1. ubi Judæis receptum eundem fuisse docet, ut & alii docti Interpp. Locus unde ostenderentur fuere montes, arces, castella. Instrumenta præcipua fa-

ces, φρυκτοὶ Græcis, quibus & terminus hostilis irruptionis a quo, & ad quem, & numerus turmarum, navium &c. significabatur. Modus & finis tamen duplex: Erant enim φρυκτοὶ φίλιοι *faces quæ amicorum auxilia* indicabant, immotæ elevatæ, & πολεμοι, quas, qui tollebant, *agitare* solebant, ut hostes adesse monerent, sic ex Thucididis Scholiaste Bootius. Hæc si jam ad Domini adventum referre velis, quam pie & apte convenire possint, per te videbis ac intelliges; *Signum* illud, *quod ante se apparituru*m dixit Dominus in die judicii, de igne isto non absurde posse explicari. Quo pertinet & ipsa illa *Crux ignea*, splendidior sole, quam hoc signum fore multorum veterum opinio fuit, quam etsi nobis pro fidei articulo obtrudi non patimur, tamen non spernimus. Crucem Christi signum agnoscimus, sed non ligneam illam, quam adorant superstitiosi, verum ipsum Christum crucifixum, in vexillum nobis erectum, quod & fide recipimus, & imitatione, quod est τὸ σημεῖον βαστάζειν, nempe τὸν θάνατον φέρειν: *Clemens Alex. l. VII. Stromat.* Sed quid tandem de isto signo statuam, exprimendum est alio loco, lib. VI. *cap. 34.*

CAP. LIII.

Imaginum Imperatoriarum Materia, Forma, Locus.

ANte oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus, Galat. III. 1. Videtur Apostolus alludere ad sacros Imperatorum vultus. Hoc sensu; Miror, quod tam cito transferamini a Christo unico Imperatore vestro, τὴν πίστιν ἐξωθούμενοι, ut ait Chrysostomus h. l. *& læsæ majestatis*, perduellionis, *rei:* ut si sacras Impp. effigies vel provinciæ ad se missas, vel milites *in signis cruciformibus*

mibus propositas, spernant, aboleant, aut alia contumelia afficiant. qua de re lib. VI. *de signo Domini in ejus adventu.* Nam prædicatio sane crucem vobis ante oculos pinxit, vosque fidei oculis non secus atque præsentem, adspexistis, ut habent Græca scholia. Libet totam hanc rem breviter exponere, & eadem opera tum locum illum de signo Dominici adventus, de quo hactenus, cum & alios Scripturæ Sacræ, nonnihil illuminare. Sed materia dives, in qua me inopem copia facit, ne confuse proponatur, distinctas sectiones postulare videtur. Hic Apostolus singulis verbis singula exhibet memoratu digna: 1. ait *Jesus Christus*, legitime electus & coronatus Imperator. Nam aliis hunc deferre honorem, non impune sit. Locus ad rem pulcherrimus Ambrosii: *Vide ne deferas imaginem terrestris, ubi lux cœlestium est. Hic si quis tyranni imagines habeat, qui jam victus interiit, jure damnatur. Quomodo tu hostis & adversarii imaginem in civitatem veri Imperatoris inducis, nisi ut ipse te damnes?* in Psalm. XXXVIII. *Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi? Tu deponis imaginem æterni Imperatoris, & erigis in te imaginem mortis. Ejice magis de civitate animæ tuæ imaginem Diaboli, & attolle imaginem Christi,* Idem l. 1. offic. cap. 49. Sic Cassius reus peractus, quod inter imagines majorum etiam C. Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam: *Dux Partium?* Tacitus XVI. Annal. At a Tiberio munera missa Syriacis legionibus, quod solæ nullam Sejani imaginem inter signa coluissent, Sueton. cap. XLVIII. Pergit II. Apostolus: *Præscriptus est*, προγεγραφη, quod & *ad nomen* Imperatoris, & *ad imaginem* pertinet. Nam & signis & vexillis, & ipsis imaginibus ista inerant. Docui ex parte lib. VI. loc. cit. paucula addo: E cera, picturis fucata, e marmore, ære, argento, auroque fiebant, habebant nomina & titulos inscripta. Hinc Ambrosius in Psalm. XXXVIII.

XXXVIII. ad rem de Domino nostro: *Bona imago, non ceris picturæ fucatæ radiantis, sed plenitudine Divinitatis expressa. In qua imagine & Pater simul videtur & Filius, &c.* Sic enim sacratis in imaginibus fieri mos erat, ut quos Imperii Majestas sociaret, eorum vultus conjungerentur, ut in Notitia Imperii Oriental. & apud Panciriol. cap. XXIV. videre licet. Quod de Constantino Nazarius dixit, tu de Domino dic. *Frustra moliri impios, venerandarum imaginum acerbam dejectionem, & divini vultus lituram deformem.* [Cujus sceleris, non tam qui manufactas abolent ejus imagines, quam qui cœlesti penicillo Spir. sancti ἀπεικονισμένας & in S. Scripturis publice propositas, rei tenentur.] *Aboleri hic vultus non potest. Universorum pectoribus infixus est, nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis enitet, sed desiderio efflorescit animorum*, in Panegyr. Describo huc integrum locum S. Gregorii Nazianz. Orat. I. in Julian. qui priscum hunc morem egregie explanat: 1. infit, apud Romanos studiosissime observatum, *ut publicis statuis* [Icones includit, ut mox] *Imperatores ornentur.* 2. Finis: *Nec enim coronæ, & diademata & purpuræ nitor, & memorabiles leges, & tributa, & subditorum multitudo, ad approbandum gratulandumque ipsis imperium sufficiunt; sed adorationem quoque accedere necesse est, ut augustiores appareant.* 3. Cultus: *Parumque habent ipsi adorari, nisi idem quoque sibi in imaginibus picturisque præstetur, &c.* 4. Forma: *His porro imaginibus alii Imperatores aliud quiddam appingi gaudent: quidam clarissimas urbes, dona offerentes; alii victorias caput corona cingentes; nonnulli magistratus adorantes, & præfecturarum tesseris, puta insignibus exornatos; Sunt qui ferarum jugulationes & ejaculationes: alii barbarorum domitorum, & ad pedes provolutorum vel trucidatorum, multiplices figuras.* Denique strategema Juliani Apostatæ subtexit,

qui

qui suis imaginibus idola miscebat, ut vel adorantes in idololatriam caderent, vel non adorantes in impietatem & crimen Majestatis: Ubi interim 5. Imaginum harum missio ad provincias Romano Imperio subjectas notanda, de qua infit: *Cum itaque Dæmones, velut alias consuetas picturas imaginibus suis adjunxisset, tum demum populis & civitatibus, ac præsertim gentium præfectis imagines illas proponebat.* Atque hinc jam eluceſcit III. cur dixerit Apoſtolus, *in vobis*, inter vos, publice & *ante oculos*; nam ut mitti ſolebant imagines iſtæ ab Impp. aut Senatu; ſic palam proponi & erigi, de quo mox ſeorſim. Denique IV. cum ait *Crucifixus*, id partim ad ſymbolum aut emblema hujus imaginis pertinet, qualia modo ex Gregorio Naz. appicta vidimus, ut paſſim in antiquis numis: nam Crux Chriſti inſigne eſt, ut Impp. quidam cum victoriæ imagine, alii cum fulmine &c. in manu effictis viſuntur, de quo plura, ne longior ſim, dicere differo: partim ad ipſum illud geſtamen, in quo vultus illi ſacri affixi, propoſiti, prælati. De quibus quia mox dicendum erit, hic operæ parco. Senſum hinc talem exſtruo verborum Apoſtoli: Miſit ad vos, Galatæ, Regum Rex jam in ſolio ſedens Dei Patris & coronatus gloria & honore, ſacram ſuam effigiem, ſui in cruce trophæi teſtem, & per crucis prædicationem depictam, eamque, ne quis ignorantiam ſuam excuſet, publice ante oculos omnium in medio veſtrum propoſuit, & omnibus adorandam erexit, ut ſciatis, cujus parere imperio, cui genua flectere debeatis: Quis ergo vos faſcinavit, ut veritati obedire nolitis? & alium in Chriſtum, aliud in Evangelium transferamini perduelles? Judica: ſi hoc non dixit Apoſtolus, dicere tamen potuiſſe non negabis.

CAP.

CAP. LIV.

Imaginum Augustalium Artifices Imago Sponsæ.

PEr *manum Prophetarum assimilatus sum* Ose. XII. 11. Ad parabolicum & typicum Prophetarum docendi modum referunt Interpp. nec repugno. Quasi dicat Deus se πολυτρόπως erudiisse contumacem populum, modo per disertas admonitiones, modo per obscuras visiones, modo per parabolas & figuras, ut res futuras declararet

Monstratas variisque typis variisque figuris.

juxta paraphrasin Rittershusii, & *audientium se captui accommodaret*, ut habet R. Salomo. At Dominus Lutherus, ut est mirandus interpres, ita hic quoque rarum quid & eximium spirat. *Ait Prophetas fuisse quasi personas Dei, per quorum ille schema præsens ipse omnia dixerit ac fecerit*, in glossa Margin. & in Comment. Latino: *fuisse Dei pictores, qui nobis imaginem ejus exhibeant velut in speculo*, vide D. Gerhard. de h. l. de vita Ætern. num. 62. Unde tria conficio 1. Usum fuisse Deum in exprimenda imagine sua eximiis *pictoribus*, ut in exornando, & variis imaginibus picturando Tabernaculo olim, Besaliele & Ahaliabo. Id enim studium fuit etiam magnis Regibus ut sacros vultus suos non a quovis finerent pingi, qui forte cucurbitam pingere, aut cupressum similare didicisset, ut, nisi quos pingeret adscriberet, de facie nemo posset noscere, ut olim mos fuit, Plin. l. XXXV. cap. 3. Apulej votum fuit: *Alexandri illud præclarum, quod imaginem suam, quo certior posteris proderetur, noluit a multis artificibus vulgo contaminari; se dedixit universo orbi suo, ne quis effigiem Regis temere assimilaret ære, colore, calami-*

cælamine: quin sæpe solus eam Polycletus [Lysippus, ut Horat. Plutarch. &c.] *ære duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles cælamine excuderet, &c. Quod utinam pari exemplo Philosophiæ edictum valeret, ne quis imaginem ejus temere assimilaret!* Floridor. l. 1. Tales edecumatos pictores cœlestis Philosophiæ, Deique ipsius, habemus Prophetas & Apostolos; 2. Eosdem vero *legatos Dei* etiam per quos sacrum suum nobis misit vultum, & in publico Ecclesiæ Templo, & in suo private cuique dedicandum cordis, dicamne, Lario, an potius sacello? Exemplum moris hujus, apud Romanos receptissimi, nunc unum promo, plura in suum locum reservo. *Maximus Theodosii collega factus Cynegio, Prætorii præfecto, in Ægyptum misso, in mandatis dedit, ut suam Alexandrinis exhiberet imaginem, publice proponeret, & quod imperii consors factus esset, populo proclamaret*, Zosimus l. IV. Histor. Fuisse alibi gentium morem non absimilem, non tantum Amasis Ægypti Rex argumento esse potest, qui, quod ex obscuro loco ad regnum emersisset, a suis se despici cernens, egregio commento dignitatem sibi conciliaturus, e pelvi aurea, qua pedes lavare solebat, statuam fecit & dedicavit, quæ historia ex Herodoto nota est: Sed & Nebucadnezar Babylonius, de cujus aurea statua ejusque solenni dedicatione Daniel. III. *Ita*, inquit Theodoretus, *usurpavit divinum honorem, neque satis fuit ei a subjectis populis adorari, quin etiam eodem adorationis cultu imaginem coli lege sancivit.* Nam & Hieronymus censuit, *statuam Regem sibi ipsi fieri jussisse, ut ipse adoraretur in statua.* Qui & addidit, *Principes & Satrapas Monarchiæ Babylonicæ ad dedicationem fuisse citatos, ut in ipsis omnes subditi crederentur adorasse, ad quos regentum exemplo superstitio manaverit.* Sic Philostratus l. 1. Apollon. Thyan. refert; *Babylonem ingressuris Satrapam quendam, magnæ portæ præfectum, auream Regis ima-*

imaginem solitum fuisse exhibere, quam nisi adorasset quis, excepto solo Romano legato, aditu prohibitum fuisse. Quæ cum examino, ut *morem* ipsum *adorandi*, quod agnoscit Lampridius in Alex. Severo; sic & hunc imagines Regum aut Impp. dedicandi & venerandi: a Persis, aut primitus a Chaldæis ortum fuisse non dubito. Quid si ad illum Oseas alluserit? Supereſt 3. finis hujus per Prophetas propositæ Imaginis Dei. atque is quidem dictis convenienter facile intelligi potest: Illud vero jucundum & pium est cogitare. Ipsum Dei Filium incarnandum, Ecclesiæ suæ sponsæ, præmisisse suam imaginem per manum Prophetarum, ut amare inciperet vehementius, & ardentius exspectaret. Innuunt *h. l. Hieronymus, Haymo, ut & Chrysostom. in Gen. hom. 58. &c. Sic per ipsum Oseam assimilaverat se sponso cap. 1. & 3.* Cornel. a Lap. h. l. Sic autem inter potentes solent conciliari nuptiæ. Exemplum præbet Zosimus, apud quem Rufinus nihil non agebat, ut Arcadio Imp. filiam suam elocaret: Sed Eutropii Eunuchi arte factum, ut spes decollarit, qui Promoti e domo venustissimam ei virginem conciliavit. Nam cum verbis insignem formam Imperatori commendasset, & audiri se non ingratum animadvertisset; ἔδειξε τῆς κόρης εἰκόνα, excitataque potiundi cupidine negotium facile confecit. In sacris nihil nunc video quod quadret, præter exemplum illud Parabolicum *Oolibæ* Reip. Hierosolymitanæ *apud Ezechielem*, quam *Chaldæorum in parieto*, puto aliquo Regii palatii, *depictorum* imagine captam, deperiisse Oestro insani amoris fingit, *cap. XXIII. v. 14.*

In quo loco cum quædam non in vulgus sat nota
exstent, alibi aliquid opellæ
ponetur.

CAP.

CAP. LV.

Sacrarum harum Imaginum Propositio, & Erectio, & Prælatio.

IN die illa radix Jesse, qui stat in signum Populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum ejus glorioſum. Esa. XI. 10. In Hebræo ad verbum: *Et erit in die illa, Radix Isai, quæ stans in vexillum populorum, ad illam Gentes quærent, & erit requies ejus gloria.* Lubet diligentius intueri. Video 1. *Regem Messiam*, qui dicitur *Schores Isai*, radix Jesse, ut Apoc. V. 5. ῥίζα Δαβὶδ: plane ἀπροσδοκήτως, cum surculus potius fuerit dicendus, ut cap. hoc v. 1. Esa. XI. de quo titulo cum luculentissime egerit *D. Glassius in S Rhetor. & alias*, nolim post Roscium in scenam. Video 2. *Regis vexillum*, quod est ipse, imago Dei invisibilis, spes & asylum suorum, signum salutare in sago & toga. *Judæos in vexilla turmatim divisos fuisse* Num. II. 2. legitur. ubi Fagius ad Chald. Paraphr. tria notat ex Rabbinis: *Primum*; Quatuor vexilla primaria fuisse, ut cuique tres tribus subessent, concoloria singula gemmæ illi Rationalis, quæ ei tribui respondebat, ut v. gra. *Vexillum Ruben rubei fuit coloris, qui in Sardio lapide purpurascit, &c. Alterum*; habuisse quodlibet suum σημεῖον. Nam in Rubenis fuisse imaginem *Hominis*; in Judæ *Leonis*; in Ephraimi, *Bovis*; in Danis, *Aquilæ*, de quo vide Pelargum in Comm. ad Numer. l. cit. ut eo Ezechiel & Johannes in Apocal. videri possint respexisse. *Tertium*; Quia vox אותת *Osoth*, ut legit Fagius, *& signa & literas* possit significare, in singulis vexillis *nomina Patriarcharum* illorum fuisse adscripta. Quæ confirmant l. VI. dicenda *de signis militaribus*. Sed hoc vexillum Messiæ *Nes* vocatur, quod pie

accipio, *Signum Regium* dici, der Haupt-Fahnen/cui nomen *Tetragrammaton* inscriptum, ut l. cit. conjicio, & confirmor versione Aquilæ ad Esa. LIX. 19. ubi de nomine Domini ubique adorando ait Propheta: *Spiritus Domini vexillum erigens in eo*, quod nihil est aliud quam hoc dicere: *Spiritum Domini vexilliferum fore Messiæ, Nomen Domini pro vexillo levaturum.* Aquila; πνεῦμα κυρίε σύτσημον αὐτῷ q.d. *ipsum Spiritum Domini, qui in Messia requiescit, fore vexilli signum.* Et Theodotion clarius: πνεῦμα κυρίε ἐσημειώθη ἐν αὐτῷ *Spiritus Domini signatus est in eo*, ut vertit Hieronymus, recte, si modo dextre, ut indicabam, accipis. Sic non modo *signis militaribus clypei affixi, alii super alios, in quibus imago & nomen Impp. viseretur*, sed & *imagines illustrium familiarum, cum honorum titulis, in similibus clypeis adspiciebantur*, de quo Plinius l. XXXV. cap. 3. singularis honos fuit Claudio habitus: *Illi clypeus aureus, vel, ut Grammatici loquuntur, clupeum aureum, senatus totius judicio in Rom. curia collocatum est, expressa thorace tenus vultus ejus imagine*, ut Trebell. Pollio in Claudio. Forte similes illi *Clypei fortium mille*, Cant. IV. 4. Denique Rom. Imperatorum σημεῖα, non tantum a Prima cohorte Legionum, quarum quæque decem constabat cohortibus, prælatæ, sed & alias in pompa, & missæ in Provincias, eodem modo *vultus & nomina eorum* exhibebant. De Prima Cohorte Vegetius l. II. c. 6. *Hæc suscipit Aquilam, quod præcipuum signum in Romano est semper exercitu, & totius Legionis insigne. Hæc imagines Impp. hoc est, divina & præsentia signa veneratur.* De Labaro & vexillo Impp. vultibus & titulis signato, testis esse potest vel solus Constantinus Magnus, qui abolitis veteris idololatriæ insignibus, Christi signum & nomen suis adsignavit. De quo, ne hæc meditatiuncula excrescat, alias. Video 3. *Vexilli hujus erectionem.* Dicitur enim Messias

signum

signum stans, palam propositum & erectum; id enim Hebræum *homed*, unde *hammud* columna. Nam ut militaria signa & *præire* exercitibus solebant, *& quandoque in hostium cuneos*, ad repetendum excitandis militibus, re jam inclinata, *mitti*, ut & in castris aut pugna *defigi*, de quibus Romana in milit. Lipsius: Sic Labara & vexilla Impp. & Magistratibus *præferebantur*, & public *præponebantur*. Hinc Sozomenus l. 1 cap. 4. *Labarum* ait fuisse σημεῖον πομπάτων, *quod semper Impp. antecederet*. Venant. Fortunat. in Hymno de cruce: *Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis mysterium*, Qui mox σημεῖον Regium appositè pingit, cum de cruce ait: *Arbor decora & fulgida, ornata Regis purpura!* Sic Augustinus Serm. 130. de Temp. *Quemadmodum ingrediente Rege in civitatem exercitus antecedit, præferens humeris signa atque vexilla regalia, & ambitu præparationis armisonæ, annunciat Regis introitum; Ita Domino descendente cœlis, præcedet exercitus Angelorum, qui signum illud, id est, triumphale vexillum* [de cruce loquitur] *sublimibus humeris præferentes, divinum Regis cœlestis ingressum terrestrium mentibus nunciabunt.* Sed & *aurati Principum vultus auratæ pilæ impositi*. Præf. Prætorio, & civilibus Provinciarum Magistratibus pro insignibus *præferebantur*. Columella eos sustinebat, in imo erat tripus, ut solo possent consistere, docet *Pancirol. ad Not. Imp. l. 1. c. 24.* Militaria quoniam tripode tali carerent signa, *thecæ ferreæ in terram defixæ* immittebantur ima hastæ cuspide, *Lipsius modo cit.* Hinc *Cassiodorus* & de more illo & de fine. *l. VI. Epist. 20. de Consulari*: Vultus regnantium geniata obsequii pompa præmittit, ut non solum summo Judicis, sed & Dominorum reverentia cumulatus orneris. O magnæ temperationis inventum! De nomine Consulis promitteris clementissimus, & de Principum imagine metuendus.

De Prælatione satis. De *Propositione* supra semel atque iterum dixi. Sic Cornelius Gallus, Ægypto præfectus ab Augusto, sed perduellis, εἰκόνας ἑαυτῦ παρ' ὅλην τὴν Αἴγυπτον ἔστησε, *Xiphilin. in Augusto.* Sic *de Cajo Caligula Suidas*, statuam suam in omnes urbes misisse, in Templis dedicandam, ut & Hierosolymam, cujus Templum jusserit vocari: νέῳ Γαΐῳ ἱερόν, de quo Josephus & Philo, sed aliter atque aliter. Sic Constantini imago a Prætorianis in Imperium evecti, *Romæ exhibita*, καθ' τὸ συνηθὲς, *ait Zosimus l. II.* & mox de Maxentio ait, cum se jam firmatum habere imperium credidisset, misisse in Africam & Carthaginem τὴν εἰκόνα τὴν αὐτοῦ περιέσοντας, *ibid.* Sic Maximino occiso in castris ad Aquilejam, Maximi & Balbini & Gordiani imagines proposuerunt Aquilejensium Duces, easque στεφάνοις καὶ δάφναις κεκοσμημένας, cum lætis acclamationibus, *apud Herod. l. VIII.* Sed ad finem anhelo, video itaque 4. *Erectionis finem & effectum.* Ipsum *Gentes requirent*, ad ipsum confluent, atque adeo *ipsum deprecabuntur*, ut habet Vulgatus: sed *de cultu isto* mox. Ex dictis obvium est, erectos sacros vultus Impp. ut de militaribus signis nil amplius dicam, ut ab omnibus agnoscerentur, lætis εὐφημίαις reciperentur, publice adorarentur, denique ut asylum essent vim passis & injuriam. Quo spectat, quod quasi ἐπιφώνημα adjicit Propheta: *& erit requies ejus gloria.* Ubi requiem *ad sepulchrum* quidem referunt veterum aliqui, cum Vulgato; sed ad literam de hac ipsa collocatione vexilli sermo est. Sic Noæ *navis quievisse* dicitur, & Arca fœderis in Sancto Sanctorum, ut sit sensus: Messias, ut in pugna cum Diabolo novissimus erit virorum, Esa. LIII. 3. sic defixus in vexillum populorum glorioissimus erit. Quod ut illustrius fiat, pergo:

CAP.

CAP. LVI.

Cultus & Veneratio Harum Imaginum.

SI quis adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua: hic bibet de vino iræ Dei. Apocal. XIV. 9. confer cap. XIII. 14. & XIX. 20. & XX. 4. Ut passim, ita hic quoque indicat S. Johannes; *Romanum Imperium Ethnicum Antichristiano præluisse.* Ac collatio sane hac in parte manifestissima est, ut eo magis mirer, nulli, quos viderim, interpretum venisse in mentem. Vide mecum 1. *Imaginem*; nam ut urbes & nationes passim, Romano Imperio subditæ, sacras imperantium imagines facere, consecrare, dedicare consueverant; ita ait Prophetarum Coryphæus fore, ut *qui Terram incolunt faciant & consecrent εἰκόνα τῷ θηρίῳ cap. XIII.* 14. Non aliquam visibilem, aut manufactam, sed mysticam. Quam simplicissime exponas, de illa quam Antichristi fideles animo conceperunt, de ejus majestatis plenitudine. *Andreas Cæsariensis cap. XLII.* vocat: *τὴν δυσσεβῆ πολιτείαν, τὴν ἐκείνου εἰκονίζουσαν, cui opponitur imago Christi, Dei & Salvatoris unici, quam in fidei vexillo circumferimus.* Specta jam 2. *Imaginis formam*; Habet enim *πνεῦμα, Spiritum malum adsistentem, & animantem*, ista Antichristi imago, ut & loqui possit, cap. XIV. 15. Nam ut Christi imago, fidelium mentibus dedicata, viva est & non muta, per Spiritum Sanctum efficax, ut nomen ejus prædicemus, confiteamur & clamemus: Abba, Pater: Sic erroris tanta per Diabolum erit *ἐνέργεια*, inquit cum Paulo Johannes, *ut mendacio* (sic Hebræi *idolum* vocare solemne habent,) *credentes*, nomen & numen Antichristi adoraturi, & præ-

dicaturi sint, eumque proclamaturi, *Dominum Deumq; suum.* Eo enim processit Romanorum quorundam Impp. arrogantia, ut infando sacrilegio titulum istum invaserint, favente & famulante publica assentatione. Sic Domitianus *apud Xiphilin. & Sueton. cap. XIII.* Sed de eo alias. Notum illud Epigrammatarii: *Edictum Domini Dei nostri!* Martial. l. V. Epigr. 8. Qui sub Trajano mox linguam aliter formare doctus; *Frustra blanditiæ venitis ad me, dicturus Dominum Deumque non sum*, l. X. Epigr. 72. Et Papinius, poëta alioqui non humilis spiritus, de statua equestri Domitiani non dubitavit dicere, quod fuerit *forma Dei præsens, &c.* Notæ porro statuæ olim magicæ, animatæ & oracula edentes, quales apud Judæos *Theraphim*, de quibus h. l. *Andreas Cæsarienſ. c.* XXXVIII. De quibus nunc plura non licet dicere; ne videar πάθ ὧν ὁ μίαν μύκωνον. Perge mecum 3. *ad imaginis artifices:* Suasor & Auctor faciendi est *Antichristi Propheta*, cap. XIV. 11. 13. ille legatus ejus, in orbem missus cum facerrima imagine, ὡραιστικὴς ejus, πλοδοποιῶν αὐτῷ τὴν τῆς ἀποστολείας ὁδὸν, *ut dixit Irenæus.* Vere imaginarius. *Imaginarii enim vel Imaginiferi, qui Imperatorum imagines portant.* Vegetius l. II. cap. 7. At factura ipsa spectat ad illos *Terræfilios*, qui Christo vero Deo explosо & abolita ejus imagine, Antichristum pectore suo receperunt. Quæ ex dictis & dicendis, de more Romano, clara. Veniamus 4. *ad Cultum*, quem ait S. Johannes constiturum *adoratione, & characteris, aut nominis, aut numeri nominis ejus receptione:* eamque colendi impositum iri omnibus necessitatem, ut qui refragaturi sint, omni per ejus Imperium commerciorum vitæque ipsius usu interdicendi sint. Hic si in liberum hunc campum excurrendi animus esset, nescio, modum metamque an reperturus sim. Intra paucas lineas me cogo. *De cultu nunc accipe ista:* Imperatores nostri dignitatem suam prudenter & consecrandam

crandam vultibus, & ornandam Templis, & celebrandam ludis Circensibus judicarunt, *ait Vopiscus in Probo.* Ubi notanda *Consecratio*; conceptis verbis fieri solita, cum ante profanæ essent istæ imagines & licite vendi possent, *de qua Pancirol. l. 1. de Notit. Imp. cit. cap. 24. & Lipsius ad 1. Annal. Tacit. num. 194. Dedicatio in Templo*; quam affectavit Caligula, ut dixi: vetuit Tiberius; *de quo Suetonius cap. 26.* Templa, Flamines, Sacerdotes decerni sibi prohibuit, etiam statuas & imagines nisi permittente se poni: permisitque ea sola conditione, ne inter simulachra Deorum, sed inter ornamenta ædium ponerentur. *Primus tamen usurpavit Julius:* ampliora humano fastigio decerni sibi passus, Templa, aras, simulachra juxta Deos, thensam & ferculum Circensi pompa, in qua imagines ejus inter Deorum inferrentur, *quod & Vopiscus attigit. Vide Sueton. in Julio Cæs cap. 76. De adoratione* scite Ambrosius, caput corporis nostri cum tali imagine comparans: *Cum caput videris, hominem agnoscis, &c. Sola ære fusa Principum capita, & ducti vultus de ære vel marmore, ab hominibus adorantur. Non immerito igitur huic quasi Consultori suo cetera membra famulantur, & circumferunt illud servili gestamine sicut Numen, atque in sublime locatum vehunt, &c.* Lib. VI. Hexaëm. cap. 9. *Accessere sacrificia.* Itaque Vitellius Syriæ præses Artabanum adegit Parthorum Regem, *ut Augusti & Caji Impp. imaginibus sacra faceret*, Xiphilinin Cajo Calig. Qui & *Sejano* à Romanis Patribus æque ac *Tiberio* ipsi sacrificatum fuisse prius retulerat. Denique ut Legiones signa sua ornârunt, floribus coronârunt, festis diebus inunxerunt, &c. *Lipsius ad 1. Annal. num. 106.* perque terrarum orbem adorârunt, in jurejurando invocârunt &c. Si alii alias has imagines eadem aut simili veneratione coluerunt. Damnati sunt aliquando qui *urinam in eo loco fecerunt, in quo statuæ aut imagines erant Principis,*

& qui coronas iis detraxerant, ut alias ponerent; Spartian. in Anton. Caracalla. At qui non recipiebant, non adorabant, non thure meroque sacrificabant impietatis & læsæ Majestatis rei facti, hostes Reipubl. habiti, aqua & igni interdicti, e vita exterminati sunt. Exempla Martyrum acta dabunt, res ipsa notissima est. Quod supereſt, *characteres manuum & frontium ad militum stigmata pertinent*; *nomen & nominis numerus, ad professionem & conscriptionem eorum in certam aliquam Legionem, referri potest.* De quibus deinceps, si vita superſit: Hic enim spatiis excludor iniquis.

CAP. LVII.

Impp. Imagines, in annulis, numis &c. Stigmata militum.

PArs magna fuit hujus superstitionis, de qua agimus, ut Imperatorum imagines sculperentur *in annulis*, imprimerentur *in numismatibus*, cum nominibus ipsorum: Quorum etiam *characteres Milites circumferebant in corpore, & in clypeis.* Quæ multis S. Scripturæ locis inserviunt, singulis accommodabuntur. *De annulis.* Haggæus cap. II. v. 24. ubi Dominus ipse Exercituum de Zorobabele servo suo, quem cum summa potestate copiis suis præfecit omnibus: *Ponam te quasi signaculum*, Cachotam, quod Chaldæus eleganter vertit; *sicut sculpturam annuli super manu*, LXX. ὡς σφραγίδα, reliqui Interpp. sequuntur: *Quia te elegi.* Zorobabel iste ἀληθῶς quidem ille Princeps tum Judæorum reducum; ἐπομένως vero ejus posteri in eodem regimine; sed μᾶλλον Christus, ἐξαιρέτως nempe, & ex primaria Spir. Sancti intentione, *ut docet Cyrillus ibid.* Mos autem fuit, ut Impp. suas imagines gestarent in annulis signatoriis. *Augustus in diplomati-*

matibus, libellisque & epistolis signandis initio Sphynge usus est: mox imagine Magni Alexandri, noviſſime ſua: Dioſcoridis manu ſculpta, qua ſignare inſecuti quoque Principes perſeverarunt. Sueton. cap. L. in Octav. Origo moris ab Aſſyriis, ut cætera fere hujus generis. *Nam in eorum ſigillo Regio expreſſa fuit imago Rhodogunes*, nempe Semiramidis, *ſparſis capillis, quo habitu Babylonem rebellem cœpit*, ut dixi in Symbol. Theol. cap. CXXII. ex *Polyæno l. 8. Strategem. & Valer. Max. l. IX. cap. 3.* Nec mihi dubium quin Perſæ hinc cœperint ſignare, *annulo Cyri aut Darii imaginem præferente*, cujus annuli regii in Daniele c. VI. & in libro Eſtheræ paſſim mentio. *Thucydidæ* interpres notat τὸ βασιλικὸν σφράγισμα, *ut vocat Xenophon*, habuiſſe vel Regis imaginem, vel Cyri Monarchiæ Perſicæ auctoris, vel Darii equum, cujus hinnitu regnum ille obtinuit, *vide Briſſon. de Regno Perſar. l. 1. p. 142.* De Alexandro ſcribit *Curtius*, duplici annulo uſum fuiſſe, Darii in literis quas in Aſiam ſcriberet, ſuo, in iis quas in Europam mitteret, *l. VI. cap. 6.* Hunc moriturus Perdiccæ tradidit, *Idem l. X. c. 5.* exemtum digito, tacite hæredem deſignans, de quo & *Juſtinus l. XII. cap. 15.* Hinc Imago Auguſti ſignatoria illa, quæ & *Macrianorum familiæ* peculiaris fuit, non ſine ſuperſtitione; *nam credebant juvari in omni actu ſuo, qui Alexandrum vel auro geſtarent expreſſum, vel argento*, Trebell. Pollio in Tyrann. 13. At ut Reges & Impp. hoc pacto imaginibus ſuis uſi; ſic easdem in annulis ferre vulgi veneratione inſtitutum eſt. Hinc Paulus Prætorius Maronis inſidiis in capitis inciderat periculum, quod matellam in convivio ſumens, *imaginem Tiberii, quam in annulo habebat ectypam, obſcœnis admoviſſe accuſaretur.* Jam ſubſcriptionem componebat Maro, cum ſervus Pauli annulum in manu ſua oſtendit, quem ebrio hero extraxerat, *Seneca de Benef. l. III. c. 26.* Aliud autem Romæ fuit *Reipublicæ*

signum, quo obsignata diplomata Reip. nomine edita, in quo Romæ imago forte, qualis in numis videtur, ut *Casaubonus annotat ad Sueton. Octav. August. c.* 94. Quo mihi allusum esse pie videtur Esa. XLIX. 16. *Ecce! in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper!* Nam ut *in Davidicis numismatibus muri & arces Sionis* exprimebantur. *Theolog. Symbol. meæ cap.* 21. Sic in annulo signatorio quid vetet? Nam & alias, in manu & annulis signare imagines charissimorum, Judæis olim frequens fuisse, alias docebitur. Sic ergo Jehova Zebaoth *imaginem suam*, Filium suum Hominem factum, Heb. I. 3. in annulo suo signatorio gestat, & nos fide gestare decet, ut in omni actu nostro juvemur. *De numis* brevis ero: Exemplum habemus in Evangelio Matth. XXII. 20. *Cujus est imago hæc & superscriptio?* ubi vide Walæi annot. Cassiodorus morem & finem indicat: *figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur. O laudabilia instituta Majorum! ut & imago Principum subjectos videretur pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desinunt pro salute cunctorum*, lib. VI. epist. 7. *de Comitiva Sacrar. Largition.* Hactenus bene. Sed superstitio morem fœdavit. *Apud Aspendios impietatis damnatus est, qui verberàsset, cum drachmam ille argenteam Tiberii imagine signatam, contra vim & injuriam, gestaret*, Philostrat. l. 1. Apollon. p. 19. Et Romæ eodem Imperatore inter capitalia fuit, *effigiem numo vel annulo impressam latrinæ aut lupanari intulisse*, Sueton. in Tiber. cap. LV. De numorum *symbolis variis* vide Alex. ab Alex. l. IV. cap. 15. *De characteribus militum*, præter loca illa Apocalyptica, citata cap. super. alia exstant: celeberrima vero illa Ezech. IX. 4. & Apocal. VII. 3. *de signatura Dei servorum*, militum, *in frontibus ipsorum*. De signo impresso, quale fuerit, magna concertatio est. Sed Johannes jubet quiescere: ait fuisse τὸ ὄνομα τὸ πατρὸς nomen

men Patris Domini nostri, cap. XIV. 1. ut ex adverso *milites Antichristi, hujus nomen & characterem* ferunt. De more isto nota sunt illa: *Pictis in cute punctis milites scripti, & matriculis inserti jurare solent, & ideo militiæ Sacramenta dicuntur*, Veget. l. 2. de Re Milit. c. 5. qui & monuerat ante, non esse tyronem delectum statim *punctis signorum inscribendum*, verum ante exercitio prætentandum, ut utrum vere tanto operi aptus sit, possit cognosci, l. 1. cap. 8. Mos antiquissimus *a mysteriorum initiis* ortum duxit, in quibus *res Sacramentorum divinorum* Diabolus æmulatus est, *ut in Mithræ*; nam & illic *in frontibus signabat milites suos*, Tertull. de Præscript. de quo mox. Augustinus *signum Regale* vocat, *illum militiæ characterem, quem miles in corpore suscipit*, l. II. contra Epist. Parmeniani, locus in Jus Canonicum relatus est *Caus.* 1. *Quæst.* 1. *cap.* 97. Non autem fuit id signum tam nomen Imperatoris, quam character aut nota, abbreviatura aliqua, nominis, quali in subscriptione multi Imperatores usi, etiam postquam Imperium ad Germanos pervenit, ut passim in antiquis eorum diplomatibus videre est. Ut bene annotârit *Primasius in Apocal.* Signum Antichristi fore *nominis Christi characterem illum notissimum*, qui per Græcum, X, literam, desuper perpendiculariter insistente Græco P, exprimi solebat, quo Constantini Labarum erat signatum, & approbat idem *Ribera in Apocal. cap. XIII. p.* 375. Sat multa nunc quidem de stigmatibus. De Clypeorum signis seorsim agendum est.

CAP. LVIII.

Notæ in Clypeis Militum.

QUa ratione Antichristi fideles & milites, præter characterem, & nomen, τὸν ἀριθμὸν τὸ ὀνόματος *Nominis numerum*, sensu literali, dicantur recepturi? Apocal.

cal. XIII. 17. dum attentius quæro; duo inprimis occurrunt, quæ lucem obscuro loco putem posse adferre: Alterum *clypeorum militarium* ratio obtulit; alterum singularis quædam στεγανογραφία. Accipe 1. *de Clypeis*. Distincti erant illi & coloribus, ut *Chaldæorum rubricati*, Nahum. II. 3. & insignibus sive δείγμασιν. De utroque distinguendi modo fuse egerunt *Pierius Valerian. l. XLII. Hieroglyph. & Pancirol. ad Not. Imp. l. 1. cap. 37. & seqq.* De hoc in specie breviter *Vegetius l. II. cap. 18.* Ne milites aliquando in tumultu prælii a suis contubernalibus aberrarent, diversis cohortibus diversa in scutis signa pingebant, quæ ipsi nominant *digmata*; sicut etiam nunc moris est fieri: *præterea in adverso scuto, uniuscujusque militis literis erat nomen adscriptum, addito ex qua esset cohorte, quave centuria.* Digmata illa, quantum ad hunc locum scire sufficit, erant hieroglyphica signa, alicujus sive Dei, sive & Imperatoris aut imperii, cujus stipendio merebant. Pausanias refert, hinc inde in Græcia videri, *Menelaum cum scuto, in quo erat Draco*, in Phocicis; *Idomenea*, qui pro insigni habebat *Gallum gallinaceum*, Soli sacram alitem, in Eliac. prior. *Aristomenem*, cujus insigne *Aquila passis utrimque ad marginem clypei alis*, in Messenio &c. In *Alcibiadis* scuto erat *Cupido* fulmen gestans, *in Persei* olim *caput Medusæ*, ut temporibus belli Trojani *Ulysses Delphinem, Agamemnon Leonem*, in scutis habuerunt, & hic quidem cum epigrammate: Οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὃ δ' ἔχων Ἀγαμέμνων, *Ille quidem est hominum timor, at qui fert Agamemnon*, Pausan. in Eliac. prior. vide plura *apud Lipsi. de Milit. Rom. & Claud. Minoëm de Symbolis in Emblem. Alciati, ut & Alex. ab Alex. l. VI. cap. 22. ejusque commentatorem Tiraquell.* Messeniis nota fuit litera M, ut Lacedæmoniis, L; utraque initialis nominis ejus Reipub. cujus auspiciis militaverant. Ergo ut Dei fideles olim

olim in Vet. Testam. Dei nomen aut notam aliquam in cutis habuere, quod colligere licet, ex solenni illo titulo, quo dicitur *Dominus tutela & Clypeus suorum*; nam ut *Tutela in navibus* erat aliqua Dei imago, *ut Castorum* Act. XXVIII. 11. *de quo in Theolog. Symb. cap. 61.* Sic eadem in clypeis: vide Psalm. VII. 11. & LXXXIX. 19. & CXV. 9. 10. 11. eaque loca sine præjudicio expende: Ita apud Christianos - *clypeorum insignia Christus scripserat*, Prudent. 1. adv. Symmach. Mos certe antiquissimus fuit, quem *a temporibus Osyridis repetit Diodorus Sicul.* ut Ægyptiorum Zoolatria hinc orta non immerito videatur, de qua ad finem Passionalis mei. Hinc explico, *recipere nomen & numerum nominis AntiChristi*, nihil aliud esse, quam se ejus profiteri militem, in certa aliqua legione, cohorte & centuria. Nam & Imperatoris nomen, aut *charagma*, & ordinis *numerique sui* signum recipiebant in clypeis suis, qui militabant. Sed numerus tamen nominis videtur ad ænigmaticam illam, scribendi per literales numeros, rationem respiciendum esse admonere.

De Steganographia Arithmetica.

DIcendum igitur nonnihil 2. *de Steganographia illa sive Grammatica, sive Arithmetica.* Nam ut hodie mos est scribendi, quæ celata velis alios, præter artis hujus gnaros, *per Ciphras*; sic olim fuisse puto *per literas Alphabeticas*, quarum quæque numerum exprimit usu Hebræorum & Græcorum. Hac arte scribit S. Johannes cap. XIII. 18. nomen Antichristi, cum ait: ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ χξς. *Numerus ejus sexcenti sexaginta sex.* Sic in Sibyllinis Oraculis, antiquissimis, quamlibet *hypobolimæis*, scribitur nomen Jesu, per - *octo monadas, totidem decadas super istas, atque hecatontadas octo*, id est per numerum 888. quem dant computati numeri in nomine Ἰησοῦς:

Ἰησοῦς : nam prima litera *decem* significat ; altera *octo* ; tertia *ducenta* ; quarta *septuaginta* ; quinta, *quadringenta* ; & sexta, *ducenta* : vide lib. 1. Sibyll. carm. & ibid. Obsopæi Notas. Eadem ratione *ex trecentis decem & octo* Abrahæ militibus, quibus ille Lothum captivum liberavit, Gen. XIV. 14. exstruxerunt Doctores Ecclesiastici, Abrahamum *cruce & nomine Jesu* pro signo fuisse usum. Nam litera T, cruciformis, dat numerum Trecentorum ; *decem* vero & *octo* significant duæ literæ initiales nominis Jesu, nempe I & H, Jota & Eta. Sic ænigma hoc, quo in explicando frustra sudarunt *ad Præfat. Prudentii Psychomachiæ*, *Barthius & Drusius apud Weizium*, *pag. 680.* exposuerunt dudum Patres. Clare Ambrosius l. 1. de Abraham. cap. III. *Trecentos T litera Græca significat ; decem & octo summam, in exprimit nomen fidei.* Secuti post alii ipso recentiores, quos dabit *Rosweidus in Paulin. Notar p. 753.* Vide tamen de numero *Decem & Octo*, qui tribus senariis constat, singularem opinionem *Augustini*, *vel quisquis est*, *in lib. Judic. quæst. 37.* Nam & Gedeon Judic. VII. 7. Hoc signo crucis, ut canit Tertullian. l. IV. contra Marcion.

— *prædonum stravit acervos*
Tercenteno equite ; numerus Tau, litera Græca.
Tau signum crucis ; & cornu ; præconia vitæ ;
Lucentesque faces in lychno ; spiritus ardens.

CAP. LIX.

Stigmata Animalium, Victimarum.

Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, Galat. VI. 17. Ut locum insignem illustriorem faciam observare lubet aliqua 1. *jumentis & animalibus* videri inusta

usta stigmata primitus, hinc morem ad alia isto modo signanda processisse. Ac animalibus quidem domesticis notæ impressæ, ut amissæ recuperari possent. Sic Equi dicti *Coppatiæ*, qui habebant ἐντετυπωμένον σημεῖον τὸ Κόππα, Hesych. & Σαμφόρας dicebatur equus, cui Σ erat inscriptum, *Idem ex Aristophane in Nebulis.* Sisyphus Corinthiorum Rex ungulis solebat imponere nomen suum μονογράμματον, quo argumento furto subducta ab Autolyco repetiit, *Suidas in Sisypho.* Apud Strabonem historiola est de lupo grato erga sponsorem, qui pro capto fidem suam obstrinxerat, ut liberaret; cui armentum equorum ἀκαυχενίων adduxerit, quas ille lupi signo notatas *Lupiferas* vocarit, *repetit Caussinus in Polyhist. l. VII. c. 75.* Sic boves apud eundem Strabonem & Dionysii Periegetæ interpretem *clava* signati leguntur, *Dausquei in Tryphiodor. Excid. Trojan. p. 292.* Sic Mycon apud Calphurnium Eclog. 5. inter alia signare jubet oves - *præcepta daturus alumno:*

— *vivi quoque pondera melle*
Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,
Impressurus ovi tua nomina: Nam tibi lites
Auferet ingenteis lectus possessor in arvo.

Quo refert *Eulogius Alexandr. l. III. contra Novatianos* illud Amosi cap. III. 12. *Quomodo si pastor eruat de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, &c.* Quædam animalia, inquit, in aure, quædam in crure signantur. Propterea necesse est pastorem vel aurem vel crus in recensendo præbere & exhibere Domino. Pastor verò ovium rationalium, quæ signum per Baptismum & fidei confessionem in animo receperunt, & ibi signum Domini gestant, eripere illud Diabolo omnimodis conari debet, &c. μῆλα ἀσήμαντα sunt ἀσφάγιστα, & quæ consequenter non habent ἐπισφάτας ἢ σημάντορας, Suidas: σημάντωρ pastor ab isto signandi officio, ut & Dux exer-

exercitus dicitur. Alia ratio fuit *victimalium*, quæ nota inscripta a profano usu segregata. Bovem apud Ægyptios immolandum sigillo impresso notabant sacerdotes certi, *Sphragistæ* ab eo officio dicti. Sigilli sculptura exprimebat hominem, manibus post tergum revinctis, jugulum præbentem imminenti gladio, *Plutarch. de Iside & Osyr. de quo in Passionali dixi ad Vaccam Rufam.* Posses hanc in sententiam Apostoli stigmata accipere, quæ se a Christo, tot jam impressis persecutionum notis, velut ad sacrificium jam destinatum susceptisse, vere potuit dicere, & dixit 2. Tim. IV. 6. *Jam immolor!*

CAP. LX.

De Stigmatibus Servorum.

HInc jam 2. *Servis*, *mancipiis & ergastulis* inprimis, de quibus *Lipsius l. II. Elect. cap. 15. fuse*, imposita stigmata. *Charactere Domini inscribuntur & servi, & nomine Imperatoris signantur milites*, ait Ambros. de obitu Valentiniani. Sed ut diverso fine fiebat ista servorum inscriptio, sic & modo: Quidam præferebant characterem hunc ἐν χαρπάσοις, ut ex Philone audiemus, discriminis causa. At *in ergastula* missi, ut vincti erant, ne aufugerent; ita compuncti, ut ne se occulere possent. Tales erant & *in pistrinis*, frontes literati, & capillum semiraſi, & pedes annulati, *Apulejus l. IX.* Quæ furum, fugitivorum, aut alioqui nequam servorum pœna. Hinc Ausonii jocus: Epigram. 15.

Tam segnis scriptor, quam lentus, Pergame, cursor,
Fugisti & primo captus es in studio:
Ergo notas scripto toleraſti, Pergame, vultu,
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

Notæ illæ fuerunt *notum quoddam fugitivorum epigramma*, Petron. in Satyr. instrumentum, ferrum ignitum, & infusum

infusum atramentum, *encaustum*, ut esset scriptura indelebilis, qua de re multa præter *Lipsium l. cit. Colvius in Apul. l. cit. & Petronii Interpp.* Hinc *cauteriata conscientia*, apud Apostolum 1. Tim. IV. 2. Quæ ψευδολόγοις, furibus, fugitivis bene convenit, illis, qui ut ut fronte se pingant, & hypocrisi stigmata sua obvelare cupiant, *ut stigmatias ille apud Diphilum, comam se Deo simulans nutrire alicui*, Athenæ. l. VI. Dipnosoph. post Princ. p. 167. inexpiabilem tamen notam in pectore circumferunt, αὐτοκατάκριτοι: quos devitandos monet, *participari enim stigmata delictorum quasi ex contagione, si quis se cum peccatore miscuerit*, Tertullian. adv. Marcion. l. 4. cap. 9. Sic apud Guntherum Ligurini lib. VII. v. 285. Lex castrensis Friderici Imp.

Servus deprensi convictus crimine furti,
Si fur ante fuit, probrosa morte peribit:
Sin minus: abraso signatus vertice frontem,
Verbera dura feret, castrisque fugatus abibit.

Quæ hodieque observari solet, *vide ibid.* similem pœnam in alios sceleratos statutam. Sæpe tamen contumelia hæc facta probis & insontibus, tyrannico herorum ingenio. Sic Bionis pater gestavit συγγεγραφὴν ἐπὶ τῷ στέρνῳ, τῆς τῶ δεσπότου πικρίας σύμβολον, *Laertius l. IV.* Caligula multos honesti ordinis *deformatos prius stigmatum notis*, ad metalla &c. damnavit. Nec quidem ex gravibus causis omnes, verum male de munere suo opinatos, *vel quod nunquam per Genium suum deseraſſent*, Sueton. cap. XXVII. Qua de causa Phocylides heros monere opus habuit: στίγματα μὴ γράφῃς, ἐπονειδίζων θεραπόντα, *Stigmata ne inscribas, servo ne injuria fiat.* Sic Apostoli locum Augustinus accepit, in Comm. & Remigius: *Stigmata sunt notæ servilium pœnarum, quibus solent servi fugitivi notari a Dominis suis. Et B. Apostolus stigmata sive notas ferebat, quæ pro Christo sustinuerat; quia*

adhuc plagæ virgarum & lacerationum in corpore ejus apparebant, quomodo fuerat catenis adstrictus & per plateas tractus. Gloriatur de illis, & merito: nam Christi erant, etsi a Diaboli mancipiis impressa: in laudem Christi & commendationem ministerii sui tendebant. Sic gloriosa erant stigmata, quæ *Histiæus servo suo*, raso capite omni, *inscripserat*, quæ literis Aristagoræ nunciabant, quas furtivo hoc scripto Dominus eum res scire cupiebat, cum capillus iterum adolevisset. *refert historiam A. Gellius l. XVII. cap. 9.* Quibus Paulina hæc licet pie conferre. Sic gloriabantur Martyres inscriptione damnati,

Quorum libris inscripta sunt cœlestibus
Nomina, ptaque frontes compunctæ notis,

Vide Baron. Martyrol. ad 22. Decembr. ubi multa de hac pœna. Quod *si Thraces*, unde stipator ille Alexandri Pheræi tyranni *Threiciis notis* compunctus, Cic. II. Offic. *Thracumque mulieres*, quæ a Scythis ignominiose notatæ, *corpus postea totum pingebant*, ut dedecus verterent in ornamentum, *apud Athenæum l. XII. p. 390.* Si *Britones* & alii de suis gloriati sunt stigmatibus; quanto magis debuit mundo stigmatias, sed Christo fidelis miles Paulus? De Britannis notum, quod cutem pinxerint ποικίλων ζώων παντοδαπαῖς εἰκόσι, *Herodian. l. III.* unde *Pictorum* nomen. *Insignia eorum fuisse stigmata* ait Tertullian. de Veland. Virg. cap. 10. ut *pennas Garamantum, crobylos Barbarorum, cicadas Athenienſium, cirros Germanorum.* Totus ille furiosi mundi apparatus, eculei, & fidiculæ, & ergastula, & cruces, & circumdati defixis corporibus ignes, & cadavera quoque trahens uncus, varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontium, & bestiarum immanium caveæ, *ut recenset Seneca l. III. de Ira cap. 3.* Christianorum ornamenta sunt. Queritur Plinius l. XVIII. c. 3. quod *rara olim triumphalibus manibus culta, suo*

ævo

ævo vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exerceant, ut mirari frustra esset, ergastulorum non eadem molumenta esse, quæ fuerint Imperatorum. Nostra tota & tanta messis *horum Stigmaticorum & Stigmosorum* opera succrevit.

CAP. LXI.

De Stigmatibus Idololatrarum.

SEd *præ manibus terræ*: finem itaque ut faciam, a servis, puto, orta esse stigmata. 3. *Idololatrarum.* De his in Levit. c XIX. 28. *Neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis. Ego Dominus.* Quem in locum *vide Fagium ad Paraphr. Chald. & Cornel. a Lap.* clare indicat, idololatras Diaboli stigmatias, nomina & imagines, aut characteres idolorum corpori suo inussisse. Sic *Assyrii* omnes notas inustas habebant, *Lucian. de Dea Syria: Philo l. 1. de Monarchia:* Quidam, *inquit*, eo insaniæ pervenerunt, ut sibi nullo ad pœnitentiam relicto regressu, ruant in servitutem idolorum, literis eam profitentes; non in tabellis, ἐν χαρτίοις, ut mancipiorum mos habet; [quod vix aliter licet accipere, quam de iis quas in fronte gestarint servi, *indices & Domini, & operæ* cui essent deputati, quod in magnis familiis, quæ sæpe bellicosis nationibus majores erant, *Seneca l. VII. de Benef. cap. 10.* cavendæ confusioni fieri oportebat] sed *in ipso corpore ferro ignito* eam inscribentes, nota indelebili, quæ nunquam, obduci possit. *Prudentius in Romano Mart.* ritum exsecrabilem ad oculum pingit:

Quid? cum sacrandus accipit Sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus;
His membra pergunt urere, ut igniverint.
Quamcunque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.

Addit; defunctis, cum ad sepulchrum ferrentur, aureas bracteas in istas consecratas partes impressas, & aurea lamina cutem obductam fuisse.

Sic Dæmon ipse ludit hos, quos ceperit,
Docet exsecrandas ferre contumelias,
Tormenta inuri mandat infelicibus!

Sic in *Mithræ initiis*, sic in *Eleusiniis* signati Diaboli servi. Sic *Epimenidis* corpus punctis variis inustis post mortem deprehensum. Non alia nota fuit *Pythagoræ*, femoris aurei; non alia *Abaridis*, sagittæ ab Apolline acceptæ. Sic *Carpocratiani* signum sibi imponebant, cautere, aut novacula, aut subula, ἐπὶ τὸν δεξιὸν λοβὸν τῆς ὠτὸς, *ut docet Epiphan. hæres 27. & ante Irenæus l. 1. cap. 24.* Quam signandi rationem etiamnum in suis militibus, magis & sagis, Sathan observat, *de qua Delrio & alii.* Sed hæc nihil ad Apostoli locum facit.

De Stigmatibus Militum.

SUperest 4. *Stigmatio Militum*, de qua supra. Ex hac idololatria ortam vix dubium esse potest. Nam ut reliquos Deorum suorum honores, *Imperatoribus* ex pari collatos, vidimus; sic hunc quoque quis abnuat? Hinc *Sacramenta* dicebantur. Aliud enim erat *Sacramenta militiæ recipere, aliud Sacramentum dicere.* Minus tamen nefanda videri poterat hæc superstitio, cui lenocinabatur ratio Politica, ut miles Sacramenti sui memor, & Principem revereretur, & ordinem suum teneret. Ad istum morem quoque respexisse Apostolum recte innuit Chrysostomus. *Non ait Apostolus*, inquit, ἔχω, ἀλλὰ βαστάζω, *publice gesto, ut si aliquis de trophæis gloriaretur,* ἢ σημείοις βασιλικοῖς quod tamen videtur intelligere voluisse *de illis signis, quæ*, ut mox ait, οἱ σημειοφόροι *Signiferi, Imaginarii, præferebant.* Certe milites stigmata sua

sua in fronte & manu ferebant, non sine gloria; cum tot & tanta essent *emolumenta Sacramentorum* quæ recenset *Juvenalis Satyra 16.* Nam *cicatrices illæ plagarum*, ut Ambrosius hæc stigmata explicat, &si Apostolo a mundo servilem in modum essent inflictæ; tamen character erant strenui Christi militis non abscondendus; ut idololatræ & magi *vel in vola manus, vel in cervice, vel in auricula extrema, vel in femore, vel in ipsis pudendis* excipiebant turpem & dedecorosam notam, quam ne profiteri quidem aut palam ostendere pudor sinebat, & mala conscientia; verum palam portandus, ut rei bene gestæ & fidelitatis testis ac index. *Sic milites vulnera sua solebant ostendere*, ut docet h. l. Chrysostomus, *quæ adversa corporis parte pro Republica excepissent.* Sic *Sertorius* altero amisso oculo in prælio, dicere solebat, *se quocunque iret, circumferre virtutis suæ τεκμήριον.* Sed fere e portu me ventus iterum abduxisset in altum; Vela itaque contraho.

CAP. LXII.

Cauterium.

QUidam *desciscent a fide, attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi falsiloquorum, cauteriatorum in propria conscientia.* 1. Tim. IV. 2. Doctores veteres varie exponunt, omnes eleganter: Chrysostomus verbo *cauterium* hoc explicat πονηρὸν βίον. Id enarrat Oecumenius: *Quoniam multæ impuritatis sibi conscii sunt, idcirco conscientia eorum indelebilia habet sordidæ vitæ cauteria.* Theodoretus maluit intelligere de *extremo stupore. Locus enim cauterii morte affectus priorem sensum amittit.* Ambrosius: *sicut cauterium corium corrumpit, & notam infligit; ita & fallacia conscientiam, quæ dolo malevolentiæ, aliud scit,*

& aliud profitetur, denotat ad perditionem. Jam enim hos immutari negat, ut salventur: quia sicut cauterium immutari non potest; ita nec eorum animus emendari. Remigius: *Cauter, vel cauterium est ferramentum Medici, a quo corrumpitur & uritur cutis & caro hominis. Ita inquit, illorum mens, qui a fide recedunt, corrupta est prava doctrina, & perverso opere.* Sic Ipso Magister in Gloss. ad Prudent. *Cauter & cauterium dictum quod urat, quod interdum pro signo, interdum pro cura adhibetur, ut vis morbi ignis ardore siccetur.* Debuisset addere, interdum *pro supplicio*, interdum *pro pictura.* Explico; nam tota hæc ratio ad locum Apostoli facit, eamque attigisse videntur Patres citati. 1. *Pro signo*; sic milites signati, sic servi, ut dixi: Sic Dæmonolatræ: quod ad h. l. quadrat. Nam Dæmoniorum doctrinam professi, ab ipsis signantur: ut fidem Christi sequentes, ab ipso. Locus insignis apud Macarium hom. 12. adscribendus est: *Quaramus inprimis* τὸν καυτῆρα καὶ τὴν σφραγίδα τοῦ Κυρίου ἐν ἑαυτοῖς ἔχειν. *Quia in die judicii, quando fiet* ἀποτομία τοῦ θεοῦ, *quicunque cauterium habuerint agnoscent Pastorem suum, & vicissim Pastor suam propriam* σφραγίδα *habentes, agnoscet & congregabit ex omnibus gentibus. Nam*, ut adjicit, *quod modo habemus in mentibus tum fulgebit in corporibus.* Indicat Apostolus, si ita intelligas, *causam signantem*, quæ est Diabolus; *subjectum quod*; perfici illi impiæ doctrinæ fatores; quo, conscientia, *instrumentum*; quod est cauter, ferrum illud teli igniti, Eph. VI. 16. *Formam*; quæ est in nota insusta, turpi, & ideo occultata hypocrisi, eaque indelebili: *Finem*; signantur enim, ne latere possint, ne aufugere, ut & noti sint Diabolo, qui sui sint, & immutabiles, perennes servi; vix enim fit, ut possint cauterium hoc abolere. Quanquam Medici promittant medicamentum, quo stigmata tollantur indignis. Etenim multis hæc calamitas ex transverso acci-

accidit, ut dispensatorio Sabini Calvisii, naufragio in ergastulo deprehenso. *ut ex Scribonio Largo Medico cap. 231. recitat Lipsius l. 2. Elector. cap. 15.* Et sunt similia apud Plinium. Sic indignis auferri possunt; sed dignis ne manus quidem Medica adhibenda est, quam & ipsi spernunt, & persequuntur, sic Hebr. VI. 4. 6. Itaque nota hæc reproborum est, cui opponitur electorum σφραγὶς, *signaculum Dei immutabile*, 2. Tim. II. 19. *Effectum* denique innuit Apostolus, qui est ἀναισθησία, *stupor*, conscientiæ mortuæ, & cauterе occisæ, ut minus sapiant, aut sentiant, quam occisa sus. Nam & magorum sagarumque stigmata locis compunctis sensum auferunt, *ut acicula per cutem & carnem usque ad ipsa ossa sine ullo doloris sensu infigi possit*, quod Godelmann. Delirio &c. observarunt: accedit *aurea illa bractea hypocriseos*, qua utcunque abscondere laborant stigma Diaboli, de qua sup. cap. *Fabricensibus, armorum opificibus, jusserunt* Impp. Arcadius & Honorius, *Stigmata, hoc est, notas publicas brachiis infligi, ad imitationem tyronum, ut hoc saltem modo latitantes possent agnosci*, Cod. de Fabricens. Pancirol. l. 1. Not. Imp. c. 66. quod ad rem est annotare. Pergo 2. *Pro cura*, alludit Remigius cit. sed invita, quod ajunt, Minerva, huc trahas. Deus sic sanare solet suos. Unde Romanus Martyr. apud Prudent. *de stridulis cauteribus* præfatus, quod dum carni infiguntur ignei cauteres stridant, ait:

Putate ferrum triste chirurgos meis
inferre costis, quod secat salubriter, v. 502.

Multa de hac Medicina *per ferrum & ignem* Rittershusius ad Salviani locum: *optimi ac perittissimi Medici dissimilibus morbis curas dispares præstant, atque aliis per dulcia medicamenta, aliis per amara succurrunt: quosdam curant cauteriorum adustione, quosdam malagmatum placabilitate, &c.* l. 6. de Gubern. Dei, *in comment.*

248. Quanquam hoc ad locum hunc non sit ineptum dicere : Profiteri Diabolum quoque Medicinam animorum. Sed si rem ipsam videas, esse ἀπότομον ἰατρον, qui unicum hoc norit remedium, τὴν καῦσιν ἢ τὴν τομὴν *ut Gregor. Naz. ait de talibus :* similem *Archagatho*, qui primo *vulnerarius* dictus, mox a sævitia secandi & urendi *Carnifex*. Plin. l. XXIX. cap. 1. Jam cauteria 3. *in suppliciis* adhibita, quæ supra dixi, manifestant. Tale fuit, quod *Artemisia imposuit Rhodiis devictis*, apud Vitruvium l. II. cap. 8. *de quo Theol. Symbol. mea cap. 113.* Sic Athenienses Samiis captivis *noctuæ* ; illis vicissim hi *Samaënæ navis* signum inusserunt, &c. *Alex. ab Alex. l. 5. cap. 18. Tiraquell. ibid. & Dalechamp. ad Plinii l. 18. cap. 3.* Sic militi, qui prædium Macedonis cujusdam, a quo naufragus fuerat exceptus & recreatus, fraude volebat intervertere, Philippus Rex stigmata jussit inscribi, *ingratum hospitem* testantia, *Seneca l. 3. Benef. cap. 37.* Sic lege Rhemnia *Kalumniæ litera K.* delatoribus, quadruplatoribus, calumniatoribus in fronte scripta, *Cicero pro Roscio Amerino, & Plinius in Paneg yr. &c.* De hoc genere Apostolum loqui, cap. superiori indicavi : nec muto. Talia stigmata Diaboli captivi, Christi fugitivi, hospites ingrati, calumniatores fidei, merito circumferunt. Sic jubet Apostolus inobedientes notari. *Quod si quis non obedit sermoni nostro, per epistolam,* τοῦτον σημειοῦσθε *hunc nota quasi inusta publice denotate, neque miscearnini cum illo* ; fugite congressum & commercium, ut hominis infausti, malæ scævæ, *ut pudefiat* 2. Thess. III. 14. Et videtur Scriptura alludere, cum toties dicit : *Pudefacere alicujus faciem, æternoque eam & indelebili implere opprobrio*, vide Judic. XVIII. 7. 2. Sam. XIX. 5. Ps. LXXXIII. 17. Jerem. XX. 11. & XXIII. 40. Nam & si hoc aliis modis fieri posset, ut *nudando turpiculum, barbam & vestes attondendo, stercus in faciem projiciendo, &c.* de quibus alias :

alias: hæ tamen ignominiæ erant delebiles, at *literarum nota inuri propria ac ſumma oris contumelia eſt*, Valer. Max. l. VI. cap. 8. in exemplo ſervi fidelis, qui &ſi ita a crudeli Domino eſſet notatus, tamen eum conſtanter dilexit, & periculo vitæ exemit; quod pios ſtigmaticos Dei, quamlibet nihil aliud ſint, *quam umbra & imago ſupplicitorum ſuorum*, ut de eodem dixit Valerius, imitari decet. Pertinet huc Lex Conſtantini l. II. de Pœnis Cod. Theodoſ. *Ne in lutum aut metallum damnati in facie ſcribantur, ſed in manibus aut ſuris: Quo facies*, inquit, *quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis eſt figurata, minime maculetur.* Tandem 4. *ad picturam encauſticam* videntur Græca Scholia reſpexiſſe, cujus inſtrumentum fuere cauteria, ut Hermogenem *Tertull. l. 1. cap. 1.* ſcite dixerit, *bis falſarium, & cauterio & ſtylo*, pingendo encauſticas imagines, & defendendo Polygamiam. *Vide de hac pictura Plinium l. XXXV. cap. 11.* Talis Pictor Diabolus, varias cautere & encauſto ſuo conſcientiis imprimens ſcelerum figuras, tandem indelebiles. Unde Platonis opinio duplex, de maculis ſcelerum, & igne καθαρτηρίῳ. Sed alia me avocant negocia. Si quid hic debere adhuc videbor, dabo operam ut alibi expungatur.

CAP. LXIII.

Annulus Sigillaricius, charorumque in eo imagines.

ANnulo ſignatorio veteres uſos, quo res ſuas vindicarent a rapina, *docet multis Lipſius ad II. Annal. Taciti Comm. pag. 39.* ubi & forma picta. Ejus in populo Dei uſum, & apud vicinas gentes, ſcriptura non raro inſinuat; Fallitur Plinius, cum *negat Orientem aut Ægyptum*

ptum signasse annulis, & Iliacis temporibus usum fuisse notum. l. XXXIII. cap. 1. Loca Scripturæ plusçula allegabo postea, nunc vide tantum Gen. XLI. 41. & Dan. VI. 17. In illis ab antiquissimis temporibus sculpi solita *Symbola*, docet Claudius Minos in Embl. Alciati, ubi Symtagma de Symbol. & Scriptura quoque affirmat, unde cœlestis Salomon: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Cant. VIII. 6. pro signaculo Hebræi habent *Chotam*, quod annulum signatorium proprie notat, non cæcum sed sculptum, unde Chaldæus habet: *Sculpturam annuli.* Petit hoc a sponsa sua Filius DEI. 1. *ex more*, q. d. Circumferant alii charorum suorum in annulo - *similes in imagine vultus*: Tu meam effigiem quasi cordi & brachio inurito, ut semper in omnibus cogitationibus actibusque tuis præ oculis tuis versetur. Alluditur enim ad quarundam gentium, Chaldæorum inprimis, ritum, *se incidendi & inurendi Deorum suorum stigmatibus ait Pineda* in XXXVII. cap. Jobi v. 7. n. 11. Cujus ritus meminit Moses Maimonid. de Idololatr. & ibi Vossius cap. XII. sect. 10. 2. *ex jure*, nam si alii hunc honorem exhibuerunt, aut Regibus, ut Romani *Imperatoribus* suis, apud quos capitis supplicio luebat, si quis Cæsaris in annulo imaginem latrinæ vel lupanari intulisset, Sueton. in Tiber. cap. LVIII. Seneca l. III. Benef. c. 26. aut *Magistris*, ut Epicuro familiares sui, qui ejus imaginem non annulis modo, sed & poculis, & triclinniis insculpi curabant, ut ubique recordarentur, Cic. de Finib. &c. aut *amicis*, unde Ovid. 1. Trist. Eleg. 6.

In digito qui me fersque refersque tuo:

Qui nos non haberemus & Regi, & Magistro, & Amico unico? 3. *ex amore*, vult enim ut mutuum faciat. Jam ipse sponsam ut *signaculum* posuit, & in manu sua signavit; Esa. XLIX. 16. Hagg. II. 24. &c. Merito igitur

tur par a nobis hostimentum exspectat. *Sit ergo nobis signaculum Christus in fronte; ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus: in brachio, ut semper operemur. Luceat imago ejus in confessione nostra, luceat in dilectione; luceat in operibus & factis; ut si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis.* Ambros. de Isaac. c. 8.

CAP. LXIV.

Judæorum mos aquandi cum gaudio in festo tabernaculorum.

QUod Esaias prædixit: *haurietis aquas cum gaudio e fontibus JESU* cap. XII. 3. juxta Hieronym. in Comm. larga effusione Sp. Sancti impletur, de qua promisit Dominus: Joh. VII. 37. 39. & Joh. IV. 14. Alludit autem & Propheta & Dominus locis cit. ad morem Judæorum, diligenter a D. L'Empereur Viro Clar. explicatum *in Miadoth. cap. 2. sect. 5.* & ut breviter expediam quod volo, sensus est Prophetæ: Celeberrimum est vestrum gaudium in festo tabernaculorum, præsertim quod festivitate nocturna legi superaddita celebratis; hausta enim e fonte Siloah aqua, cum vino libaminis super altare effundenda, haurientem & adferentem cum taratantara excipitis: pii saltantes manibusque faces præferentes, hymnos cantant, & Hoschianna ingeminant; Levitæ instrumentis ludunt; Sacerdotes tubis clangunt, tantaque omnium lætitia est, ut dicere soleatis: *Qui non vidit gaudium in loco ab hauriendo denominato, vidit nunquam gaudium!* at temporibus Messiæ majore gaudio exultabitis, cum haurietis aquas vivas de fontibus Salvatoris situla fidei, de quibus in ipso magno festo

Taber-

Tabernaculorum ipse Dominus locutus est, accepta ab ipsa diei consuetudine dicendi & docendi, pro more suo, occasione. Quod & ibidem *D. Tarnovius eleganter observavit, quem confer in cap. VII. Joh. pag. 662.* Addit D. L'Empereur l. cit. ex eodem instituto fuisse *Aquationem* [sic vocat Tertullian. adv. Psychic. cap. 7.] *Israëlitarum in Mizpa.* 1. Sam. VII. 6. ubi *Vav* in verbo: *Vajiazumu, & jejunarunt*, significet, *postquam*, q. d. & hauserunt aquam, nempe pro more cum gaudio, postquam jejunassent, jam spe fideque de Dei auxilio a Samuele promisso ibid. vers. 3. securi & hilares. Pulchre profecto, ut ex jejunio & confessione de contritione eorum fieri possit judicium, de fiducia ex aquatione! Certe nulla aliorum Interpp. satisfacit attento expositio. Non 1. *Hebræorum*, quasi Samuel aquam hanc in probationem, quinam idolis adhærerent, propinaverit, proditosque miraculo, labiis ita concrescentibus, ut diduci non possent, condemnarint: confer Exod. XXXII. 20. & Num. V. 12. Non 2. *Chaldæi*, quem ἀλληγορῶντες sequuntur, q. d. *Effuderunt cor suum in pœnitentia ante Dominum*, vide Vatabl. & olim Gregor. M. Non 3. quæ *recentiorum* est, quamque tenet *Mendoza ibid.* hanc cerimoniam in confirmationem fœderis cum Deo iniri adhibitam, in modum exsecrationis, ut sic sanguis eorum effunderetur, qui ad idololatriam, ut canis ad vomitum, essent redituri &c. Quæ quidem postrema sententia non displicet, nisi quod istius libationis, in fœderibus enim vina libata certum est, unde nomen σπονδὴ. & fœdus & libamen significans, nulla in Scriptura exstet vola aut vestigium.

Sed de eo alibi.

(o)

SA-

SACRORUM ANALECTORUM

LIBER II. HISTORICUS,

CAP. I.

PTOLEMÆVS Philadelphus.

TErtius ille ab Alexandro Ægypti Rex, magnificentiæ laude celeberrimus, cujus passim eximia reliquit monumenta, ut opera sumptuosa proverbio *Philadelphia* ab ipso dicta fuerint, Philo l. II. de Vita Mosis: Is cum Alexandriæ locupletissimam instrueret bibliothecam, maximo opere flagitavit ab Eleasaro Judæorum Summo Pontifice, ut sibi sacros Veteris Instrumenti libros, eorumque interpretes mitteret. Nec sumtibus pepercit illis usque dum impetraret. Nam præter varia regia donaria Hierosolymam missa; decem millia Judæorum captivorum libertate donavit, persoluto Dominis ipsorum grandi pretio, quod ad DCLX. talentorum summam, id est, ad CCCXXX. aureorum Ungaricorum millia, præter propter, accessisse fertur. Voti compos factus, cum allati essent Sacri Libri, & explicatis involucris in conspectum dati, septies adoravit, conversusque ad Seniores ab Eleasaro ad se directos; *Gratias*, inquit, *ago vobis, Viri: Sed majores ei, qui vos misit: maximas vero DEO illi, cujus hæc sunt Oracula.* Testabantur lætitiæ magnitudinem erumpentes, ut fieri amat, ex oculis lacrymæ: cumque singulos

salute

salute impertiisset, *hæc*, inquit, *mihi deinceps dies quotannis, dum vixero, festa & solennis erit!* Ægre tandem Seniores a se dimisit, dicens: Ἄνδρες δικαίως ἡ σωφρονας τὴν μεγίστην φυλακὴν τῆς βασιλείας εἶναι. Prudenter arbitratus, maximum Regnorum præsidium *viros sapientes*, maximumque thesaurum esse *Legem Dei*, Eccles. IX. 15. Psal. CXIX. 72.

CAP. II.

Festum Translationis Bibliorum.

QUemadmodum apud Judæos olim *Pentecoste* erat memoriale legis, Dei digito in tabulis lapideis exaratæ, & Israëlitico populo traditæ, Deut. XVI. &c. Sic in Ægypto, & quidem ut apparet ex voto Philadelphi Regis, quotannis agebatur *celebritas Translationis Græcæ*, in insula Pharo, *in qua tantum opus fuit elaboratum. Ad eam*, ut Philo perhibet, *non Judæi modo, sed etiam alii plurimi trajiciebant, veneraturi locum, in quo visa primum fuit hæc interpretatio, Deoq; pro tanto beneficio, quasi recente, acturi gratias. Post vota autem & gratiarum actiones, alii tentoriis in ipso litore fixis, alii in ipsa arena discumbentes epulabantur cum amicis & domesticis, prælato ipsis Regiis palatiis litore.* Quod vero Philo præsagiebat *fore, ut pleræq; Gentes, patriis legibus renunciantes, ad divinæ hujus observationem transeant*, Christo Duce jam evenisse videmus. Somnium est, quo se infelices Apellæ beant, quod attexit: *Legem hanc cum Judaicæ gentis felicitate denuo exorituram, cæteras q; omnes obscuraturam, veluti Sol minora sidera.* Festum *Translationis Germanicæ*, Domini Lutheri ductu & opera anno cIↃ IↃ XLII. perfectæ, vigesimo post, quam inchoata fuit, quotannis privatim cum suis celebrabat D. Bubenhagius. Et merito. *Beati sumus, ô Israel! Quia quæ Deo placent manifesta sunt nobis*, Baruch. IV. 4.

CAP.

CAP. III.

Libros quidam contemptim, alii magni æstimârunt.

OPeræ pretium est hic narrare, *verba sunt Petri Nannii*, qualem Erasmus Episcopum quendam in Dedicatione præclari operis expertus sit. Allatus est liber inauratus & purpura vestitus, ut non solum scripta, sed & scriptorum ornamenta amplitudini Præsulis responderent. Ille hinniente risu, ut solet, primum maligne donum intuetur: deinde jubet vocari purpurarium, ut de purpura; χρυσοχόον, ut de auro; librarium, ut de compaginatione edoceret, quanti constaret? Summula in unum collecta, secundum eam pecuniam dedit. Erasmus, ut erat etiam in ira festivus, *ego*, inquit, *librum meum arbitrabar donasse: Vendidi, ut apparet: Si Præsul vellet uti ingenio, optimus evaderet Bibliopola, nec facile decoqueret, qui tam examussim librorum novit pretia.* Atrocius negligentia sui indoluit Theodorus Gaza, qui quum Aristotelis libros, a se magna ex parte versos, obtulisset Summo Pontifici, datique illi essent aliquot miseri numuli, progressus ad Tiberim pecuniam hac cum exsecratione projecit: Pereant nummi! pereant labores! *Hæc Nannius in Dedic. Scholior. ad Tom. 3. Oper. Ambrosii.* At Ptolomæus Philadelphus, *ut Galenus refert in 3. Epidem. Hippocrat. & l. 1. de Nat. Hom.* Athenienſibus pro Sophoclis, Euripidis, & Æschyli αὐτοχεάφοις XV. argenti talenta, id est, Joachimicorum fere novem millia, oppignoravit. Postea accurate descripta & eleganti apparatu exornata exemplaria remittens argentum ἐνέχυρον liberaliter donavit. Plinius referebat ipse, quum procuraret in Hispania, petuisse se Electorum suorum commentarios

tarios vendere Lartio Licinio, XL. millibus numum, id est, aureorum Ungaricorum X. millibus. Chœrilus invita Minerva & iratis Musis laurum momordit, tamen Gratus Alexandro Regi pro singulis singulos incultis versibus

Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos.

Lysander Antilocho propter pauculos versiculos argento pileum replevit. Archimelo pro uno epigrammate, quo navim ab ipso exstructam celebravit, Hiero Syracusarum Tyrannus mille tritici medimnos donavit, Athenasque devehi curavit. Oppianus ab Antonino Caracalla pro singulis versibus statere aureo mactus fuit, de quo deinde. Viginti talentis unam orationem Isocrates vendidit, &c. *vide Plin. l. 7. cap. 29. & 30. Plin. Jun. l. 3. Epist. 5. Horat. l. 2. Epist. 1. Nicol. Leonicum l. 3. var. Histor. cap. 1.* Julianus Parabates de se ipso: „ quidam equis, alii avi„ bus, nonnulli feris delectantur; ego vero inde usque a „ pueritia librorum cupiditate arsi, *Epist. 9.* Apposite „ Socrates Euthydemo: admiror te profecto, quod nec „ auri nec argenti tibi thesauros comparaveris, sed sapien„ tiæ malueris. Hinc etenim patet, quod aurum & ar„ gentum homines nihilo efficere meliores existimes, sed „ Sapientum judicia & sententias virtutis opes iis elargiri, „ qui illas acquisiverint *apud Xenophont. l. 4. Memorab. cap. 6.* Hodie gemmeos malunt libros, qualis ille, quem Gulielmus Dux Bavariæ gemmata sigilla & egregias imagines continentem, auro & gemmis indutum Lauretanæ ædi donavit, octo aureorum millibus æstimatum, *ex Tursellino l. V. Histor. Lauret. cap. 6.* Sandæus in Maria Patrona: aut auro suffartos, qualis fuit suffraganei cujusdam Herbipolensis, cui exenterato aurum suum aliquot millium inclusit, sero tandem ab hæredibus repertum, *Ibid.* Hos juvat

Nocturna versare manu, versare diurna:

Et

Et quidem eos, de quibus *Hieronymus* olim: Discant Legem Dei, ut possint docere quod didicerint, & augeant scientiam magis, quam opes, magisque noctes & dies in Scripturarum tractatione, quam in ratiociniis & supputatione consumant, *in cap. II. Haggæi, & paulo ante:* Sacerdotum officii est de lege interroganti respondere. Si Sacerdos est, sciat legem Domini: Si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini sacerdotem. *Sic Levit. X. 10. Deut. XXXIII. 10. Hagg. II. 12. Malach II. 7.*

CAP. IV.

Oppiani Poetæ Vita.

OPpianus, ille Musarum alumnus, qui cum, Scaligeri τῷ κριλικωτάτῳ judicio, Græcorum Poëtarum nemo comparari possit, Anazarbo oriundus fuit, urbe Ciliciæ. Pater illi Agesilaus Philosophus, Civitatis suæ Princeps. Is cum literato otio nihil in vita dulcius haberet, inspirato infortunio quasi in portu ipso naufragium fecit. Imperatorem Septimium Severum cum Anazarbum ex itinere advenisset, a pompa & strepitu aulico abhorrens cum ceteris optimatibus urbis excipere neglexerat. Contemtum hoc sui ille interpretatus, ut erat natura sævus & in amicos pariter inimicosque vehementior, in exilium actum relegavit in Adriatici maris insulam Meliten. Oppianus pietate ductus divelli noluit, quod & feliciter illi cecidit. Paupertas impulit audax ut versus faceret. Calamitas excitavit ingenium, spes bona aluit & acuit, fore ut Deum sibi pietate, Imperatorem carminis illecebris conciliaret. Nam & Orpheus saxa cantu movisse dicitur, & feras domuisse. Nec falsus est augurio bono. Ἔστιν ἀμοιβὴ Εὐσεβίης, ut cecinit ipse, sunt - *piæ sua præmia menti.* Valerius Flaccus l. II. Argonaut. v. 310. Nam cum absolutissimum opus suum *de Venatu, Piscatu &*

Aucupio, post mortem Severi, filio & imperii heredi Antonino Bassiano Caracallæ dedicasset, & magna assistente corona e cathedra, pro more, recitasset, ita placuit Imperatori, ut data fuerit optio petendi, quicquid esset collibitum. Petiit hoc unum, ut Imperator patrem ab exilio revocatum fortunæ restitueret, qua pietate majorem gratiam promeritus, pluraque petitis consecutus est. Nam & judicio Imperatoris inter Poëtarum principes locus ei datus, & pro singulis versibus aureo statere donatus est. Summam usque ad duas myriadas, sive viginti millia, excreviisse refert *Suidas*. *Vide Rittershus. in Oppian. Proœm.*

CAP. V.

Paradisus Alaodini Tyranni.

HIstoriam recitat *M. Paulus Venetus l. 1. Itinerar.* sive de *Reb. orient. cap. XXVIII.* sed verbosius, quam ut exscribere libeat. Accipe in compendium missam. Fuit Alaodinus Tyrannus in regione Mulete dicta. Is sicarios quosdam, quos vulgo *Assassinos* vocant, sibi adjunxit, & per illorum effrenem audaciam, quoscunque voluit, occidit, ut brevi omnibus terrori esset. Ut ad scelus omne promtos haberet, arte effecit. Divulgavit, se Paradisi Muhammedici clavem habere, cujusmodi in amœnissima valle, altissimis undique montibus cincta, condidit, omnigenis voluptatibus instructissimum. Nam præter hortos & palatia elegantissima, non defuere, ut ait, rivuli varii aqua, melle, vino & lacte fluentes, varia Musicæ artis instrumenta, & melodiæ, choreæ, tripudia, palæstræ, vestes pretiosæ, & mirus apparatus omnium delectabilium rerum, quibus pro voto fruebantur admissi. Introitum clausit castrum fortissimum, diligenti munitum custodia, nec alius patebat vel ingressus vel exitus.

Hinc

Hinc intromissi, quos sibi obsequentiores reddere volebat, medicato poculo inebriebantur, gravique sopore oppressi interim in hortum ferebantur: ut expergefacti, si tantis se interesse deliciis viderent, in Paradisum se Dei raptos putarent. Gaudebant se ex seculi miseriis ereptos, jam aliam atque felicem vivere vitam. Sed cum tot voluptates vix dum primore labio delibassent, eodem poculo dementati, extra paradisum reducebantur. Ad se reversi, non poterant non dolere, tanta se felicitate excidisse, mortem libenter subituri, modo eam vitam semper vivere liceret. Sic stolidos adolescentes inescabat Tyrannus, ut animæ suæ prodigi, nullum facinus detrectarent, vitam pro ista felicitate paciscí parati. Audite me, inquiebat, & nolite contristari, si parati estis, ut pro mea obedientia mortem intrepide subeatis, participes vos pronuncio futuros illorum gaudiorum, quæ ad horam vidistis. Lubet exclamare: si tanti vitrum quanti margaritum? Et quid est omnis illa mundi voluptas, nisi talis Alaodini Paradisus? cap. sequenti scribit Venetus ille, ab Allau Tartarorum Rege Paradisum eum captum cum Domino & Assassinis illis, deletumque funditus anno Dom. cIↃ ccLXII.

CAP. VI.

Exempla duo Apotheosios Rom. Pontif.

CUm post graviores curas animo reficiendo forulos librorum meorum excuterem, forte in manus venit *Faustus Sabæus Brixianus, Bibliothecæ Vaticanæ sub aliquot Pontificibus, ni fallor, custos, epigrammatarius Poëta, editus Romæ anno M. D. LVI.* Eum dum obiter inspicio, duo occurrunt impudentissimæ adulationis carmina,

digna non obelo tantum & censoria virgula, sed &-*tardipedi Deo dicanda* jam tum cum lucem adspicere cœperunt, obstetricante Genio non fausto. Intolerabilis visa fuit Romæ arrogantia Caligulæ & Domitiani, qui se *Deos Dominosque* dici voluerunt. Domitianus cum Procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet*, Sueton. in Domit. cap. XIII. Patiuntur tamen, ut mollissime dicam, Rom. Pontifices sic se a gnathonibus suis famelicis salutari: cum si mica Apostolicæ modestiæ, si scintilla zeli honoris divini esset, exsilire ac vociferari par esset: *Mortales sumus, similes vobis homines!* Act. XIV. 13. aut manum illam vindicem vereri, quæ Herodem quoque feriit, quod turpissimam populi adulationem, acclamantis: *Dei voces & non hominis!* nec repulisset, nec castigasset. Act. XII. 23. Vidit ille, ut refert Josephus, capiti minantem desuper bubonem, calamitatis θεηλάτης nuncium, infandisque excruciatus doloribus ad amicos conversis oculis; *En ego, inquit, ille vestra nuncupatione Deus, vitam relinquere jubeor! Ita fatalis necessitas vestrum refellit mendacium! quem immortalem salutastis, ad mortem rapior!* l. XIX. Antiq. extremo. Sed accipe jam ex libro III. Epigramm. pag. 480. carmen primum.

Ad Paulum III. Pont. Max.

QUum triplici sanctum caput immortale corona
Ornarent Patres, optime Paule, tuum;
Sedibus æternis superi huc venere, volentes
Nostrum admirari te Dominum atque DEUM!
Postquam mirati te majestate verendum
Nomine tum Numen non minus esse tuum;
Et Proceres auro insignes, sacrumque Senatum,
Qua radiant stellis atria & alta suis;

Tunc

Tunc dixere; Vale ô cœlum! tenet inclyta & ingens
Astra, suosque Deos Roma suumque Jovem.

Alterum hominis prorsus insani opus esse - *non sanus juret Orestes:* quod statim subjungo, & sententiam pio catoque lectori ferendam relinquo: Sequitur libro eod. pag. 513.

Ad Julium III. Pont. Max.

IN te speravi, fac ne confundar in ævum,
Juli & egestatis pondere me exonera.
Porge aurem, accelera, meque eripe ab hoste sequaci,
Libera ab ærumnis, retibus, insidiis.
Esto & apud temet Dominum mihi, maxime Juli,
Confugiique domus præsidiumque meum.
Tuque mea vires, portus, spes una, salusque
Dulce tuum ob nomen Numen & esto meum.
Inque tuas commendo manus, Juli optime Princeps,
Spiritum, & hos canos, plectra, lyram, calamum.

Eant nunc hæretici & clamitent, sacrilegium esse, quos in Gloriam Jehovæ dictavit Spiritus Dei Psalmos Davidi, eos in cultum & invocationem sanctissimæ, omnique honore, sed non isto, dignissimæ Virginis Deiparæ transferri! Notum est *Psalterium Beatæ Virginis*, de quo *D. Chemnit. p. 3. Examin. Conc. Trident. & nuper Hottingerus p. 2.* Seines Wegweisers *pag. 120.* ubi Psalmus iste XXX. sic habet: In te, Domina, speravi, non confundar in æternum; in gratiam tuam suscipe me, inclina ad me aurem tuam, & in mœrore meo lætifica me. Tu es fortitudo mea, & refugium meum, consolatio mea, & protectio mea; ad te clamavi, cum tribularetur cor meum, & exaudisti me de vertice collium æternorum. In manus tuas, Domina, commendo Spiritum meum, totam vitam meam, & ultimum diem meum.

CAP. VII.

Spiritus Pythonius ejusque vox exilis.

BAbylonicam captivitatem Judæorum Genti prædicens Esaias, inter cetera hæc denunciat: *Humiliaberis &c. & erit quasi Pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit*, cap. XXIX. 4. Pagninus *garriet*, Tremellius, *pipiet*: Daß deine Stimm seye/ wie eines Zauberers aus der Erden/ und deine Rede aus dem Staub wispele. D. Luther. Hieronymus exponit, *fore ut humiliata de humo instar passerum mussitet*, & ait, per hæc verba significari *magorum* νεκρομαντειαν, *per quam animas evocare dicuntur, & tenues umbrarum, imo dæmonum audire voces. Mussare*, ait Nonius Marcellus de differentiis, *est hominum occulte quid & depressa voce loquentium, quod celatum velint.* Unde illud: *Non possunt mussare boni.* Duo hic enodanda,

I. *Quid Python?* Hebræis אוב *Obh* dicitur ab obscura voce, unde Græcum ὄφις, & apud Ægyptios ϩⲉⲓ Ⲫ Basiliſci nomen, *Horus Apoll. 1. Hierogl. cap. 1.* Interpres, ut solet, vulgatum de terribili dracone apologum secutus, quem Tellus post diluvium edidit, Apollo, ut canit Ovidius. 1. Metamorph.

Mille gravem telis exhausta pœne pharetra
Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.

Dicitur autem Hebræis quoque פתן *Pethen*, aspis. *Moses Majemonid. de Idololatria cap. VI. sect. 2.* Sic describit: quodnam est opus Pythonis? Est qui consistit, ut offerat certum suffitus genus: is manu sua virgam vibrat myrteam, ac recepta quædam incantationis verba profert. Mox consulit alium quasi loquentem secum, & interro-

terrogatis respondentem e terra, voce submissa admodum, quam auribus percipere non valeat, sed cogitatione tantum assequatur. Similiter est, qui cranio mortui arrepto, illud suffitu imbuat & incantet, donec præeuntem audiat vocem, quæ exeat axillis, & respondeatur illi. Non multo aliter *Seldenus de Diis Syris Syntagm. 1. cap. 2.* Ob Dæmonium fatidicum ferunt Hebræi, quod ab immundis partibus, quandoque ab axillis arioli aut mortui voce submissa, & quæ ex telluris cavitatibus videretur egredi, responsa dabat, *ex Mose Mikozi in præcept. Negat. 38. Confer Delrium l. 1. Disquis. Mag. cap. 2.* Græci ἐγγαστρίμυθον *Ventriloquum* dixere, & *Eurycleam*, tum spiritum ejusmodi, cum & qui ejus ope uteretur *magum*: ab Eurycle quodam, qui Pythonem habebat, & primus Athenis ventriloquus fuit. Talem spiritum habebat Apollonides Magus, de quo *Prochorus* [Arabs Interpres Evangelii Johannis in prolegom. videtur vocare פרעיר. Kirstenius legit *Phugsire*, forte scriptum erat פרעור *Proghor*, nomen Græcum Barbaro inflexu; ait enim Johannem Ephesi mortuum & sepultum præsente discipulo suo isto, *vide Tarnov. in Johan. Prolegom. cap. 2. pag 17.*] in fragm. Historiæ suæ περὶ τῦ Ἰωάννυ τῦ θεολόγυ καὶ Εὐαγγελισῦ *inter Monum. Orthod.* Cum, inquit Apollo-„ nides, trium essem annorum, inque lecto cubarem pro-„ fundo sopore depressus, adstitit mihi ad sinistram ho-„ mo quidam, commovensque excitavit me. Et vidi „ eum fœda fuligine nigriorem, oculis facium ritu ar-„ dentibus. Is mihi dixit: aperi os tuum! atque ut ape-„ rui, ingressus est per os meum, replevitque ventrem „ meum. Atque ab illo die de malis & bonis omnibus, „ quæ in familia nostra fierent, me docuit &c. Ita Py-„ thonissa, בעלת אוב *Domina Pythonis*, fuit saga illa in Endor, quæ Samuelis spectrum Sauli exhibuit, 1. Sam. XXVIII. 7. ubi *Sanctius* observat, duo inprimis genera

Pythonum fuisse; quorum alterum impleverit & obsederit magorum aut sagarum corpora: alterum per assumta corpora responsa dederit. Hujus generis fuisse istius Sagæ Dæmonium: illius exemplum extare in Actibus Apostol. cap. XVI. 16. Talemque Spiritum habuit quoque Pythia, Delphica illa Apollinis Pythii Sacerdos, quæ vaticinatura Castalii specus os insidens, ab inferiore parte & muliebri sinu recipiebat obscœnum spiritum, cujus impuritatem & scelus vel ex ea ipsa tam fœda cortina recte argumentando collegit *Origenes l. VII. contra Celsum post princ.* Ex quibus ad primum responsum satis est.

II. *De voce submissa*, præter dicta observo, ita plerumque solitum respondere malum Dæmonem. Sic apud S. Cyrillum l. III. adv. Julian. legitur quod *Causus fluvius Pythagoram salvere jusserit, & ulmus Apollonium Thyaneum allocuta sit, voce exili & muliebri*, ex Philostrato. Apud Heliodorum l. VI. Æthiopic. Mortuus, opera sagæ Thessalæ

Cui gentile nefas hominem revocare canendo,

Statius 3. Thebaid. respondet, velut ἐν μυχῷ τινος ἢ αὐηλαίᾳ φαεσφυγώδες *grave quid & male dissonum submussans.* Nempe convenit talis vox mendacio, & fallaciæ deprehendi metuenti. Veritas vero nil timet nisi abscondi. Itaque cum legem ferret Deus, tam clara voce intonuit, ut aliquot hominum milliones exaudire possent.

CAP. VIII.

Franci tergisetosi, Angli caudati cur crediti?

REfert Hotomannus in Franco-Gall. cap. 11. Græculos olim, odio gentis Francorum jactare solitos, eos

in

in dorso setas quasi porcinas habere, eaque de causa τετραχαίτας q. d. *tergisetosos* appellasse, ex Cedreno. Causa spurci cognominis mos Francicæ gentis & terror fuit. Nam Franci, Galli, eorumque majores Chauci erant, ut Lucanus ait l. 1. *crinigeri*, unde Galliæ *comatæ* nomen. Eos ita metuebant effœminati Græci, ut vulgo dicerent: *Francum amicum habe, vicinum non habe.* Fuit enim natio ista bellicosa semper, &, ut ait P. Gregorius Tholosanus in Prælud. opt. Jurisc. l. 1. c. 11. ejus mores galli gallinacei moribus ferme pares, de quibus Plinius compendiose refert: Gallos aves natura genitos vigiles, excitandis ad opera mortalibus: nosse sidera, horas cantu distinguere, cum sole ire cubitum, diei ortum nunciare, suo generi imperitare, regnum in quacunque domo exercere, pugnaces, victores canere, victos tacere, ægre servitium pati, superbos gradiri recta cervice, terrorem leonibus ferarum generosissimis incutere &c. Addit ibid. Regi Christianissimo esse pro insigniis *lilium*, idque e cœlo concessum, cum antea Reges Galliæ *bufones* pro insignibus haberent. Utrumque inquit in Natura sigillo abdito reconditum, nunc forsan a me primo scripto propalatum. Siquidem quod non semel admiratus sum, in capite galli gallinacei in cerebro integre sine fractura exossato, quod fit facile in multum elixato, comperies facie una bufonem, quo in dorsum verso, altera facie exprimitur miro artificio lilium: Unde mihi symbolum certissimum, Monarchiam ultimam in Regem Galliarum devolvi debere, &c.

De Anglorum gente non minus obscœna fabella a Monachis excogitata fuit. Scribit Johannes Major, natione Scotus, professione Theologus l. II. *de Gest. Anglor. & Scotor. cap. 9.* quod cum S. Augustinus a Gregorio M. in Angliam missus per Rochestriam transiret, ibique Evangelium Christi prædicaret, contra Virum Dei piscium

caudas vulgus projecerit, eum irridendo & calumniando. Quare numen supplex implorat, quatenus illius loci parvuli, caudati in pœnam peccati nascerentur; sicque moniti discerent, non temnere divos: Et propterea, ut Anglorum annales recitant, parvuli caudati nascebantur. Ab influentia igitur cœli has caudas minime habent. Nec hac tempestate homines caudatos illic nasci arbitror; sed ad tempus, ut fidem Doctori gens incredula daret, hæc pœna inflicta est. Scotis & Gallis contrarium asserentibus non assentior. Hæc ex Majore Augustinus Wichman in Diario Ecclesiast. quod Apothecæ Spir. contra pestem adjicit pag. 74. Addit versus Romberti Cornustibii:

Quod si Britannos computas
Et numerosam classem;
Caudata hæc est Natio
Non valet unam assem:

& Belgarum Proverbium: Ein Engelsmann/ ein Stertmann. Nota autem; Augustinum illum non fuisse celeberrimum Hipponensium Præsulem, sed quemdam potius, ut Juellus contra Hardingum Art. 31. sect. 17. & 24. docet immitem & superbum hypocritam, qualis cœlesti Anachoretæ cujusdam indicio comprobatus, & ab omnibus Britonum Episcopis judicatus fuerit, teste Beda l. II. cap. 2. & Galfrido Monumeth. l. VIII. cap. 4. Missus ille in Angliam circa annum Dom. DCmum, non ut incredulas gentes ad fidem Christi, sed ut Ecclesiam jam olim illic fundatam ad obsequium & traditiones Romanor. Pontif. traduceret. Quod ex Eleutherii R. Pont. circa ann. Dom. CLXXI. ad Regem Britonum Lucium epistola clarum. *Suscepisti*, inquit, *in regno Britanniæ, miseratione divina Legem & fidem Christi. Habetis penes vos in regno utramque paginam. Ex illis Dei gratia per concilium Regni vestri sume legem, & per illam Dei patientia vestrum*

vestrum Rege Britanniæ regnum. Vicarius vero Dei estis in regno illo. Hæc & alia Juellus l. cit.

CAP. IX.

Reliquiæ Sanctorum.

APud *Christophorum Browerum* l. III. Antiq. Fuldensium cap. 14. *Rudolphi Presbyteri Fuldensis*, qui anno DCCCLXV. obiit, scriptum extat, cum hoc titulo: *Liber HRabani de Reliquiis Sanctorum*, in quo narratur, quæ quomodo Sanctorum Lipsana Fuldam pervenerint? Totam historiam, qui volet, inde petat, mihi præcipuæ ejus Translationis circumstantiæ paucis notanda videbantur: ex iis judicet, cui cor sapit, an vere dictum fuerit proverbio: *Roma tria non esse peregrinantibus auferenda, Lapides, quia sint pragrandes: Pietatem, quia sit perexigua: Reliquias, quia sint incertæ?* Nota ergo; 1. *Quis?* Transtulit *Deusdona* Diaconus Romanus, qui juxta Basilicam B. Petri Apostoli ad vincula Romæ domicilium habuit, & *Sabbatinus* ejus familiaris &c. Utriusque *ut in reliquiis tractandis exportandisque solertiam Veteres approbent, lati forte rerum successu, eos tamen in re tam sacra neque optima fide, neque caste versatos, qui Eginhardum* [ex Caroli M. Cancellario primum Abbatem Seligenstadiensem in libb. quos de SS. Marcellini & Petri Martyrum translatione scripsit Surius Tomo VII. edidit] *adierit, facile quivis intelliget*, ita Browerus ipse. Auctor tamen suasorque facti, emtorque sanctæ mercis fuit Rabanus, Fuldensis a S. Bonifacio Quintus Abbas, cujus in conquirendis Sanctorum reliquiis curam & sollicitudinem Ludovicus Imp. in diplomate celebrat, quod ibid. legere est. Rudolphus discipulus ejus Magistrum multis commendat, at in hac negociatione *nec docte, nec caute, nec pie satis* versatum, Browerus non omnino dissimulat.

Ut

Ut nundinationes in hoc genere, turpisque quæstus & doli mali non vitia tantum, sed nomina prorsus ipsa detestamur & fugimus; Sic a Christianis hic, quo res multo charissimas sibi comparavere, multa astute ac solerter excogitata meminimus, quæ si ad æquitatis legem revocemus, verendum ut lapidem quasi Lydium, & justæ censuræ virgulam sustineant. Et hinc adeo, ceu latæ sententiæ culpa constricto, pii furis Leo Pontifex Arnulpho Imp. dicam impegit, & alibi sanctas quoque rapinas celebrari legimus, hæc ille ex Baronio ad Ann. 1052. & Cassiani Collat. VI. Certè S. Augustinus de opere Monach. c. 28. Monachos ejusmodi *Lipsanorum institores*, perque orbem vagabundos [quales apud Benedictum in regula, *Sarabaitæ*, apud Hieronym. in cap. X. Matth. *Bactroperitæ*, & apud Synesium in Epist. ad Theophilum LXVII. Episcopi quidam βακάντιοι q. d. *Vacantivi*] sic reprehendit διὰ χειροδίας nomine, ut emtores stultitiæ tacite accuset. *Membra*, inquit, *Martyrum, si tamen Martyrum, venditant, & omnes petunt, omnes exigunt, aut sumtus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis &c.* Sed pergendum est: 2. *Quid?* ossa Sanctorum singulorum, ut in pulvinis semotim condita attulerunt: coxam videlicet ac pedem S. Alexandri Papæ & Martyris, brachium Felicissimi Diaconi, caput S. Concordiæ Martyris, & post alia dentem S. Sebastiani, &c. quo id argumento? quid si vitrum pro margarito? Nullo ne miraculo quidem approbata ista Lipsana meminit Rudolphus, qui tamen quæ B. Alexander Martyr in pago Zürichgaw, in Villa Kentibruto, exsecrabili ejusdem Deusdonæ furto translatus, miracula ediderit, multis recitat, ut & quæ S. Venantius postea: nempe dæmones ex obsessorum corporibus expulsos; ancillam, quæ Dominæ inaures Sancto oblatas tacite optasset, rigore genuum contractam; eodem modo nauclerum obriguisse, qui a pauperculis mulieribus pro naulo

omnem

omnem panum commeatum extorsisset, quo se ad Sanctum peregrinaturæ instruxerant; quid multa? dispulsis nubibus, serenitas inopina transvectionem celebravit: Nobilis Matrona, ad cultum Sancti profecta, fibulam in itinere amissam, mirabiliter recipit: Lana Sancto oblata evanescit, quia ex furto &c. III. *Ubi?* Roma ablata ista Lipsana, ubi in urbe & intestinis malis lacera & externis injuriis opportuna conditoria Martyrum absque custodia curiosorum & liberiori contrectationi, & interdum etiam rapinis patebant, ut observavit Browerus, quo colore saltem aliquo negligentiam custodis Tarpejæ arcis excusaret. Sed tanti nondum æstimabantur istæ merces Romæ. Pretium fecere Barbari Transalpini primum, adhuc in fide Christiana tyrones, majore zelo quam scientia præditi, adeoque Italis istis circumcellionibus & agyrtis ad omnes fallacias expositi. IV. *Quibus auxiliis?* Cum Deusdonæ feliciter jacta esset alea, mox per negociationis socios plures transtulit ejusmodi merces, inter quas SS. Aquilæ & Priscillæ quondam Comitum Pauli reliquiæ fuerunt, quæ per viam, qua ferebantur, vero cruore visæ sunt maduisse, ut vestes quoque portantium inficeret. Hoc Rudolpho est magnum & inauditum miraculum; quid si indicium homicidii? ut quondam habita fuit cadaveris occisi *Sanguinatio*, præsente homicida & tangente. Certe, si quis sensus inesset sanctis Martyrum cineribus, iterum se interfici clamassent, cum ad idololatriam stabiliendam traducerentur, ad quam destruendam vitam olim profuderant. Pertinet huc concursus rudis populi, comitatusque & processio agminatim facta, cum ingenti gaudio & festiva acclamatione; *Kyrie eleison!* cui Monachi cum crucibus & cereis occurrebant, prolatis quoque aliorum Sanctorum Lipsanis, tanquam vivi se invicem exciperent. V. *Cur?* Sanctorum cultus & reverentia in prætextu fuit; in recessu mentis ossa ista

opum

opum conquirendarum instrumenta, & quasi hami fuere aut retia, quibus & venditores turpissima æruscatione peculium augebant, & emtores integros terrarum tractus piscabantur, sic refert Rudolphus, Deusdonam Roma venisse in Franciam, specie quidem, quasi pro suis quibusdam necessitatibus Regis opem imploraturus esset, revera autem, ut Sanctorum reliquias daret alicui, cujus adjutorio posset inopiæ suæ aliquod capere supplementum. Sic Imp. Ludovicus in dicto Diplom. testatur, se miraculorum S. Venantii fama, ex divina compunctione commotum, *rogatu & petitione Rabani Abbatis obtulisse villam suam Vresprungen Deo & S. Bonifacio, &c.* VI. *Quomodo:* id ex dictis clarum: Translationes ejusmodi, non sine ementium vendentiumque Simonia, furto & sacrilegiis, legibus etiam Impp. Honorii & Theodosii. *Cod. de Sacrosancta Eccles.* prohibitis; non sine publica superstitione, & idololatria factas. Unde illa Rabani ad Populum προσφώνησις,

Vos quoque qui intrastis Templum, istos cum prece fusa
Patronos vobis quærite in auxilium.

Ac refert Rudolphus inter alia, turbam, quæ reliquias prosecuta fuerat, vota solvisse, *adoratisque atque osculatis sacris reliquiis*, domum reverti solitam. VII. *Quando?* Primæ Reliquiæ Fuldam allatæ sunt a Deusdona, Anno DCCCXXXV. Indict. XIII. seculo post nativitatem Domini nono, a barbarie, ejusque pedissequa idolomania celebri. Eo ipso anno Papæ Gregorii IV. monitu curat Ludov. Imp. tota Gallia & Germania institui *festum omnium Sanctorum.* Sequenti XXXVI. Aquisgrani frequens fit concilium, avertendis adversis, quæ eveniebant eo, quod seculares & laici bona & jura sibi Ecclesiastica usurparent, & Ecclesiastici secularia gererent officia: hæc & alia multa compendio refert *Coppensteinius in Histor. Demonstrat. contin. Fidei Romano-Catholicæ, Seculo IX.*

CAP.

CAP. X.

Memorabilis cujusdam Eremicolæ precatio.

Asſem parate, & lepidam accipite fabellam. Refert Sandæus in Grammat. Profano Comment. XII. pag. 465. προμύθιον hoc eſt: *Delectatur, neſcio quo pacto, ſupremum illud Numen ſermonis ſimplicitate, atque, ut ita dicam, ruditate quadam: maxime quando per preces, quæ humilitatis eſſe debent indices, cum eo agendum eſt. Affectuum enim magis quam verborum ponderator eſt Dominus.* Accipe nunc ipſum μῦθον: Ferunt ſimplicitatis eximiæ hominem in ſolitudine, quam multos annos incoluerat, hac orandi formula cotidie non raro uſum: *O Deus miſerere tui!* Hunc cum magis eruditus & Grammaticam callens conveniret, docuit perperam orationem concipi: quum orandus ſit Deus, non ut ſui [nam miſericordia non eget felicitatis fons, & auctor,] ſed ut noſtri miſereatur: dicendum igitur; *Miſerere mei!* Animadvertit errorem idiota, & corrigere conatus repetebat identidem: *Miſerere mei!* Sed abeunte Grammatico recurrebat uſitatus precandi modus, quem e memoriæ tabula abolere, aliumque ſubſtituere, non ſinebat agreſte hominis ingenium. Oblitus ergo lectionis, inſequitur ſuum Magiſtrum; qui transmiſſo flumine alio ſe contulerat: ſed haud moratus undas Sylvicola, non alia quam confidentiæ cymba & precationis ſolitæ *Miſerere tui*, remo flumen trajicit. Adpellit ad oppoſitum litus, Grammaticum ſuum inveſtigat. Reperto memoriæ infelicitatem narrat, orationis momento evaneſcentis verba repeti deſiderat, formulamque animo indelebiliter imprimi. Mirari hic alter, quomodo ad ſe ruſticulus, absque

ſcapha

scapha per tantum aquarum spatium transmeasset; & narrato sibi successu, oblectatus viri simplicitate, sanctitatemque suspiciens, non dubiis signis deprehendit, *magis Deo, cui cum simplicibus est sermocinatio, probari, rudem, agrestemque & innocuum orandi modum, quem inflammatus in cœlestia affectui suggerit, quam bene compositum, ornatumque quem Grammaticorum delitiæ adornarint.* Itaque auctor fuit, ut formulam cui assueverat, porro usurparet: non posse enim illi meliorem suggeri, nec gratiorem, idiotarum amanti Deo. Sicque rediit ad antrum suum, sæpe illud ingeminans: *O Deus miserere mei!* Hæc Sandæus l. cit. Habes tectorium, quo omnes Romanæ Ecclesiæ Solœcismos excuses & incrustes, de quibus apud eum ipsum *Despauterius in Syntaxi Reg. X.*

Grammaticæ leges plerumque Ecclesia sprevit;
Tu vivendo bonos, scribendo sequare peritos.

Habes colorem quo omnem Monachorum, Monialiumque insciliam & ruditatem defendas, qua preces non intellectas, quo cum affectu, nescio, nullo mentis cum sensu certe deblaterant. Quod de Diis dixit, de Deo vero dicere debuisset Plinius Junior in Panegyr. *animadverte*, inquit, *Deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate lætari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit*, Non improbo, digitum potius attollo: Sed non conficitur inde, gaudere Deum adorantium ruditate, inscitia, barbaris sine mente sonis. Optimum hunc esse Dei cultum, nescire quid colas: Optimas esse preces, nescire quid strepas. Ignoti nulla cupido! *ubi scientia foris stat, ibi dilectio intrat*, vetus verbum est. Quid Davidis, quid aliorum notissimæ sanctitatis virorum precibus accuratius, quid affectu ardentius est? Ex redundantia cordis os loquitur.

Alter-

Alternos recinens dulci modulamine Psalmos
Quos vivens in corde chelys virtute canora,
Interiore sono & castis concentibus aptat,

Alcimus Avit. ad Sororem: Hinc illa: *quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes,* Synod. IV. Carthag. *Non est modulatio concinens, ubi est fides & vita dissentiens.* S. Prosper in Psalm. CXLIX. &c.

CAP. XI.

Lepidæ duæ Historiæ delusi Sacerdotum ambitus.

RECitat eas *Johann. Saresber. Episcopus Carnotensis*, qui Anno MCLXXXII. desiit esse in vivis, *Policratici sui l. VII. cap. 18. & 19.* ubi contra Cleri ambitionem, & Simoniacas fraudes stylum stringit, ac in eos primo invehitur, qui vocati tergiversantur, & ut avidius impellantur, *more*, ut dicitur, *arietis*, ut fortius feriat, *recedentis*, cum suspiriis, gemitibus, & singultibus, interrumpentibus simulatas lachrymas retrocedunt. *Unus*, inquit, *Principum nostrorum, nominis siquidem immemor sum, in causa simili egregium facinus egisse memoratur. Henricus fuit an Robertius, non multum refert. Cum ambitiosus quidam monachus ad Abbatiam, quam præemerat, vocaretur, & ille modestiam simulans, ut avidius peteretur, onus refugeret, recusaret honorem, & se palam tanta rei fateretur indignum*; Plane, *inquit Princeps*, indignus es, quia eam clam, data mihi tanta pecunia [*summamque expressit*] emisti. Sed quandoquidem per me non stat, quo minus pactio impleatur, liberum me haberi justum est, & tu domum abeas, & qui dignus est destitutæ præficiatur Ecclesiæ. *Lepidum!* Accipe alterum: *Regnante Rogero Siculo contigit vacare ecclesiam Avellanam,*

nam, Campaniæ, Apuliæ & Calabriæ, Robertus jam dicti Regis Cancellarius præsidebat. Ad eum tres Viri accesserunt, Abbas quidam, alter Archi-Diaconus, tertius Laicus quidam præpositus Regis, fratris sui clerici causam agens, singuli clam pro jam dicto Episcopatu grandem pecuniam offerentes. Quid multa? *Adhibitis familiaribus seorsum cum uno quoque eorum convenit de pretio. Emtio ergo & venditio undique perfecta est, de solutione implenda sufficientissime cautum, pignoribus & fidejussoribus datis, diesque præfixus est electionis solemniter celebrandæ. Cum itaque ad diem Archiepiscopi, Episcopi, & multæ venerabiles personæ convenissent, præfatus Cancellarius competitorum causas, & quid cum unoquoque eorum egisset, exposuit, dicens:* se exinde ex episcoporum sententia processurum. *Damnatis ergo competitoribus Simoniacis, pauper Monachus, & totius rei ignarus, canonice electus, approbatus & introductus est. Illi tamen coacti sunt solvere id, in quo se obligaverant, usque ad novissimum quadrantem. Utinam ita ageretur cum procis nostris, qui omnes sedes olfaciunt, attentius quidem & curiosius, quam odora vis aut sagacitas canum formellas leporum, aut ferarum latebras deprehendat,* hæc ille. Ut ambitio ista deferveseeret frigida undique affusa fuit, fabulis etiam & paradoxis in subsidium adhibitis. In regula Monachorum, quæ est *Tom. IX. oper. Hieron. cap. 15.* apparuisse quidam legitur patruo suo defunctus, eique gratias egisse, quod episcopatum olim oblatum suscipere dissuaserit; *Scito denique* inquit, *quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.* Indignus est sacerdotio, nisi qui fuerit ordinatus invitus *Leonis Imp. sententia est l. 31. C. de Episc. & Cler.* Bernhardi adhuc durior: qui pro se rogat, jam judicatus est *l. 2. Consid. c. 5.* Unde illa Venantii Fortunat. in hymno de Leontio Episc.

Gra-

Gravat sacerdos ordinem
Qui episcopatum sic petit:
Præcepta qui complectitur,
Fugit honoris ambitum; & mox:
Ineptus est qui ipse se
Præferre vult ecclesiæ:
Nam rem sacratam sumere,
Electio divina sit.
Carus sacerdos ordinem
Hilarius *non ambiit*;
Martinus *illud effugit*,
Gregorius *vix sustulit.*
Leges refutant ambitum,
Invasor omnis pellitur:
Quod refuunt Prætoria
Vitet nefas Ecclesia.

An petere liceat? dixi in Tab. Oeconom. ad locum Apostoli: *Si quis episcopatum desiderat.* 1. Tim. III. 1. ubi vide Chrysost. Ambrosium, Remigium, ipsummet C. a Lap. ajentes.

CAP. XII.

Culicem & pulicem venari.

QUem persequeris, Rex Israël, quem persequeris? canem mortuum persequeris & pulicem unum; Verba sunt Davidis ad Saulem 1. Sam. XXIV. 15. & XXVI. 20. Non reprehendit curam Regiam & sollicitudinem, quasi indignum omnino sit rebus eam tam exigui momenti impendere. *Non est minimum in vita humana, negligere minima. Parva sæpe scintilla neglecta magnum excitavit incendium.* O quam parvis veniunt summa mala principiis: *Latinus Pacatus in Panegyr.*

negyr. Theodos. Prudentis ergo principis est imitari Medicos, & fontem mali avertere

Morborum in vitio facilis medicina recenti

Gratius de Venat. & agricolas, *qui spinas adhuc teneras & degeneres frutices runcant*, quod Manuelem Commenum facere solitum scribit Nicetas l. VII. cap. 2.

Tutius ergo

Ante ire auxiliis & primas vincere causas,

Gratius l. c. Sed neque illud indignum, tanto fastigio demittere se, & infimis quoque aliquid impertiri sollicitudinis. Nam & regum ille Rex parvis non minus intendit ac magnis, curatque creaturas suas æque parvas ac magnas. *Deus:* ait Hebræus Sapiens, *sedet in cœlis, a rhinocerotis cornu creaturas omnes cibans, usque ad pediculorum ova*, apud Buxtorff. *Synag. Jud. cap. XI.* Neque enim, ut putabat Poëta,

Non vacat exiguis rebus adesse Jovi.

Accusat ergo David Regem *τ. μικροψυχίας*, quod tantus Rex Israëlis,

Cui populi commissi & tanta negocia curæ,

tanto cum conatu tantas agat nugas. Quid enim Regio culmine indignius, quam si quis, cum Jove Apollonii, volucri curru relicto, e quo divina & humana dispenset, in nubibus interim Centauros, ut pueri in arena, pingat? *apud Philostrat. l. II. cap. 10. & Caussin. Polyhist. Symbol. l. II. cap. 46.* aut, si quis *pulicum metiatur saltus* cum Socrate Aristophanico; *Venetur muscas*, cum Domitiano *Suetonii*; *cap. III.* quarum infinitum numerum in vasis clausum parasitis suis *pro salariis annuis* mittere solebat Heliogabalus, *apes mansuetas* eas appellans: Qui & servos aliquando jubebat *millena pondo aranearum* deferre proposito præmio; collegisseque dicitur decem millia pondo aranearum, dicens & hinc intelligendum, quam magna esset Roma referente Lampridio,

Magnos

Magnos magna decent!

Aquila non venatur thripas. Nec pro majestate Romani nominis atque imperii fecit, vel *M. Curius*, qui se ad focum rapa torrens Samnitum legatis spectandum præbuit, oblatumque aurum rejiciens, non se eo opus habere inquit, dum istiusmodi cibo uteretur, *Athenæus l. X. Dipnosoph. cap. 3. Valer. Max. l. IV. cap. 3. &c.* vel *Rodolphus Habspurgicus*, qui *Bisantiam obsedit, ubi manicas Wambasii sui fractas, cum novis peciis reparans, dedit exemplum aliis, ita faciendum.* M. Albert. Argentin. in Chron. *Muscas captare, in veste floccos legere, in adjuncto pariete, si qua minuta eminent, carpere*, insaniæ, mortisque indicia sunt, *Hippocrat. de Intern. affect. Celsus l. II. cap. 6.*

Deinde vero 2. & id merito reprehendit David, quod tantus Rex tanto cum apparatu vires in se se regni totius experiatur, tantisque cum copiis persequatur, ut formidabilem hostem, hominem jam prostratum, fugitivum, verbo, *occisissimum!* Hoc esse *cum larvis luctari*, &, juxta Pherecratem, κύνα δέρειν δεδαρμένην, *canem excoriare excoriatam.* Quam se ridendum propinaret, si quis a pulice ictus Herculem liberatorem imploraret, *ad arma cessantes ad arma* vocaret, cœlumque terrasque tumultu misceret? *Caligula*, bello Germanico suscepto, post multa solitæ insaniæ specimina, postremo quasi perpetraturus bellum, directa acie in litore Oceani, ac ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro aut opinante, quidnam cœpturus esset, repente *ut conchas legerent, galeasque & sinus replerent*, imperavit; *Spola Oceani* vocans, Capitolio palatioque debiti *apud Sueton. cap. XLVI.*

Egregiam vero laudem & spolia ampla.

Sed num quid opimiora referet, si quis pulicem armis virisque persequutus, capiat, & vel aureis catenis devinciat,

vel ad currum triumphalem jungat, vel ferreæ caveæ inclusum circumducat? Aut si ista persecutio Davidica venationi similior videbitur, quot de se risus præbebit, qui saltum indagine cingens, omnibus venatorum suorum turmis, omnibus canum suorum manipulis, omnibus denique machinis & instrumentis unum sectatus fuerit; *leonem* exspectas ut dicam, aut elephantum, imo *pulicem*. At ne leporem quidem cepisse gloriandum est venatori. *Nec reprehensione caruerunt Astronomi veteres, quod Orioni venatori leporem ad pedes fugientem finxerunt*, ut est apud *C. Bassum* veterem Poëtam & Grammaticum *in German. Cæs. Aratæa: Quidam enim negabant tam magnum tamque nobilem venatorem oportere leporem venari, Callimachumque accusant*, [ita videtur legendum,] *quod, cum Dianæ scriberet laudes, eam leporino sanguine gaudere, & eos venari dixerit.* Qua de re in Passionali dixi, ubi *de Cerva Matutina Psalm. XXII. v. 1. pag. 273.*

CAP. XIII.

Superstitiosa viperini morsus cura; Psylli Ophiomachi.

MAtthiolus *l. VI. in Dioscorid. cap. 40.* cum retulisset esse agyrtas in Italia impostores, qui se *de S. Pauli stirpe* prognatos glorientur, solitos venum exponere terram quandam sigillatam contra serpentum morsus, aliaque antidota, & ut artis specimen edant, a viperis se morderi palam sustinentes; non sine periculo: quod non raro eveniat, ut immaturam mortem oppetant, animam Cacodæmonibus, corpora vero suis serpentibus devoranda relinquentes &c. Apposuit narratiunculam de quodam sene Eremita, quem ait amicum suum fuisse, & in agro Romano vixisse. Is a serpentibus ictos, quamvis

vis abſentes, hunc in modum curabat. Rogabat nuncium, an medicamentum icti loco vellet ebibere? Si facturum ſe reſponderet, jubebat, nudum pedem dextrum ſolo imprimeret; tum cultello ſuo lineam circum pedis veſtigium ducens, intra illud ſpatium, cuſpide cultelli, verba inſcribebat hæc: *Caro Caruze, ſanum reduce, reputa ſanum, Emanuel Paracletus.* Mox abraſum, cum iſtis impreſſis literis, pulverem, fictili quodam parvo, aqua pleno, excipiebat, & poſtquam pulvis ſubſidiſſet, per ipſius nuncii interulam percolabat, cruceque ſignatam potionem hanc ei ebibendam præbebat. Eadem hora ictus ſanabatur, qua nuncius potionem ſumſerat, ut mihi plane compertum eſt, & omnibus illius regionis incolis. *Hæc ille*, præfatus tamen, ad Medicos hoc non ſpectare, neque ab ipſis recipi. Habet Roma itaque inter ceteros *Mirabiliarios*, qui & ſerpentum morſus poſſint ſanare, quod privilegium Eccleſiæ naſcenti contulerat Dominus, Marc. XVI. 18. *Serpentes tollent &c.* En tibi novos *Ophiogenes*, & quidem ex ordine Phariſæorum, quos *Genimina viperarum* dixit Dominus! Bona mens freta Deo ambulat confidenter *ſuper aſpidem & Baſiliſcum*, Pſal. XCI. 13. *De Pſyllis*, Celſus ſcribit, Medicorum Cicero, quod *vulnera ſerpentum morſu inflicta exſuxerint, quo & ipſi tuti permanebant, & hominem percuſſum tutum præſtabant, non quod præcipuam quandam haberent ſcientiam, aut naturam, ſed propter audaciam uſu confirmatam. Nam venenum ſerpentis non guſtu, ſed in vulnere nocet. Ideoque colubra ipſa tuto eſtur, ictus ejus occidit*, lib. V de Re Medic. cap. 27. *Tzezes* refert de iſtis Pſyllis: *ſi qua ſuborta eſſet de liberis ſuſpicio, eos cum ceraſtis in arculam includere fuiſſe ſolitos; legitimis nihil datum eſſe noxæ, adulterini peremti, luebant κόλασιν βασανίσεως pœnam probatoriam.* Sic *Exagon*, e Cypro de Ophiogenum familia oriundus, Romæ

dolio serpentum pleno injectus, non modo *nihil adversi passus est, sed etiam anguibus circummulcentibus miraculum præbuit*, Plinius l. XXVIII. cap. 3. Ita legitimis Dei filiis evenit in hoc mundo, inter tot viperarum examina Deus ipse

Jussit, ut immunes mixti serpentibus essent,
Profuit in mediis sedem fixisse venenis:
Pax illis cum morte data est, ut hæc Lucani huc traham. l. IX.

CAP. XIV.

Syncretismus absurdus & impossibilis.

QUa *consensio Christo cum Belial?* 2. Cor. VI. 15. Nulla. Cum anno 1538. Paulus III. Pontifex Niceam profecturus esset, ut bellum inter Carolum V. & Franciæ Regem Franciscum componeret, *M. Andreas Turinus*, Pontificis Medicus, vereri se dixit, ne idem eveniat, quod Eremitæ, qui Deum cum Diabolo reconciliandi negotium suscepisset. Fabulam in pauca contraham. Sæpe ille a Diabolo exagitatus, ad Deum se vertit, *Vide*, inquiens, *ô Domine, quantam quotidie animarum stragem edat nocentissimus hostis? Quid si veniam ei tandem prosperes tot scelerum, vel hoc nomine, ut deinceps tot animabus tam pretiose emtis desistat insidias struere, & exitium moliri?* Non difficilem se præbuit clementissimus Deus, *volo*, inquit, *si modo deprecari culpam velit.* Hic Eremita bona spe plenus, Diabolo suadere cœpit multis rationum momentis, pateretur se in gratiam cum Deo, & pristinam beatitudinem reduci: quatuor verbis rem omnem fore transactam, his scilicet: *Peccavi Domine, miserere mei!* Bene habet, respondit versutissimus hostis.

Sed

Sed quid ais? Quatuor hæc verba utrum a me, an ab illo vis dici? A te, inquit Eremita. Tum iſte, - *ardens oculis, & ſibila colla arduus attollens*, nunquam fiet, ait, multoque fœtore poſt ſe relicto diſceſſit, horrendum fremens! *Caſpar Ens l. II. Epidorp. p. 339.* Recitanda hæc fabula illis, qui zelo imprudente religionum Syncretiſmum machinantur. Poſſet quidem negocium confici uno hoc verbo, ſi veritatis hoſtes dicerent ſincere: *Erravimus!* Sed prius *jungentur Gryphes equis!* Quid igitur incaſſum laboremus κλώθειν τὴ ἀσύγκλωστα.

CAP. XV.

Exemplum Sacrilegii.

DE *Dionyſio Siculo* lubet audire diſertiſſimos viros, *S. Ambroſium, Arnobium & Ciceronem.* Namque is, cum veniſſet in Templum Jovis, amictum aureum, quo operiebatur ſimulachrum ejus, detrahi juſſit, imponi laneum: dicens aurum hieme frigidum, æſtate oneroſum eſſe. Sic Deum irriſit ſuum, ut nec onus ferre poſſe, nec frigus putaret. Item cum Æſculapii barbam vidiſſet auream, tolli imperavit, incongruum eſſe appellans, ut filius barbam haberet, cum Apollo pater ejus adhuc non haberet. Item ſimulachris aureas tenentibus pateras ademit: allegans accipere ſe debere, quod Dii darent. Quoniam hæc ſunt vota inquit, hominum, ut a Diis quæ bona ſunt adipiſcamur. Nihil autem auro melius. Quod tamen ſi malum eſt, habere Deos non debere: ſi bonum eſt, habere magis homines debere, qui uti ſcirent. Ita ludibrio habiti ſunt, ut neque Jupiter veſtem ſuam defendere potuerit, neque barbam Æſculapius, neque omnes qui dicuntur Dii retrahere potuerint pateras, quas tenebant, &c. At in Templo Dei cum Hieroboam Rex ſceleratiſſimus dona, quæ Pater ejus poſuerat,

fuerat, auferret, ac super sanctum altare libaret idolis, nonne dextra ejus quam tetendit, aruit, nec sua ei, quæ invocabat, idola profuerunt. Deinde conversus ad Dominum rogavit veniam, statimque manus ejus, quæ aruerat sacrilegio, sanata est religione. *hæc ille de Virginib. lib. II.* Quæ tamen de Jerobeamo dixit ex I. Reg. XII. & XIII. partim τοθένετω. Meminit *Arnobius l. VI.* ludibrio habitos a Dionysio Deos suos, nec tamen injuriam suam eos vindicasse. *Lubet referre verba:* Dionysius ille, cum velamine aureo spoliaret Jovem, & pro illo laneum subderet, jocularibus etiam facetiis ludens, cum esse illud in rigoribus algidum, hoc vaporum; onerosum illud in æstatibus diceret, hoc rursus sub ardoribus flabile. Ubi fuerat Rex Poli, ut præsentem se esse formidine aliqua comprobaret, & urbanum scurrulam revocaret cruciatibus ad seria? Nam quid Æsculapii gravitatem ab eo esse commemorem risam. Quem cum barba spoliaret amplissima, boni ponderis, & philosophicæ densitatis, facinus esse dicebat indignum, ex Apolline procreatum, patre levi & glabro, similimoque impuberi, ita barbatum filium fingi, &c. Ubi inter alia venuste *barbam* dixit *boni ponderis*, sic enim Philosophi στεμνοφεγσωτῦνπες ὑπὲρ τὰς ξενοκράτυς εἰνάναι gestare solebant πάλαι πώγωνα. Sed *Ciceronem* audire jam operæ pretium est. Dionysius cum fanum Proserpinæ Locris expilavisset, navigabat Syracusas: isque cum secundissime cursum teneret, videtisne inquit, amici, quam bona a Diis immortalibus navigatio sacrilegis detur? Mox cum de amiculo Jovis Olympii aureo, & barba Æsculapii Epidaurii aurea retulisset, modo dicta, quæ apud ipsummet legat juventus, adjecit: jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri: in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset; *Bonorum Deorum!* uti se eorum bonitate velle dicebat. Idem

victo-

victoriolas aureas, & pateras, coronasque, quæ simulachrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat, eaque se accipere, non auferre dicebat: esse enim stultitiam, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus & dantibus nolle sumere. Eumdemque ferunt hæc, quæ dixi, sublata de fanis in forum protulisse, & per præconem vendidisse, exactaque pecunia edixisse, ut quod quisque a sacris haberet, id ante diem certam in suum quidque fanum referret. Ita ad impietatem in Deos, in homines adjunxit injuriam. Hunc igitur nec Olympius Jupiter fulmine percussit, nec Æsculapius misero diuturnoque morbo intabescentem interemit, &c. *l. III. de Nat. Deor.* Ergo sacrilegii pœna non fuit? fuit, sed ad tempus dilata: ne si extemplo reddita esset, Deus visus esset vindex injuriæ idolorum. Reddita tandem tamen, quia ipse in Diis falsis erat deridiculo habitus. Ipsa eum Tyrannis in carcerem quasi compegerat, & indefessis indies excruciabat malæ conscientiæ tortoribus, *de quibus mox.* Deinde insidiis suorum interfectus dicitur, *Justin. l. XX. in fin.* Quamquam Cicero in lectulo suo mortuum testetur. Denique dedecore Filii, *de quo Justin. l. XXI. princ.* mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat: *Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat*, Valer. Max. l. I. cap. 1. Ex *Saavedræ Symbolis Politicis* locum huc inferere non spero fore ingratum. Regi Ferdinando Sancto, Hispalim obsidenti, pecunia deerat ad continuandam obsidionem, cumque suaderent alii, ut ærarii tenuitatem & inopiam Ecclesiarum thesauris tantisper sublevaret, respondit ille: Plus ego mihi de precibus & sacrificiis sacerdotum, quam de divitiis eorumdem polliceor. Quam pietatem & fiduciam die proxime sequenti deditione urbis cumulatissime Deus compensavit. Reges alii, qui secus fecerunt, graves sacrilegæ

suæ

suæ audaciæ dedere pœnas. Gundericum, Vandalorum Regem, S. Vincentii templum spoliare parantem, in ipso Templi limine mors repentina oppressit. Regina Uraca ad ipsas portas Templi S. Isidori, quod est Legione, & in cujus thesauros temere involarat, diem supremum obiit. Rex Sanctius Aragonius, quod bonorum Ecclesiæ invasione manus non semel temeraslet, in obsidione quadam, sagitta ex muro emissa, sub axilla confixus, interiit. Rex Johannes Primus in prælio ad Aliubarrotam cæsus fugatusque fuit cum suo exercitu, propter invasos, ut creditur, Templi Guadulupei thesauros. Postquam Fridericus, Rex Neapolitanus, Cajetam ad deditionem compulerat, ingressi inde Galli binas naves Templorum spoliis oneraverant, sed ambæ [quod pro miraculo habitum] periere, &c. Symb. XXV. Memorabile illud est de Alarico, quod refert *Rodericus Ximenius de Reb. Hisp. l. II. cap. 5.* Capta a Gothis Roma, incidit quidam potentum in virginem sacram, ætate provectam, &, si quid auri argentive haberet, ut voluntarie exhiberet, admonuit. Revelavit illa, quod habuit, dicens: *hæc mihi vasa de Sacrario B. Apostoli Petri sunt commissa, præsume si audes, ego sacram hostiam non audeo tibi dare.* Ille ad nomen Apostoli territus, Regi Alarico nunciavit, qui confestim omnia ad Sacrarium Petri referri præcepit, dicens: *Cum Romanis se bellum gerere, non cum Apostolis Jesu Christi.*

CAP. XV.

Tyrannis virtus invisa.

Graves illis boni vel ad videndum, ut Sapient. II. 12. 15. habetur, quem locum præ oculis habuit Severus Sulpitius l. II. Hist. Sacr. cum diceret: *Semper inimica virtutibus vitia sunt, & optimi quique ab improbis quasi exprobran-*

probrantes adſpiciuntur. Sic Petronius Arbiter: *Non dubio ita eſt, ſi quis vitiorum omnium inimicus rectum vitæ iter cœpit inſiſtere, propter morum differentiam odium habet, quis enim poteſt probare diverſa?* Satyr. p. 94. Morbus Tyrannorum proprius. *Regibus boni quam mali ſuſpectiores ſunt, ſemperque illis aliena virtus formidoloſa eſt,* Salluſtius in Catil. Unde Tyrannus a P. Chryſologo Serm. 152. inter cetera elogia ſalutatur, *magiſter mali, miniſter doli, pietatis prædo, inimicus innocentiæ.* Itaque vel operam dant, ut *naſcentem virtutem*, quæ ſuſpecta forte eſſe poſſit, in herba extinguant, contraria vitiorum ſegete implantata: vel jam *adultam*, ſub ſpecie honoris, in graviſſima pericula impellunt, unde emerſuram nulla ſpes ſit: vel palam indicto bello, & *aperto Marte* e medio auferunt. Artium harum exempla paſſim in hiſtoriis proſtant. Singula hic ſufficient. *Primum* Dionyſius Junior ſubminiſtrat, qui Dionis fortiſſimi viri filium, ſuum ex ſorore privigna Arete nepotem ſic educari juſſit, ut indulgendo turpiſſimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero, priusquam pubes eſſet, ſcorta adducebantur, vino epulisque obruebatur, neque ullum tempus ſobrio relinquebatur. Is eo usque vitæ ſtatum commutatum ferre non potuit, poſtquam in patriam rediit Pater [namque appoſiti erant cuſtodes, qui eum a priſtino victu deducerent] ut ſe e ſuperiore parte ædium dejecerit, atque ita interierit, *Corn. Nepos in Dione.* *Alterum* Peſias, Jaſonem amandans Colchos ad repetendum aureum vellus: qua cauſa!

— — *ſuper ipſius ingens*
Inſtat fama viri, virtusque haud lata Tyranno.

Itaque & Jaſoni, ut pergit narrare Valer. Flacc. l. 1. Argon.

Mox taciti patuere doli: nec vellera curæ
Eſſe viro, ſed ſe ſe odiis immania cogi
In Freta. Lege cetera & confer Tyrannicas artes

Saulis

Saulis in opprimendo Davide, 1. Sam. XVIII. 9. 25. *Tertium* sanguine suo confirmant *Canii*, *Senecæ*, *Sorani*. *Quos nihil aliud in cladem detraxit, nisi quod nostris moribus instituti, studiis improborum dissimillimi videbantur; Itaque nihil est quod admirere, si in hoc vitæ salo circumstantibus agitemur procellis, quibus hoc maximè propositum est, pessimis displicere*, Boëthio Philosophia l. 1. Pros. 3.

CAP. XVII.

Vindicta in Tyrannos Divina.

DUplex eos Divina exspectat *ultio*, qui tyrannide oppresserunt subditos, eaque inter alia θηλατα, illustris. *Prima* Erynnis, *mala conscientia*, de qua graviter Eliphas Themanites, Job. XV. 20. 24. *Altera Ate*, in posteritatem sæviens, de qua Jobus ipse cap. XXI. 19. &c. *Prima est hæc ultio, quod se judice nemo nocens absolvitur!* vetulis Lupis ajunt in renibus serpentes innasci, tam progressu temporis violentos, ut interimant, *Carol. Stephan. l. VII. de Agricult. cap. 1.* Sic tyrannos malæ conscientiæ vermes tamdiu rodunt, usque dum interficiant. *Nihil timidius est tyranno*, Plutarch. in Arato.

Timet timentes, metus in auctorem redit: Seneca *Qui terret, plus ipse timet*, Claudian. - *non ulla quies animo*, Valer. Flacc. l. 1. cit. *Pavidus ad omnia*, Egesipp. l. 1. Excid. &c.

Timet suos tyrannus, Rex timet suis.

Exemplum præbet Dionysius Senior, quod facundissime enarrat *Cicero, Tusc. Quæst. l. V.* Nam quid timidius illo, qui ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit? Et tamen ab iis ipsis, cum jam essent adultæ, ferrum removit, instituitque ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi & capillum adurerent. Cumque

que duas uxores haberet, Aristomachen civem suam, Dotidem autem Locrensem, sic noctu ad eas ventitabat, ut omnia specularetur & perscrutaretur ante. Et cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset, ejusque fossæ transitum ponticulo ligneo conjunxisset, eum ipsum, cum fores cubiculi clauserat, detorquebat. *Lege ibidem reliqua, & Plutarchi Dionem confer.* Quo pacto Parasito suo Damocli splendidam suam miseriam repræsentarit, mox exponam. *Alteram* tamen ille Nemeseos justæ ultionem effugit, majorque annis sexaginta natu decessit, florente regno: neque in tam multis annis cujusquam ex sua stirpe funus vidit, cum ex tribus uxoribus liberos procreasset, multique ei nati essent nepotes. *Corn. Nepos in Timoleon fin.* Sed quanto ille hac quidem tenus felicior fuit, tanto infelicior filius Dionysius Junior. Narrare differo. Interim hoc in aurem dico:

——— sanguine humano abstine
Quicunque regnas! Scelera taxantur modo
Majore vestra, Seneca Herc. Furent. v. 745.

Quod ipsum inter Sapientiæ dictata est: *Exiguo conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur*, Sap. VI. 6. 7.

CAP. XVIII.

Dionysii Junioris infelix exitus.

Sæpe culpam Majorum posteri luere, ait Curtius lib. VII. cum Branchidarum in Asia excidium retulisset, quī prodita Mileto, & violato Templo, quod Didymaon appellatur, Apollini Didymæo sacratum, illuc transierant, ab Alexandri M. militibus stirpitus excisi, oppido in solitudinem redacto, ne quod vestigium exstaret. De Tyrannis id longo usu & innumeris exemplis comprobatum est verum esse. *Ælianus l. 6. Variar. hist.* ex Græca antiqui-

antiquitate tria tantum Tyrannicorum imperiorum exempla recenſere potuit, quæ ad poſteros diurnarint, *Gelonis* in Sicilia, *Leucaniorum* in Boſphoro, & *Cypſelidarum* Corinthi, præfatus ſcite: *Bene factum eſſe divino nutu, ut vix ulla Tyrannis ἐπὶ τριγονίαν duret, vel ipſis Tyrannis πίτυος δίκην exciſis, vel liberis ipſorum exarmatis.* Ubi obiter nota, *in mortem pini exſtirpari*, proverbium eſſe, quo & *Herodotus* uſus in Erato, *Staphylus* Poëta dixit πεύκης τρόπον *inſtar piceæ.* Hæ enim arbores exciſæ non repullulant. Qua de cauſa picea, ut & Cupreſſus ferales fuerunt arbores, & *funebris indicio ad fores poſitæ*, Plin. l. XVI. cap. 10. & 33. Tale excidium impiis eorumque familiæ minatur ſubinde Deus, ut Oſeæ cap. IX. 16. Amos II. 9. Malach. IV. 1. &c. Præmiſerat autem Ælianus hiſtoriam de Dionyſio juniore, qui quamquam tot opibus, tanto apparatu, tantoque exercitu vallatam, &, ut ipſe ſibi perſuaſerat, ἀδαμάντι δεδεμένην haberet poteſtatem: nam in pedeſtribus copiis centum millia hominum recenſebat, equitum vero novem millia; naves in portu Syracuſano quingentas, armamentarium inſtructiſſimum, frumenti tantam vim, ut centum modiorum myriades eſſent, ſociosque habebat quam plurimos: tamen filios ſuos crudeliſſime mactatos, filias proſtitutas & nudas interfectas vidit. Denique nemo ejus ſtirpis legitima ſepultura conditus, ipſe, propter ἀκρασποσίαν corrupto viſu cæcutiens] in extrema mēdicitate defunctus eſt. *Athenæus ex Clearchi l. IV. vitar.* recitat crudele & inauditum ſupplicium, de uxore ejus & libris, a Locrenſibus, vindictæ cupiditate in rabiem actis, ſumtum. Nam quod aliquando Locrenſium virgines conſtupraſſet, illi nacti uxorem & filias publica in via proſtituerunt, violatasque infixis ſub manuum digitis acubus excruciarunt, denique exanimatas inaudito ſupplicio iſto, fruſtillatim diſcerpſerunt, contuſis in mortario oſſibus, devoveruntque,

que, qui non aliquid inde gustassent: reliquias, ut, qui frumenta molebant, etiam gustum aliquem perciperent, saxis molaribus in pistrinis comminutas, tandem in mare projecerunt. Addit ipsummet Dionysium sub extremum vitæ tempus tympana pulsando ostiatim Cereri stipem emendicasse, cum prius ille maximarum opum Dominus, exercituum dux rector classium, equitatuum potens, propter inopiam, Corinthi puerulos literas docuisset, *Valer. Max. l. VI. cap. 9. Athenæus lib. XII.* Ita *fortuna mutabilis & inconstans fecit Agathoclem Siculum ex figulo regem, & Dionysium, gentium quondam terrorem, Corinthi ludo literario præfecit. Hæc Adramyttenum Andriscum in Fullonia natum, ob Pseudophilippi nomen evexit: & Persei legitimum filium* [Alexandrum] *artem ferrariam ob quærendum docuit victum, &c.* Ammian. Marcell. l. XIV. extr. de Persei filio eadem refert *P. Diacon. l. IV. Miscell. Hist. cap. 1.* ob tolerandam inopiam fabricam ærariam Romæ didicisse: alii notarium factum vitam scribendo sustentasse, &c. Verissime igitur dictum ab Euripide: τὰ τῶν πεφύντων σφάλματ' εἰς τοὺς ἐκγόνους τέρπεσθαι: *Culpas Parentum in Liberum verti caput.* vide Plutarch, *de sera Numin. Vind.*

CAP. XIX.

Damocles.

PRopter pavidæ conscientiæ perpetuos terrores inter alia Tyrannus describitur quoque, ut *Circumspectans undique gladium*, Versiehet sich immer des Schwerdts / Job. XV. 22. Quod ex historia Dionysii nostri pulcherrime illustrari posse, obiter advertit *Ravanellus* in S. Bibliotheca, *Tit. Gladius.* Eam primo concisius recitabo *ex Cicerone*, deinde fusius ex *Sidonio Apollinari*, quæ collatio juventuti non erit ingrata. Cum

quidam ex assentatoribus Dionysii Damocles commemoraret in sermone copias ejus, opes, majestatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque unquam beatiorem quemquam fuisse; vis ne igitur, inquit, Damocles, quoniam hæc te vita delectat, ipse eamdem degustare, & fortunam experiri meam? cum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque complureis ornavit argento, auroque cælato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere, eosque ad nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium, e lacunari seta equina appensum, demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos administratores adspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam; jam ipsæ defluebant coronæ: denique exoravit Tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil ei esse beatum, cui semper aliquis terror impendeat? hæc *Cicero l. V. Tuscul.*

Districtus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem
Non avium Citharæque cantus somnum reducent.

Horat. lib. III. od. 1. Nec est tormentum ullum, quod cum isto conscientiæ, fausta quoque & tuta omnia paventis, comparari queat,

Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit? Persius Satyr. III.

Felicem te, Damocles, qui non uno longius prandio regni necessi-

necessitatem toleravisti, frequenter dicere solebat *Maximus*, qui, Valentiniano mortuo, Imperium invaserat, vix expletis duobus mensibus a Romanis peremtus, cum, *ut ait Sidonius Apollinaris l. II. Epist. 13.* perosus pondus imperii veterem desideraret securitatem. Iste Damocles, provincia Siculus, urbe Syracusanus, familiaris Tyranno Dionysio fuit, qui cum nimiis laudibus bona patroni, ut cetera, scilicet inexpertus, efferret; Vis, inquit Dionysius, hodie saltem in hac mensa bonis meis ac pariter malis uti? Libenter, inquit. Tum ille confestim lætum clientem, quamquam & attonitum, plebejo tegmine erepto, muricis Tyrii seu Tarentini conchyliato ditat indutu, & renitentem gemmis, margaritisque, aureo lecto sericatoque toreumati imponit. Cumque pransuro *Sardanapalitium in morem* panis daretur e Leontina segete confectus, insuper dapes cultæ ferculis cultioribus apponerentur, spumarent falerno gemmæ capaces, igne crystallis calerent unguenta glacialibus, hinc suffita cinnamomo ac thure cœnatio spargeret peregrinos naribus odores, & madescentes nardo capillos circumfusa florum serta siccarent, cœpit supra tergum sic recumbentis repente vibrari mucro districtus, e lacunaribus, qui videbatur in jugulum purpurati jam jamque ruiturus. Nam filo equinæ setæ ligatus & ita pondere minax ut acumine gulam formidolosi Tantaleo frenaret exemplo, ne cibi ingressi per ora, per vulnera exirent. Unde post mixtas fletibus preces, atque multimoda suspiria, vix absolutus, emicatimque prosiliens, illa refugit celeritate divitias deliciasque regales, qua solent appeti, &c. hæc & alia ille, qui *Imperium* scite professus est esse *pondus, sub quo vertigine corripi soleant gestandi imperiti.* Sic *Maximus*, ait, *cum ad principalis apicis abruptum venit, quamdam potestatis immensæ vertiginem sub corona patiebatur.* Onus est honos, qui sustinet Rempub. *Varro l. IV.*

de Ling. Lat. Magnum onus sustines capite, regium insigne: hoc aut moderate perferendum est, aut quod abominor, in te ruet, *dicebat Cobares Medus* Besso Tyranno, *apud Curt. l. VII. cap. 4.*

CAP. XX.

Voluptas insatiabilis.

QUod impiis olim Israelitarum popis comminatus est Deus: *Comedent & non saturabuntur!* Ose IV. 10. commune luxuriosorum supplicium est. *Nam voluptas insatiabilis est, & quanto magis capitur, tanto plus utentibus se famem creat. E contrario beati esurientes & sitientes justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sicut justitia satiat; Sic iniquitas substantiam non habens vana comedentes fraude deludit, & uteros devorantium vacuos relinquit*, ait ibid. *Hieronym. in Comm.* Videtur autem ad Empusæ illius historiam alludere, quam recitat *Philostratus l. IV. Vitæ Appollonii.* Menippum adolescentem illa adamare finxerat, suisque ut in amando paria faceret, inescarat blanditiis. Commodum accidit, ut nuptiali convivio, lautissime apparato, interveniret Appollonius, qui re tota intimius perspecta Menippum monere cœpit, reciperet se ad sanam mentem: *Scito*, inquit, *te serpentem in finis fovere, vicissimque foveri a serpente.* Isthæc bona sponsa tua Empusarum una est, quas Lamias aut Larvas appellitant. Hominum carnes in delitiis habent, & quos devorare constitutum habent, venereis prius voluptatibus irretiunt. Cum dicto omnis apparatus convivii, omnis suppellex aurea, & argentea, totumque familiæ splendidæ ministerium, ut patuere doli, in auras evanuit. Hoc voluptatis ingenium est, hoc mundi hujus immundi! Bene Prosper ad uxor.

Fugit

Fugit omnes quod tenemus,
Neque fluxa habent recursum:
Cupidas vagasque menteis
Specie trahunt inani.

Hominem amplectitur voluptas, verum ut inde strangulet. *Mundus transit & concupiscentia* ejus! 1. Joh. II. 17. Somnio similis, in quo laute & dapsile excepti esurientes ac sitientes, cum evigilarint fame sitique enecti contabescunt. Esa. XXIX. 8. Lubet memorabili historia illustrare. Nobilis quidam Venetus, animo luxuriosis cogitationibus, ut credibile est, occupato, per urbem noctu ambulans, virginem, vel potius succubum quemdam spiritum, forma & vestitu eleganter comtam atque ornatam, forte fortuna ostio adstantem videt. Accedit; rogat; quid tam multa nocte in plateis negotii haberet? Respondet illa; exspectare ancillas, a quibus domum deduceretur. Offert se viæ comitem adolescens, modo id gratum haberet. Illa manu apprehensum ad domum vicinam deducit, ubi sibilo evocatæ duæ ancillæ, statim cum lychnis ardentibus præsto fuerunt, domoque aperta, heram, ut videbatur, cum comite intromiserunt. Erat vero domus pretiosa admodum supellectili, & ceteris rebus mire exornata, inprimis parietes corio inaurato, quod tum apud paucos erat in usu, tecti. Hic vult abire juvenis, & mulieri valedicit: at illa blande invitat, ac rogat, eam secum noctem agere vellet. Instruitur cœna, opipara scilicet: qua finita juvenis ad lectum cum muliere concessurus; oculos per cubiculum totum circumferens, nec ullibi sacram aliquam imaginem conspicatus, *suo*, inquit, *arbitratu! Deus ubique præsens est*, simulque se crucis imagine signat. Quibus verbis vix prolatis, domus, ancillæ & mulier disparuerunt: Juvenis vero in campo D. Pauli super ingenti cumulo quisquiliarum & sordium e proximis

ximis ædibus eo convectarum solus fuit relictus. Recitat totidem verbis *Strozzius Cigogna in Magia Omnifar. sive de Spiritib. l. III. cap. 3.*

CAP. XXI.
Gloriationes & Triumphi hæreticorum.

SCite vocantur illi ὑπέρογκα ματαιότητος φθεγγόμενοι, 2. Pet. II. 18. non tantum quia sesquipedalia jactabant verba de abstrusa sua sapientia, sed &, puto, quia vanissime gloriabantur se ceteras omnes sectas ea ipsa sua sapientia in ruborem dare, & sub jugum mittere potuisse. *Ante pugnam canere Epinicia* mos est eorum hominum. Pulchre *Juellus contra Hardingum* ait, calamo suo victoriam inscribere solere, ut imperitæ multitudini fucum faciant, quasi victoriam vere essent consecuti: Facere itaque, quod *Agesilaus* fertur, qui sacra facturus ante prælium, manui succo aliquo victoriam inscripserat. Cum mox exta inspicerentur, victimæ corde apprehenso, manus suæ scripturam occulte impressit, ut victoriam miraculo in corde victimæ scriptam rati milites animosius in hostem pergerent. *Tertullianus de Valentinianis* ad rem: *Habent artificium, quo prius persuadeant quam doceant. Veritas autem docendo suadet, non suadendo docet.* Hæc cum *ex Respons. ad Præf.* legissem apud Juellum, venit mihi in memoriam ridiculus *Zabdæ* fugientis post acceptam cladem *triumphus*. Fuit is Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ dux, qui ab Aureliano profligatus, in fuga Antiochiam confestim petiit. Metuens autem ne cives, adversi prælii fama excitati, reliquias exercitus seque ipsum invaderent, ridiculo strategemate triumphum adornavit. Hominem enim incanum, qui vultu habitu-

que

que *Aurelianum* referret, per mediam civitatem traduxit, quasi qui vivum Imperatorem cepisset. Sic deceptis Antiochenis noctu clam cum Zenobia & reliquo exercitu discessit, *Zosimus lib. 1. Histor.* Sic vulgo os sublinunt veritatis hostes, cladem in sinu mussant, epinicia pleno ore debuccinant, victique triumphant ridicula pompa.

CAP. XXII.

Thesaurus Carbones.

UBi est Deus judicii? Malach. II. 17. Solennis ea carnis querela est, succensentis Deo, quod judicii diem tamdiu protollat, quæ tandem in blasphemiam illam erumpit: *Qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent*, ibid. Vel, ut habet *Vitalis Blesensis in Querelo suo l. 1. circa fin.*

Læsa fides confert. Solis est æquus iniquis
Juppiter: & superos, qui colit, ille perit.

Sensit hunc carnis impetum in sterquilinio suo sedens optimus Jobus, cum circa se florere & regnare cerneret nequissimos bipedum. Sed accipe Domini responsum, brevi paraphrasi, quoniam interpretum cura nimia, ut fit, dum lucem soli præferre laborat, tenebras obduxit, explanatum: *Quis tu*, inquis, *qui me nutu tuo diem judicii mei vis accelerare? an tuo umquam, dum in terris agis, arbitrio Sol exortus est? aut tu potis es auroræ locum suum designare? Tuo nempe imperio illa excitata advolabit, ut alas*, oras, extima, *terræ apprehendat, & impii ex ea excutiantur:* Job. cap. XXXVIII. 12. 13. *Metaphora* illustris, vel *a re rustica*, in qua frumenta *vanno* expurgantur, quod Varro a volatu putat dictum, *eo quod, cum id jactant, volant inde levia*, l. IV. Sic enim apud Amosum est cap. IX. 9. vel ab aliis qui βδέλυγμα,

purgamentum aliquod, in sinum improvidi congesserunt, ad primum intuitum cum horrore illud excutientes, ut habet *D. Osiander*, interpres majore, quam vulgo habetur, pretio dignissimus. Nam apud *Mercerum*, *Coccejum*, *Drusium*, parum aut nihil ad rem. Nisi quod hic alludum *ad judicia Hebræorum matutina*, quibus scelerosi quasi e medio excussi, non male advertit. Lubet expolire alia via. Sæpe fit, ut Diaboli ludibrio pro thesauro carbones in sinum ingerant, qui se ejus mancipaverunt servitio. Exempla refert *Remigius Dæmonolatr. l. 1. cap. 4.* Sonnel armentaria, cum acceptam a Dæmone pecuniam, omnibus incedens lætitiis, domum retulisset, excusso sacculo carbones reperit & testas, anno 1586. Aliæ *succerdam*, aliæ *simum equinum*, non paucæ *arborum folia*. Dignum operæ pretium! Sic suos remunerat Satanas. Accidit Terræ magnæ matri quid non absimile. Dum seculi hujus nox lucem, coloremque rebus aufert, stertentibus hominibus Matth. XIII. 25. recondit furtim Diabolus in ejus sinum viperinam suam progeniem. Illa tantisper, dum dies illucescat, fert fovetque, ut bona mater. Sed quamprimum *aurora* magni illius diei, quem nulla nox excipiet, affulserit, *roseisque suis digitis* alas, quasi sinus hujus, apprehenderit, ope ejus Terra, quem huc usque thesaurum ferre rebatur. merum Diaboli numisma, purum putum βδέλυγμα, succerdam & simum esse conspicata, illico cum abominatione excutiet. Apposite *Eusebius*, Gallus ille, quisquis fuit, qui vulgo *Emisseni* titulum præfert: *Quoniam Regis imago in Drachma exprimitur, non immerito homo per drachmam figuratur: quia ad sui Regis imaginem factus est homo*, hom. Dom. 3. post Pentecost. Sed perversa Diaboli Alchymia ex auro fit stercus. Juvat pertexere locum hunc, & reliqua audire, quæ felicis hujus exop tæque piis auroræ ortum Dominus indicat esse consecutura.

CAP.

CAP. XXIII.

Mos Judiciorum Capitalium.

PErgit Dominus in ea quam adversus Jobum instituit invectiva: *Tum*, inquit, cum rei peragentur impii, *vertet se terra, ut lutum sigilli*; ut argilla, mollis dum est, facile aliam atque aliam sigillaricii annuli accipit imaginem: *mutatoque habitu suo*, quod quotidie fieri videre est, dum quæ noctu latuere, interdiu patent, tristia vertuntur in læta, & vicissim sæpe læta in tristia, *denunciabit reis feralem sententiam: & stabunt illi coram judice velut vestimentum*, ut habet Vulgatus & D. Lutherus, wie ein Pelz auf seinen Ermeln. D. Osiander, vel ut *vestimentum veterascens*, aut jam detritum, D. Mercerus: mihi placet, quam probat Coccejus, ellipsis propositionis; *sistent se velut in vestimento*; & magis adhuc versio Tremelliana: *Sistentur velut indumento obducto.* Etsi neutrius probem explicationem. Quæ sequuntur verba: *& prohibebitur ab impiis lux eorum, & brachium excelsum confringetur*; manifeste indicant judicii capitalis processum describi: Moris autem fuit, ut *rei pullati sordidatique* comparerent, & lata sententia, quam judex, *perversa veste, e tabella pronunciabat, obnupto capite ad supplicium traherentur.* Sic apud Romanos, de quibus Senecæ locus est luculentus: *Itaque etsi perversa induenda magistratui vestis, & convocanda classico concio est, procedam in tribunal non furens, nec infestus, sed vultu legis: & illa solennia verba,* [horrendi nempe carminis istius: I lictor, manus colliga, caput obnubito, lege agito, infelici arbore reste suspendito, &c. Livius lib. 1.] *severa magis gravique quam rabida voce concipiam, & agi jubebo non iratus sed severus*, &c. lib. 1. de Ira cap. XVI. ubi Muretus in Notis, *perversam vestem* ait, *indu-*

tam mœroris significandi gratia : nostri videntur hinc proverbium feciſſe : gegen einem das Rau heraus kehren. Plura commodius alibi deinceps, *At pii ſtabunt magna cum confidentia*, ut est Sap. V. 1. ut olim Romæ *P. Rutilius*, qui nulla sua culpa reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia Senatoris deposuit, nec supplices ad genua judicum manus tetendit, &c. *Valer. Max. l. VI. cap. 4.* aut potius, ut *Scipio ille Africanus :* Diem illi ad Populum M. Nævius Trib. Pleb. aut, ut quidam memorant, duo Petilii dixerant: quo ingenti frequentia in forum deductus rostra conscendit, capitique suo corona triumphali imposita; *hac*, inquit, *Quirites, die, Carthaginem magna ſpirantem leges veſtras accipere juſſi : proinde æquum eſt, vos mecum ire in Capitolium ſupplicatum*, Idem lib. III. cap. 7. vel, ut *apud Agell.* est: *cenſeo, relinquamus nebulonem hunc, eamus nunc protinus Jovi Opt. Maxumo gratulatum*, lib. IV. cap. 18. Nota, sed obiter: *Terra, ſigillaricio Dei anulo ſignata*, de quo suo loco, toties imaginem formamque suam mutat, quoties ille sigillum : nunquam autem tristiorem accipiet cultum aut vultum, quam in die judicii, ad testandum ejus terrorem & mundi mœrorem, *vide quæ dixi olim ad cap. III. Joëlis v. 15. & quæ Dn. D. Gerhard. de ſignis noviſſimi diei, Loco de Extremo Jud. &c.* Sed & illud ad rem est, quod *vaſorum obſignandorum opercula gypſo vel argilla lita, & obducta ſunt*, ut sit argilla vel lutum sigilli, cui hoc imprimi solebat sigillum, quod & hodie Medicorum filiis inprimis in usu, *vide Woweren in Petron.* de Lagenis gypsatis, *pag. 417.* locum dedi alibi lib. IV.

CAP.

CAP. XXIV.

Mosis & Apollonii Thyanei Sepulchra.

SUnt *quorum non exstat memoriale*, μνημόσυνον, & *perierunt, quasi qui non fuerint*, Sir. XLIV. 9. Homines scilicet nocte & Erebo sati, æternis digni tenebris. Bonos ergo omnes accurare addecet, ut & dum vivunt, lucem de se spargant multis utilem, & mortui posteris non modo nomen, sed etiam exemplum relinquant. Stultissima fuit κακοζηλία *Apollonii*, Magorum maximi, qui operam dedisse narratur, *ut & mors ipsius esset in obscuro, & sepulchrum incognitum*: dicere solitus, quod Epicuro prius in ore fuit, λάθε βιώσας *Late Vivens*, sed cum correctione: εἰ δὲ μὴ, λάθε ἀποθανών: *Late, si aliter nequeas, moriens.* Hoc ille, qui gloriæ causa nihil non patravit. Pulcherrime Plutarchus: *Atqui ne is quidem, qui hoc pronunciavit, latere voluit: sed ne lateret, hoc dixit.* Et confert cum Philoxeno & Gnathone, Parasitorum nominatissimis, qui, si quid deliciarum in mensam esset allatum, ut soli iis fruerentur, reliquis nausea absterritis, narium mucos in patinam emungere soliti fuerint. *Sic tales*, inquit, *gloriam apud rivales traducunt, & conflurcant, ut soli ea sine certamine potiantur.* Tom. II. Moral. de isto Epicuri dicterio. Voluit Philostratus & Mosi parem facere Apollonium suum, & Christo Domino opponere, cujus *requies, mors, sepulchrum*, jam tum erant *gloriosa*, in ore & corde omnium fidelium, juxta vaticinium Esa. cap. XI. 10. Sed bis fugit eum ratio. Nam & *Mosis* sepulchrum latere debuit, ne esset offendiculo Judæis; & *Christi* celebrari, ut esset omnibus solatio. Mosis corpus in tenebris jacet, nisi cum Domino surrexit, aut ante, quod colligunt ex Matth. XVII. quia

servus

ſervus fuit. Fruſtra propalare ſtuduit Diabolus, ut qui maximus fuiſſet dæmonolatriæ hoſtis in vita, poſt mortem fieret ejus auctor & incentor, quamvis invitus. De quibus *Interpp. ad Deut. XXXIV. 6. & Epiſt. Judæ v. 9.* Alia ratio fuit Domini, cujus glorioſum corpus, *non in ſole ſedet*, quod dixere Manichæi, ſed ad dextram Dei in cœlis, Angelis ipſis adorandum. Sic juſta cauſa fuit, cur *Antonius Eremicola* ſepulchrum ſuum voluerit ignorari. Doluit viro bono illa λειψανομανία, quæ jam privato, ſed ſtulto, zelo nonnullorum ſuccreſcere cœperat velut herba irrigua. *Nullus*, inquit, *ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus ſervetur honore, aut vituperati a me, ut noſtis, ritus, etiam circa me ſerventur obſequia: ſic ex Athanaſio in vita ejus* ad Deuteronom. *Corn. a Lap.* oblitus ſui; nam paullo ante dixerat, *non eſſe apud Chriſtianos periculum Idololatriæ, cum venerantur reliquias Sanctorum.* Sic ille in faciem contradicit Antonio. At bonis viris laudi ducitur, ſi, dum vivunt, exſtruant ſibi aliquod boni nominis ad poſteros monumentum — *ære perennius*;

Regalique ſitu Pyramidum altius;
Quod non imber edax, non aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, aut fuga temporum.

Vivit is, qui ſe utitur: qui vero latitant & torpent, ſic in domo ſunt, quaſi in conditorio. Horum licet in ipſo limite nomen marmori inſcribas: mortem ſuam anteceſſerunt, Seneca Epiſt. 60.

CAP.

CAP. XXV.

Josephus ludit in fratres: Capo pro Leone immissus: Leones exarmati, Risus.

SUnt quibus acerbius lusisse in fratres videatur Josephus. *Fuit vexatio aulica nimis seria & periculosa*, censore Pareo. Gen. XLIV. cap. Non attollo digitum. Gravissima & ultima meritos joco ultus est, & quidem innocente: providus enim ante, ne periculum emergeret, caverat. Crudelis ludus fuit Heliogabali: *Habuit leones & leopardos exarmatos in deliciis*, quos edoctos *per mansuetarios* subito ad secundam & tertiam mensam jubebat accumbere: ignorantibus cunctis quod exarmati essent, ad pavorem & ridiculum excitandum, *Lampridio referente*, qui & deinceps addit: *Ebrios amicos plerunque claudebat, & subito nocte leones, & leopardos & ursos exarmatos immittebat, ita ut expergefacti in cubiculo eodem leones, ursos, pardos, cum luce, vel, quod & gravius, nocte invenirent: ex quo plerique exanimati sunt.* Sic merito luduntur Parasiti, aularum canes. Qui sapit, fugit. Asper hic victus est, cum calceatis veniendum est dentibus. Sed cum Josephi ludum cogito, *Gallieni* in mentem venit. *Cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidisset ejus uxori, atque illa, re prodita, vindicari vellet, surripi quasi ad leonem venditorem jussit. Deinde cavea caponem emittit: mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per curionem edici jussit: Imposturam fecit & passus est*, Trebell. Pollio. *At Benjamin*, ajunt, *tamen injuria sic exagitatur.* Respondeo: injuria quidem, si Josephum spectes *Choragum* ludi hujus, non si quasi *Ædilem* summum, Deum, cujus consilio hæc ita gesta

non

non dubium. Quamquam quæ injuria, si frater fratrem chariſſimum, quid in adverſitate poſſet, nulla cum noxa, exploravit, poſtea arctius complexus? Nonne ſic parentes ludunt cum chariſſimis & oculiſſimis liberis? Deus ipſe ſemper cum ſuis? Nam *cum leonem exſpectant, capo immittitur*; illum ex merito, humiliter quod agnoſcunt: hic præter meritum & ſpem. Quin & leonibus exarmatis objicit, ut Danielem in lacu. Sed ne exanimentur, ſpiritu ſuo animat. Vide mihi tyrannos, Diabolum, Mortem ipſam: nam *ideo mortuus eſt Chriſtus, ut mortem deſtrueret, & exarmaret*, ut ait Theodulus ad cap. VI. Roman.

Explorant adverſa viros, perque aſpera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Ubi tuus aculeus, Mors? 1. Cor. XV. 55. Apud Hypatenſes in Theſſalia *Riſus* habebatur *Deus*, cui & ſimulachrum Spartæ dedicavit Lycurgus, *Plutarch. in Lycurgo &c.* Ei per annua reverticula ludi celebrabantur ſolenniter, quæſita publice undiquaque ridendi materia, ſemper commenti novitate floreſcentes, *ut eſt apud Apulejum, quem vide l. III. Metamorph.* Non ita ludit ſuos Deus, quomodo mundus pios, quos habet εἰς γέλωτα καὶ παιγνιολὴν ἐνειδισμὸν, *in deriſum & exemplum opprobrii*, Sap. V. 3. Sed tamen ludus iſte, quem ſolenniter ludit Deus cum ſuis, hunc habet exitum *riſum & lætitiam* Dei & Angelorum, Luc. XV. 7. 10. quin & ipſorummet piorum, Pſal. CXXVI. 3.

CAP. XXVI.

Vita Nicolai Helvetii, celeberrimi eremitæ.

NOtus eſt & a noſtris in album *veritatis teſtium* relatus quidam *Nicolaus Subſilvanus eremita*, de cujus

jus vita, & memorabili quadam visione *vide Wolfium Cent. Memorab. XV. ad ann. 1480. & Cent. XVI. ad ann. 1508.* Incidit forte in manus meas historia ejus conscripta *a Petro Hugone*, Jesuita, & anno 1636. edita Friburgi apud Helvetios: legeram autem & ante libellum *Neapoli Nemetum* editum, vom Leben und Lehr-Puncten Bruder Niclausen von Grossenstein im Schweitzerland. Ex utroque, quæ notanda videbantur, in compendium missa accipe. De vita prius: *Ortus:* Natus est *Nicolaus de Flue*, sive *de Rupe*, von Grossenstein dictus, apud Subsilvanos, Unterwalden/ in Helvetia anno Dom. 1417. non procul a pago Saxlen. 12. Cal. Aprileis die S. Benedicto sacra, patre Henrico, matre Hemmana Roberta. Antequam nasceretur cœlum contemplatus esse dicitur in alvi materni caligine, &, inter cetera sidera, unum illustrius cap. III. pag. 17. Suspectum facit auctor, quem laudandum suscepit, Nicolaum superstitionis paganæ, quæ nascentium cuique cum Genio *natale* quoque *sidus* addebat. Sic anus quædam, *stellam cadentem* conspicatæ, mortis alicui imminentis præsagium esse fabulantur. *Progressus*; vix dum natus cum in pago Kernensi S. lavacro expiaretur, sacerdotem, patrinos, matrem, obstetricemque, viam, qua ferretur, agnovisse fertur: quod cum Auctor ait Nicolaum familiaribus fateri solitum, vereor, ne vanitatis accuset. Pueritiam & adolescentiam nullo insigni facinore nobilitavit, nisi quod etiamnum impuber paullatim se abstinentiæ adsueverit, prius unum, mox plures septimanatim dies jejunio consecrando. Tandem parentum voluntate conjugium iniit cum virgine *Dorothea, ex Wislingorum familia*, factusque decem liberorum parens est. Interim, re exigente, secutus patriæ signa semel atque iterum in militiam profectus est. Honores autem & dignitates, etiam oblatas, constanter aspernatus est, tum ex aliis causis, cum quod pericula eorum

divina

divina olim visione intellexisset. Nam in foro officii gratia cuidam suorum adsistens, dum in judices animum intendit, *quibusdam pro verbis flammas ex ore sulphureas emicare vidit*, malosque & corruptos judices, hac ratione. Tartarum ipsum in corde circumferre animadvertit, *cap. IX. p. 46.* Virtuti crescenti invidit infernalis Draco, arreptumque aliquando hominem in densissimum senticetum ita abjecit, ut animam pene eliserit. Reperit filius jacentem lacero corpore, qui ubi ad se rediisset, *Bene* inquit, *& in nomine Domini! hæc Dei voluntas fuit!* cap. X. Quod auctor addit: *Eadem prælia cum hoste deterrimo Nicolaus noster, glorioſus ſemper Victor, experiri crebro debuit, quæ præliati ſunt ante eum plerique viri illi, qui vitæ morumque innocentia ac ſanctitate ceteris præcelluerunt*, recitatisque Domini nostri & Jobi exemplis subjungit: *Quid opus eſt pluribus plures enumerare? Paulos, Antonios, Ignatios, Franciſcos, Margarethas, Anaſtaſias, Bibianas, innumeros alios ſanctos? quibus conflictus graves cum hoc hoſte divinitus decreti fuerunt? an ideo ſancti non fuerunt? an ideo Numini divino diſplicuerunt? erras, erras a vero, quisquis ita judicas! &c.* pag. 53. meminisse debebant, qui *Lutheri tentationibus* insultant. Sequuntur variæ *visiones*, quibus ad altiorem vitæ rationem vocatus, mundumque a se procul spernere monitus, tandem in eremum se abdiderit. Sic in prato aliquo divinis laudibus inhians, dimissis pabulatum equis & gregibus suis, lilium pulcherrimum ex ore prodire vidit, cujus dum fragrantiam, & enitentem in cœlos proceritatem miratur, en tibi ab equo aliquo interpellatur, aversisque ad illum oculis, lilium suum flore in terram reclinato, ab eo ipso absumtum adspicit, &c. cap. XI. Tandem ergo mense septimo anni 1457. jam quinquagenario major, obtenta ab uxore in eremum se conferendi licentia, suis valedixit, cumque, incertus quo

se

se conferret, a Deo flagitasset consilium, somno correptus, cœlesti quadam vidit se luce circumfulgere, tactusque illo fulgore gravissimos in visceribus suis dolores, veluti si culter in ipsa præcordia adactus grassaretur, & posthac nullam deinceps neque famem sensit, neque sitim. Expergefactus, in ipsa sibi patriæ solitudine, quo se divinitus rapi intelligeret, habitaculum elegit, locus appellatur *Margo* der Rand/ in valle, cui torrens *Melcha* nomen dedit, mediam interlabens. Hic ei tandem asceterium, humilis casa, & deinde sacellum, cum fama abstinentiæ ejus mirandæ percrebuisset, multisque argumentis confirmata esset, ædificata sunt. *Insigne ejus*, a Deo ipso donatum, fuit in vexillo, *Pes Ursinus*, depictus, fortitudinis ac constantiæ symbolum, pag. 64. Roganti *Oswaldo Isnero*, Kernensium parocho, quo tandem nutrimento vitam tam vegetus produceret, *Christi*, inquit, *corpus, ejusdemque sanguis mea unica sagina est*, pag. 108. Mysteria vitæ mortisque Dominicæ unice meditabatur, commentariolum de iis in XCII. sectiones distributum memoria complexus, quem ex ore ejus exceptum, Petrus Canisius postea evulgavit, pag. 112. Quæ de variis ejus admonitionibus, & de illa notissima visione, de qua Wolff. l. cit. aliisque auctor adjicit, festinanti ad finem moram non potuerunt injicere. Supereſt *Vitæ egressus*; de quo testatur epitaphium; *Frater Nicolaus de Rupe, relicta conjuge & liberis in eremum secessit; servivit Deo sine corporali cibo annis decem & novem, ac mensibus sex: obiit festo die S. Benedicti, anno Dom. 1487. pag. 223.* Adstantes, cum animam ageret, his affatus dicitur: *Quamvis dolores, qui animam e corpore ejiciunt, graves sint; gravius tamen terribiliusque est, mihi credite, incidere in manus Dei viventis! studete igitur vitam vestram ac mores ita componere, ut hilaro, lætoque non pavido ac trementi, vultu judicem vestrum intueri possitis.* Qui fa-

ctum sit, ut in Sanctorum catalogum a Romanis Pontificibus, licet id Cantones non semel flagitarint, nondum fuerit relatus? *refert pag. 233.* Reliquum libelli elogia & miracula implent. Habes quæ de vita strictim enotare visum fuit.

Doctrina ejus quæ fuerit?

EAm ex citato libello Germanico in epitomen redactam, ut, quæ fidelium ejus ævi ad salutem via fuerit, appareat, audire juvat.

1. Summam & arcem *Christianæ perfectionis* collocat, non in divinis consiliis, aut operibus supererogatoriis, sed in *animæ fidelis cum Deo in Christo ineffabili unione & communione*, sive ὑψωσι, ut vocat, Erklärung: da sich die ungeschaffene Dreyfaltigkeit gibt der geschaffenen Dreyfaltigkeit/ *Deus Pater dat se cum omnipotentia memoriæ, Deus Filius cum omniscientia intellectui, Deus Spir. Sanctus cum suo amore voluntati.* Hinc docet oriri solatii & gaudii plenitudinem, cœlestium divitiarum thesauros, desideriorum omnium pausam, denique omnium animæ facultatum divinam quandam ἐυλαξίαν & harmoniam: Hinc *certitudinem salutis* per fidem, ein solches erkennen/ daß von dir genommen wird aller Zweifel der Sorgfältigkeit/ welchen du gegen GOtt je gehabt hast über die ewige Seeligkeit/ nach ungeordneter Weise. Confer quæ *ex Gerſone de Mystica Theolog.* & aliis similia citat *Thomas a Jesu l. IV. de Orat. Div. cap. III. &c. ut & Blosium Instit. Spirit. cap. 12. & alibi.* Cave tamen enthusiasmum.

2. *Eam unionem* docet esse non *naturalem* sive generalem, qua creatis omnibus Deus unitur, *esse* illis & *vivere*, & *operari* communicans; sed *supernaturalem*, gratiæ gratiosæ, qua nostras animas sibi facit acceptas in æternum bene esse.

3. Ad

3. Ad eam consequendam frustra esse *Lumen Naturale*: Dann dieweil dir leucht ein natürlich Liecht / und deme nachfolgest / so erkennest du dich nicht nach deinem Unvermögen / und weil du dich selber nicht erkennest / so gibt GOtt sich dir auch nicht zu erkennen: dann kein Meister war nie so weiß / daß er von Natur GOtt möcht erkennen / es muß dir geben werden von oben herab aus dem vätterlichen Hertzen / ein Liecht der Gnaden / das über die Natur ist. Verissime & consentienter cum Ecclesia Catholica. Lubet audire S. Prosperum de Ingratis:

Hunc itaq; affectum, quo sumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, ægrique valescunt,
Nemo alii dat, nemo sibi: non litera legis,
Non naturalis sapientia! &c. denique
gratioso Dei---*sine lumine lumen*
Nemo videt, vitam sine vita inquirere mors est.

4. Primum itaque esse *Purgari a peccatis*. Hoc enim esse quasi medium interstitium inter Deum & animam, unionem prohibens. Fit ea purgatio *per gratuitam justificationem*: Soll dann die Seel von Sünden gereiniget werden / und vor Sünden behütet / so muß das geschehen von der Barmhertzigkeit GOttes / durch das Verdienen seines lieben Sohns JEsu Christi. Et, ut meritum omne videas excludi, addit rationem firmissimam: Dann wie dir GOtt gegeben hat aus seiner Mildigkeit ein natürlich Leben: also gibt er dir nach seiner Freygebigkeit ein geistlich Leben. Nempe *ut ipse fecit nos, & non ipsi nos: Ita ipse reficit nos, & non ipsi nos.*

5. *De ordine* divinitus præscripto, quo *ad istam puritatem* perveniri possit, sic habet: Ante omnia intra se manendum esse animæ, & quotidiana diligentia examinandas suas infirmitates, & imperfectiones, ne opus divinæ

influentiæ impediatur. Deinde convertendam esse omnem fiduciam in SS. Trinitatem, & paternum cor Dei. Quæ sunt partes veræ pœnitentiæ. *Sic Blosius sæpe ex Susone, Rusbrochio & Taulero, vide oper. pag.* 309. 310. 614. *&c.*

6. Gradus itaque primus est *vera sui notitia*, seines Nichts und Unvermögens/ ne quis se ipsum decipiat. Du kanst kein Gut von dir geben/ dann du bist kein Gut. Du bist Nichts deinethalben: Was du dich anderst anninst/ so irrest du/ und nimst dich Unwarheit an.

7. Vis scire morbos tuos? *Cæcus es in fide, insufficiens in spe languidus in charitate, etiam post regenerationem: ante vero quam renoveris; confusus in memoria, cœcus in intellectu, curvus & distortus in voluntate, instabilis & inordinatus in affectibus tuis.* Wilt du nun GOtt finden/ so must du dich selber verlieren.

8. Hinc oritur salutaris illa *diffidentia & abnegatio sui*, ac *desperatio*, quæ ostium est spei, de qua Oseas cap. II. 15. citare videtur antiquissimum adagium: *Vallis Achor* desperationis, *est janua spei*, vide ibid. Corn. a Lap. Soll GOttes Will in dir vollbracht werden/ so must du dich ihme ergeben/ und lassen in einer blossen Abgeschiedenheit aller Annehmung deiner eignen Werck/ daß du dich deren nicht annemst/ als so du etwas gethan hättest/ oder thun wolltest/ dariñ du erhafftest/ daß du Gott desto besser gefallen solltest/ ꝛc. Das ist das Mittel zwischen GOtt und dir/ daß GOtt als lang verhindert wird seines Wercks in deiner Seel/ daß du etwas seyn wilt/ und du wilt/ daß deine Werck GOtt gefallen.

9. Eo spectat Nicolai nostra crebra oratiuncula:

O GOtt nimm mich mir
Und gib mich gantz zu eigen dir!

O Domine accipe me mihi, & da me totum tibi! meminit Hugo citatus *ex Stumpfio p.* 306. *& Sebastian. Franck. in Chronico:* Cum itaque hoc modo humiliter statueris, te nihil

nihil nec scire nec posse, daß du gantz kennloß und krafftloß seyest/ extra gratiam Dei, sequitur.

10. Gradus secundus *Fides*, cujus proprius actus est firmiter inniti Dei misericordiæ & merito Christi: Gebe dich auf GOttes grundlose Barmhertzigkeit/und auf das Verdienen seines lieben Sohns JEsu Christi! du magst dich gern wagen auf GOtt/ dann du bedarffst nicht sorgen daß er sich gegen dir vergehe. Et iterum: Vor allen Dingen hab deine Zuflucht zu dem hochwürdigen Leiden unsers HErren JEsu Christi/ und nimm für dich den Schirm des Creutzes/ und neige dich/ und falle mit deinem Gemüth für die Füß JEsu Christi/ dann dadurch begehre allezeit gereinigt zu werden/ und gerechtfertiget in allem deinen Leben. Hoc est illud fundamentum, cui superædificati in medio Papatu electi perire non potuerunt. Sic Gerson:

Spes mea Crux Christi, Gratia, non meritum!

11. Supereſt ut *fidei fructus* & exercitia cetera spectemus. In iis eminet 1. *Humilitas*: dann welches Natur sich allhier gekehrt hat in der tieffen Nidrigkeit/ dessen Geist fleucht auf in das allernechst der Gottheit.

12. Mater humilitatis est *nuditas & paupertas Spiritus*. Die Armen des Geistes seynd/ die alle Ding GOtt gelassen haben/ als er sie hätte/ da wir nicht waren. *Homo in nuditate illa & totali sui omniumq; extra Deum consistens abnegatione, adeo in æternitatem absorbetur, ut nihil eum caducorum commoveat, nihil ei terrenum sapiat, & vocatur mortuus mundo*, de quo S. Paulus: *Vivo autem, non jam ego, sed vivit in me Christus*. Sequitur eam fruitio divini solatii. Dann GOttes geistlicher Trost ist also zart/ daß er sich niemand erbieten wil/ dann deme/ der zeitlichen Trost verschmehet.

13. Adhæc opus est homini renato *prudentia Spiritus*, ne *facile credamus cuiq; bono, aut amemus, quod amandum*

dum non esset, & inprimis ut metuamus nos ipsos, nullo modo nobis fidamus, quasi tam simus sapientes aut esse possimus, ut nobis ipsi sufficiamus: Für dieser Blindheit behüte dich GOtt!

14. *Patientia* accedat in θλίψεσι adversis: Dann es wäre niemand mehr ewiger Süßigkeit / dann der mit Christo stehet in der höchsten Bitterkeit. Sed & hic adhibenda prudentia: Es ist nicht alles gewonnen / als man mit blinder Gedult leidet/ *cavendum igitur, ne quis patiatur ex cœco amore sui, & juxta propriam voluntatem, ne sequatur virtutis vanam speciem, & pro vera sanctitate assequatur naturalem aliquam & apparentem, quæ procul manet a vita Christi.*

15. Itaque & hic necesse est, *Timere se ipsum:* Dann solche Forcht must du haben biß an deinen Todt/ dann niemand mag dir geschaden / wann du selber.

16. *Orationem* denique devotam commendat, *qua se quis, cum iis quos aut quæ in prece susceperit, elevet, & sursum ferat in vulnera Christi:* Mag ich darinne gestehen / ohne einig abweichen auf eine Creatur / so stehe ich recht. Damnat opem quærentes a creaturis, & deplorat *multos esse cœcos Christianos, idola adorantes cum ethnicis, & fidem ponentes in benedictionibus, & similibus affaniis, &c.*

17. Denique *vitam* laudat *simplicem*, singularitatis expertem, daß du dich hüteſt vor besonderlicheit / und ungeordneter Weiß / so es anderst wider die Gebott und brüderliche Liebe wäre / &c. Quæ omnia ex ejus temporis piorum virorum *Kempisii, Susonis, Rusbrochii, Ekhardi, Tauleri &c.* Scriptis confirmare & illustrare facile est. Quæ qui cum Papismo conciliare poterit, ille idem

--- jungat vulpes & mulgeat hircos.

CAP.

CAP. XXVII.

Cananæi an Liberos devorârint?

AFfirmat Liber Sapientiæ cap. XII. 5. τέκνων τε φονέας ἀνελεήμονας καὶ σπλαγχνοφάγους ἀνθρωπίνων σαρκῶν fuisse. *Costabadius in Judicio de Sap. Salom.* assumentum hoc a Philone esse Biblicis narrationibus adjectum, ut plura ejus generis in hoc libro, affirmat: Quod nihil tale alibi in S. Historia de Cananæis legatur. De eorum feritate & ἀνθρωποφαγίᾳ libro primo aliquid dixisse memini. Lubet aliqua addere. *Anthropophagia* Barbarorum varias habuit causas: *1. Exsecrabile odium*, & insatiabilem vindictæ cupiditatem, de qua David questus in Psalm. XXVII. 2. Ita *quosdam percussorum Caji Caligulæ occisi carnes degustâsse* prodidit *Xiphilinus*. Idem refert Judæos, sub Trajano in Cyrenaica rebelles, duce quodam *Andrea*, cæsis passim Romanis pariter & Græcis, carnes & ἔντερα illorum devorâsse, sanguineque oblitos induisse detractas eorum pelles, ne quid relinquerent extremæ feritatis. Similia exempla passim legere est, & alias hic annotata. *2. Pietatem in consanguineos*; sed prorsus impiam: *Essedones* corpora parentum laniata & cæsis pecorum visceribus immista epulando consumunt: capita ubi fabre expolivere auro cincta pro poculis gerunt, *Pompon. Mela l. II. cap. 1. Indorum quidam* proximos, parentesque, priusquam annis aut ægritudine in maciem eant, velut hostias cædunt; cæsorumque visceribus epulari fas & maxime pium est. *Idem lib. III. cap. 7.* Ita *Eusebius 1. de Præparat. cap. III. Massagetas & Derbices*, ait, putâsse, miserrimos esse qui ἀνοσιάτως morerentur; itaque parentes & cognatos, quosque haberent charissimos, prævenire solitos & immolatos abligurire. Plura belluini hujus moris *apud Alexandr. Neapol. Genial. Dier. l. III.*

cap. 2. Porro 3. *Luxuriam & gulæ pruritum:* Quod carnes humanæ dulciſſimi ſaporis habitæ fuerint. *Scotia* olim hoc perſuaſum fuit, & noſtro ævo *Cannibalibus:* Dixi lib. 1. ſupra. *De Hibernis Solinus:* Gens inhoſpita: ſanguine interemtorum hauſto prius, victores vultus ſuos oblinunt, cap. XXV. quod ad cauſam primam referre licet. Quod *Neronem* pueros puellasque nudos, ad palum alligatos, ferina contectum pelle, aſſiliendo lambere ſolitum, quaſi eſſet devoraturus, *ait Xiphilinus*, ad aliam libidinem ſpectat, *quam tangit Tertull. Apologet. c.* 9. qua vivos vorabant, puberes. De rabida fame nihil dicam; addam tantum, quæ hujus loci propria eſt, cauſam, 4. *Magicam vel Idololatricam ſuperſtitionem.* De Magia notum illud Plinii: *hominem occidere religioſiſſimum erat; mandi vero etiam ſaluberrimum* l. XXX. cap. 1. *vide eundem lib. XXVIII. cap.* 1. ubi magicas medicinas, ex ſingulis membris paratas, commemorat cum exſecratione. Cæterum *humanis ſacrificiis, & puerorum inprimis immolationibus*, nihil notius aut tritius eſt. *Trans Alpes hominem immolari Gentium earum* [Gallorum Allobrogum] *more ſolitum:* quod paullum a mandendo abeſt; *Plinius lib. VII cap.* 2. Paullum; ſæpe nihil: nam de victimis participare epulando receptum fuit. Romæ anno urbis DCLVII. demum Senatus conſultum factum eſt: *Ne homo immolaretur*, Idem lib. XXX. cap. 1. *A Cananæis* nefandorum ſacrorum originem cœpiſſe, indubium. Ab iis *ad Tyrios, ad Pœnos, Carthaginienſes*, & alio profecta ſunt. De his *Oroſius lib. IV. adv. Pagan. cap.* 6. cum peſtilentia laborarent, *homicidiis*, inquit, *pro remediis uſi ſunt: quippe homines ad victimas immolabant, ætatemque impuberem, quæ etiam hoſtium miſericordiam provocaret, aris admovebant.* Solitos autem aliquos in tam ſacrilegis ſacris guſtare immolatitias carnes, tum exempla ea docent, quæ obiter citavi, cauſa ſecunda paullo ante; cum & alia.

Cum

Cum nostris *Cœnæ Thyesteæ* exprobrarentur, *& gustatus infantum sanguis*, respondit Tertullianus inter alia: *Dicimur sceleratissimi de Sacramento infanticidii, & pabulo inde, &c.* Revocat in memoriam, *in fœderibus degustatum humanum sanguinem*, ut a conjuratis Catilinæ. Sallustius ait, *humani corporis sanguinem vino permixtum pateris circumtulisse; inde cum post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in solemnibus sacris, aperuisse consilium suum*, cap. XXII. *Gnosticorum* hæc feritas fuit, quæ postea Christianis probro data; & *Magorum* plurium: nam & illi merissimi magi. De quibus *Nicetas in Thesauro l. IV. cap. 2.* inter alia inauditæ impietatis & obscœnitatis: *fœtus, simul ac editus esset aliquis, in mortario contusos, a singulis digito delibatos esse, addita prece: Gratias agimus, ô Deus, quod a Principe concupiscentiæ delusi minime fuerimus &c.* Vide Minutii Felicis Octavium & alios, studio præteritos, nec enim omnia vel citare vel exscribere otium est, aut lubentia. Hac de causa *Cananæos* non abstinuisse parricidali epulo liberorum suorum, ipse auctor libri sapientiæ insinuat: Nam & Pharmacejam Magicam & sacra exsecranda illis adscribit.

CAP. XXVIII.

Fulmine tacti consecrati.

CUm in S. Literis lego Eliam *in turbine* ἐν λαίλαπι, ut habet Siracides, *in cœlum evectum*, & ut Ambrosii verbis utar *quadrigæ igneæ impositum, quasi victorem in quodam triumpho adscendisse:* Non dubito ferme, quin ex historia celeberrima, ut non semel evenit; varii ritus superstitionesque vel originem traxerint, vel robur. Per ἐκπύρωσιν *corpora & animas purgari, dignasque reddi has Deorum consortio*, vetus opinio fuit, de qua *Clemens Alex. Stromat.* lib. V. Sic qui *Mythræ* initiabantur *per aquam*

& ignem purgati ; [unde Philologia *Athanasiæ* ejusque matri gratiam persolvit, *quod nec igne usserit eam , nec lympha subluerit, &c.* Martian. Capella l. 2.] sic *Achilles* a matre Thetide interdiu ambrosia unctus , noctu ignibus occultatus & ambustus, ut fieret immortalis, unde & *Pyrisous* prius dictus : Sic *Hercules* in Oetæo rogo mortalitatem exuit. Nec alia de causa *Indorum Sapientes* πῦρ ἀνθρώποις μέγιστον κολαστήριον contemnebant, ut ajebant ad Alexandrum, *Clem. Alex. Stromat. IV.* conscensa pyra se ipsi immolantes *ut Calanus apud Arrianum l.* 7. Eadem de causa *Proteus Cynicus* Philosophus, ut *Phœnix* esset & diceretur, [hoc enim nomen ambiit] in maxima Olympiorum celebritate, vivus in rogum se præcipitavit *Quod eadem ratione Hercules igne, Æsculapius vero & Bacchus fulmine usti, in cœlum iissent.* Lucianus de Peregrino. Quod si firmo talo staret opinio , quam *Abulensis & R. Kimchi* defendunt, *combusta Regum in populo Dei corpora*, ossa deinde lecta, & sepulchro condita , quod sane accidisse Sauli clare testatum est 1. Sam. XXXI. 12. 13. non dubitarem , quandam consecrationis imaginem habiturum fuisse. Hinc illa persuasio de qua Artemidorus : *Nullus fulmine ictus infamis & ignominiosus existit : unde etiam velut Deus colitur.* Ita mos ferebat , de quo idem : *Non transferuntur fulmine icti ; sed ubicumque ab igne tacti fuerint , ibi sepeliuntur* , lib. II. cap. 8. Ita *Festus* ait in Numæ legibus scriptum fuisse : *Si hominem fulmen Jovis occisit, ne supra genua tollito : Homo si fulmine occisus erit, ei justa nulla fieri oportet. Hominem*, ut docet Plinius, *ita exanimatum cremari fas non erat , condi terra religio tradidit* , l. 2. cap. 54. Ipsum *ignem illum sacrum* dixere , & hoc modo contacta loca *nec intueri nec calcari debere fulgurales pronunciant libri*, ait Ammianus Marcell. lib. XXIII. *Elysea* dicebantur ista *fulgurita loca*, quod fulmen in ea εἰσηλυθεν, docet ibid. *Valesius* doctissimus Commen-

mentator, & ab Auguribus maceria munita fuisse, ἄδυτα καὶ ἄβατα habita, sacra Jovi Καταιβάτῃ. *Vopiscus in Floriano* meminit; cum ejus & Taciti fratris statuæ fulmine dejectæ & membratim dissipatæ essent, responsum fuisse ab Aurispicibus; post annos mille ex eorum familia Imperatorem Romanum futurum, qui terram omnem quam Oceanus ambit, suam faciat, victurus annis CXX. & sine herede moriturus, &c. *vide eundem in Probo.* Sic cum fulmen in statuam Cæsaris, in Capitolio positam, decidisset, primamque deleviset nominis ejus literam, responsum ab Aruspicibus: *post centum dies Deum fore:* hunc enim *Æsar* nomen habere apud Hetruscos, *Xiphilin. &c.* Denique ipsa *Romanorum Impp. Consecratio* hinc ortum videtur duxisse, quorum animas e rogo aquila fingebatur in cœlum ferre, *ut in numis videre est.* Quamquam *in Constantini numismate*, anima ejus videatur linteo semiopertа in cœlum vehi *quadrigis*, brachioque exserto excipi ab altero quodam cœlitus emisso & porrecto brachio, subscripto lemmate: *Cons:* id est, *Consecratio.* Ritum exscriberem *ex Dione lib. LVI. & Herodiano lib. IV.* in gratiam juventutis, & eorum quibus tales scriptores vel spreti vel ignoti, sed alia avocant negotia. Dabo alia forte occasione, puto enim regum olim Judaicorum justa aliquid simile habuisse, de quibus interim, si quis conferre cupiat, aliquid *apud Sanctium, in* 1. *Samuelis. loc. cit. de Saule.*

CAP. XXIX.

Scholia in Locum Baruchi

Cap. VI. v. 42. 43.

De propudio Mulierum Babylonicarum.

Herodotus l. 1. describit Babyloniorum legem & consuetudinem nefandam, *qua omnes eorum mulieres semel in vita ad Veneris Mylittæ templum prostare oportuit,*

tuit, patique virum quicumque prior occupasset, & pecuniam, quantulacumque esset, in sacrum usum conferendam, in sinum illius injecisset, dicens: Tanti ego tibi Deam Mylittam imploro. *De eo more* locus est paucis intellectus *in Epistola Jeremiæ*, cui *ex Delrio l. III. Disquis. Mag. p. 1. q. 3. sect. 2. p. 367. Seldeno Syntagm. II. de Dis Syris cap. 7.* aliisque allegandis aliquam adferre lucem non pigebit. *Mulieres* inquit, nempe *Babyloniæ, sedent in viis*, Für der Kirchen / vertit D. Lutherus, *ad ædem Veneris*, cujus apud Assyrios præcipuus cultus, & si Pausaniæ in Atticis fides, inde ad Ascalonitas & Cyprios & Cytherios profectus fuit. Habuit autem Venus diversa nomina, Herodoto teste, Assyriis *Mylitta*, Arabibus *Alitta*, Persis *Mitra* dicebatur, Mylitta quasi *genitricem* dicas, a ילד *Jalad*, Alitta unde Græcis ἀλιλθυια quasi *Lilith* noctiluca, interprete *Jos. Scaligero*. Eandem *Anaitida, Nannæam, Aphacitida, Delephat & Salambo* dixerunt. *Bulenger. in Eclog. ad Arnob. c. IV. Selden. Syntagm. II. cap. 2. & 4. Sedent, opperientes dum aliquis* τὴν πορευομένων *zonam solvat virgineam*, aliæ *in vehiculis*, teste Herodoto l. c. divitiis superbæ, quæ cuique copiam sui facere recusant, aliæ de vulgo *in sellis* forte, unde & nomina meretricum, *prosedæ, sellariæ*; vilissimæ autem quadrantariæ aut diobolares *stabant*, unde *prostibula*, quod ante stabulum stent quæstus diurni aut nocturni gratia, *Nonius, vide Plaut. Taubmanni in Pœnulo act. I. scen. 2.* Sedent, more apud Cyprios quoque & per omnem Syriam recepto *vide Alex. Sardum de Morib. Gent. l. I. cap 3. Circumdatæ funibus*, περιβέβλημεναι χοινίκια, hic varietas magna: Alii nodos & ligamina amatoria intelligunt, *licia* puta, de quibus Virgilius in Pharmaceut.

Terna tibi hæc primum triplici distincta colore
Licia circumdo.

Alii

Alii γάμιγγας sive *funiculos illos subtiles* quibus corallæ erant contextæ: nam coronatas fuisse, Herodotus ubi supra meminit. Sic plerumque meretrices, neque modo ipsæ, sed & fores lupanarium, credo etiam, qui in *Salutatorio lenonis* fuit de more, *aureus Priapus ex gemmis*, histor. Apollonii Tyrii, cujus, uti ibidem scriptum, præsentissimum Numen adorabant, & cui coronas, quas noctu *amplexus inter & subanteis voculas*, ut dicam cum Apulejo, in lodicibus fregerant, imponebant, totidem numero, quot in una nocte itinera confeciſſent, *Lipsius l. III. antiq. Lect. quod ex Priapeis* quoque clarum, ubi totidem Priapo verpas salignas dedicatas legere est, quot quæ - *nocte viros peregit una.* Sed *Priapum*, inquam cum Lactantio, *denudare nolo, ne quid turpe appareat.* Alii per χοινίκα junceos funiculos accipiunt, quibus se meretrices præcingebant, *vide Franc. Junium in Baruch.* Et sic quoque *Martinus de Roa singular. l. 3. c. 9. & 10. h. l.* explicans, ait zonas junceas meretricum vilium insigne fuisse, hinc dictæ *Schœnicolæ*, quod junco odorato uterentur ad pigmenta, *Turnebus, Scaliger*, alii. qua de re tamen vide quæ *ex Meursio Taubmannus citet in Pœnul. l. cit.* Sic D. Lutherus vertens: Mit Stricken umbgürtet. Sic *Olympiodorus in Catena*: χοινίκα φησὶ τὰ σειζώμενα: *funiculos vocat Zonas, sola enim verenda obvelantes, reliquo corpore erant nudæ, ut amatores invitarent.* Qui Herodotum consulunt, vident funiculis circumdatas fuisse, quod ad eas passim essent διέξοδοι χοινοπινέες, *aditus funiculis prætensi*, quomodo Athenis τὸ δικαστήριον περιεχοινίζετο, *Julius Pollux in Onomastico*, l. VIII. cap. 10. Non credo tamen centones ex istis suspensos, aut hæc esse *Succoth Benoth Tabernacula filiarum* celebrata apud Babylonios, ut censuere *Delrio & Seldenus*, vide Esther. I. 6. Jerem. X. 20. 2. Reg. XVII. &c. Nam cui bono? Si ho-

Si hospes a fano seorsum abduxit, qui cum rem habere volebat? ut prodidit Herodotus. Pergo in Barucho: *sedent, succendentes ossa olivarum.* Sic Vulgatus, Græce: θυμιῶσαι τὰ πίτυρα Pagninus *adolentes furfures*, D. Lutherus: Bringen Obst zum Opffer. Oedipo conjectore hic opus est. Recte autem admonet *Guevara præfat. in Habac. num. 28.* ex Theocrito explicationem esse petendam, qui in pharmaceutriis docet, *succendere pityra genus fuisse incantamenti amatorii, ad animos in Venerem alliciendos & amores conciliandos adhibitum.* Sic enim ibi:

> *Nunc pityra incendam, tu vero o Artemi & Orci*
> *Inflectas adamantem, & si quid firmius illo est.*

Nempe ut *laurum* solebant magæ *adolere*, unde illa apud Virgilium:

> *Daphnis me malus urit ego hanc in Daphnide laurum,*

ut *limum igni durare, ceram liquefacere*; sic incendere τὰ πίτυρα *paleas & furfures*, quibus indicabant, amantium ταχινὰς φρένας *animum instabilem*, similem paleis vento dispersis, ut ipse docuit *Theocritus in princ. Pharmaceutr.* ut ita non pereat elegans illa mysterii magici analogia, ut putabat Delrio nisi τὰ πίτυρα sint *furfuraceæ olivæ*, duriores illæ & pœne osseæ, quibus durum hospitum animum significatum credidit. Aliud autem sunt τὰ πίτυρα aliud πιτυίδες ἐλαίαι. Sed quid D. Luthero in mente fuit? Omnino respexit ille ad ritum *Canephoriorum*, quo puellæ nubiles, pertæsæ virginitatis, in canistris ad Dianæ templum sacrificia deferebant, ejus veniam postulantes. Erant autem canistri illi ex puro auro, quibus primitiæ omnium fructuum imponebantur, *meminit Natal. Comes l. III. c. 18. & l. V. c. 13.* ut animadvertat juventus, etiam magnos illos proceres Religionis

ligionis nostræ Gratiis hisce litaviſſe, animumque ad ſumma editum in hæc Muſarum infima, uti quidem barbariei patronis videntur, inclinaſſe. Quod ſupereſt in textu facile eſt, ſi ex Herodoto hæc enotes: *Quæ forma ſunt elegantiore, citius, ut credere par eſt, abſolvuntur: quæ vero deformes, diutius coguntur ad Templi parietes deſidere, antequam legi ſatisfaciant. Fitque interdum, ut uno atque altero anno, aut etiam triennio, atque diutius exſpectare oporteat miſeras:* hæc de loco Baruchi, quædam ex ingenio, quædam ex iis auctorum ſcriptis, ex quibus me profeciſſe, quod ingenui candoris eſt, non diſſimulavi.

CAP. XXX.

Vrbes vaſtatæ arantur, & ſale conſeruntur.

PRiſci moris hujus notatu dignum eſt, & τὸ ὂν, & τὸ διόν. *An ſit?* nemo dubitaverit. *Hæc conſuetudo fuit condendis atque evertendis civitatibus, ut aratro fieret*, ait Acron in Horatium, ut & Iſidorus: *Urbs aratro conditur, aratro evertitur.* Ac de conditu nihil dicam, nota res eſt, quibus vel ſolum *urbium* nomen notum, ab *orbe* aut *urbo aratri*, quo circumducto, ſulco interiore, pomœria & fines condendarum urbium deſignabantur, *ut Varro. l. IV. & alii.* De excidio, & quomodo

imprimeret muris
hoſtile aratrum exercitus inſolens,

non Carthaginis modo exemplum, quod *Modeſtinus Jurisconſultus allegat l. XXI. ff. quibus mod. Uſusfr. docens*, ſi aratrum civitati inducatur, eam eſſe deſinere, & pro mortua haberi; ſed & Hieroſolymæ terribile exemplum exſtat; cui Turannius Rufus aratrum impreſſit, ut Ju-

ut Judæi ipsi produnt *in Sanhedrin. cap. VII. & Hieronym. in cap. VIII. Zachar. vide Jos. Scalig. l. III. Canon. Isag. p. 304.* ut vere prædixerit Dominus: *Non relinquetur lapis super lapidem!* & olim Michæas: *Sion quasi ager arabitur!* cap. III. 12. Alludens sine dubio ad hunc morem, quem antiquissimum fuisse, & in Oriente olim usurpatum, etiam Sichemiticum excidium indicat, ubi Abimelech, destructa civitate, non modo eam aratro pressit, sed & sale consevit. Judic. IX. 45. quod & Mediolano contigit anno Dom. MCLXII. *teste Sigonio l. XIII. de Regno Italiæ*, &, ut *Sanctius in c. II. Zephan.* annotat, apud Hispanos receptum est, ut fiat eversis domibus eorum, qui læsæ majestatis tenentur, cujus criminis, *ut ait Guntherus in Ligur. l. IX. v. 279.* pœna est inter alias *eversio funditus urbis!* Sed & *pro Sale sulphure* consitam aliquando aream urbium excisarum indicant nonnulli *ex Jobi c. XVIII. v. 15. aspergatur in habitaculo ejus Sulphur.* Nam quod ad Sodomiticum interitum aliqui alludum putant tantum, frustra est. Pineda *ad lustrationes Sulphure & ovis* factas refert, quasi dicat, neminem habitaturum in funesta & diris devotata domo impii, nisi prius eam expiarit, *de quo ritu Plinius l. XXXV. c. 15. & ibid. plura*, majore opera, quam pretio. Sed de ipso more satis, *causa ejus* fuit solennis & publica, cum ista ceremonia conjuncta, aut per eam tacite expressa detestatio & exsecratio loci istius, cui aratrum imprimebatur, & sal aut sulphur inspergebatur. Solebant enim & locum exsecrare, & omnes qui in eo olim reparationem veterum ruinarum molirentur, Jos. VI. 26. Atque ut impressio aratri civitatem denotabat omnibus modis abolitam, esse jam *campos ubi Troja fuit*, in quibus

Semisepulta virum curvis feriuntur aratris
Ossa, ruinosas occulit herba domos,

Ovid.

Ovid. in Heroid. Epist. 1. quod dirum erat; sic *salis & sulphuris insperſio*, maledictum sterilitatis innuebat, de quo Deut. XXIX. 23. Zephan. II. 9. quod multo dirius. Grave, si urbs olim populosa, civibus & incolis frequentissima, in agrum arabilem, aut pascuum redigatur; sed illud procul dubio horribilius, si in salis aut sulphuris fodinas, ubi ne quidem herbula ulla possit germinare. *Omnis enim locus in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit in totum.* Plinius l. LXXI. cap. 7. Talis hodie *pentapolis*, olim Paradisus, nunc, ut canit Tertullianus,

Tota rogus regio est!
Nullus arat frustra picea fuligine glebas;
Nec mare vivit ibi! &c.

Addit solum nasci in eo mari - *bitumen - quod vividus ardor*
Subter stagna coquens, de sulphuris & salis æstu
Temperat, inque picem dat terra hærere marinam.

Sic ergo Deus ipse exsecrabili solo salem & sulphur insevit, ut in æternum sterilesceret.

SACRORUM ANALECTORUM

LIBER III. PHYSICUS,

CAP. I.

Lux Bona.

VIdit DEUS Lucem esse bonam, Gen. 1. 4.

Lux jubar æthereum, lux noctis limes & umbræ,
Lux facies rebus cunctis, & lux elementis,
Lux genitis factisque calor, lux gratia Solis,
Lux decus astrorum, lux aurea cornua Lunæ,
Lux fulgor cœli, lux & primordia mundi,
Lux splendor flammæ, lux magni temporis index,
Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris &c.

Dracontius Hispanus seculo post reparat. Salut. VI. in Hexaëm. Nota in vers. 3. pro, *Calor*, malim legere, *Color*: ut Prudent. Hymno 2.

Caligo terræ scinditur
Percussa Solis spiculo,
Rebusque jam color redit.

Deus mira providentia Chaos ipsum, ut Chaos non esset effecit: ejus membra discrevit, ratione disposuit, coloribus decoravit, determinavit mensura, officiisque competentibus servire præcepit, S. Zeno Veron. de Genesi serm. 1. *Quemadmodum pictorum pueri parietes ante dealbant, quam colorum flores ex arte inspergant; Sic Creator ille, mun-*

mundum exornaturus, luce prius quasi albario quodam Creaturæ suæ parietes voluit incrustare, Basilius Seleucienſ. Orat. 1. *Qui ædificium aliquod dignum habitaculo Patrisfamilias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, unde lucem ei infundat explorat: & ea prima est gratia, quæ si desit tota domus deformi horret inculta. Lux est quæ reliquos domus commendat ornatus*, Ambroſ. l. 1. Hexaëm. c. 9. Hinc illud veterum Græcorum, accenſo lumine, aut in menſas allato: Φῶς ἀγαθόν! Cœl. Rhodig. l. XV. Ant. Lect. 15. Sic *lucernæ Sabbathinæ* cum ſolenni benedictionis carmine apud Judæos accendi ſolent, miniſterio mulierum; cujus hanc ferunt rationem, *quod per fœminam lux vitæ extincta, per fœminam viro junctam iterum accendenda ſit*, Buxtorff. Synagogæ cap. X. Hinc in S. literis *lux & dies*, ἡμέρα, proſpera, nox & tenebræ infauſta omnia dicuntur: *Quicquid lætum ac hilarum est, merito* ἤμερον, *placidum appellatur: quod contrarium his, nox nominatur*, Cæſarius Frater Gregorii Nazianz. Dial. 1. Sic David cum dixiſſet: *Lux orta est juſto*; per epexegeſin addidit; *& rectis corde lætitia*, vide *Nazianz. Orat. 40. Pſalm. XCVI. 11.* Sic *Latinus Pacatus in Panegyr.* mihi metus eſt hanc gaudiorum præſentium *LUCEM* triſtium commemoratione fuſcare. Hinc *apud Onirocriticos*, Lux ſplendida egenis opulentiam, innuptis nuptias, & ægrotis ſanitatem dicitur ſignificare: obſcura vero triſtitiam, & ægrotis obitum, *Artemidorus l. II. cap. 9.*

Φωσὶ γὰρ εἰδῆν πράγματων δηλοῖ φάος,
Videre lumina, rebus affert lumina,

Aſtrampſychus in Onirocritic. Denique Lucem in Sole & ſideribus venerati & admirati gentiles, Divinis honoribus affecerunt, Job. XXXI. 36. ubi de adoratione Solis & Lunæ, & Amos V. 26. ubi *de Ciun*, qui & *Remphan*, ſtella ſive Saturni, ſive Luciferi, de qua Actor.

VII. 42. & suo forte loco, *ex commentario Latino in Amosum*, olim a me conscripto, nondum edito.

CAP. II.

Varius aceti usus ex S. literis.

ACeto, quod Hebræis חמץ *Chomez* quasi vinum fermentatum dicitur, variam vim usumque exinde non unum tribui in S. paginis reperio. Nam 1. Quia vim *in æstu refrigerandi* habet, eamque, ut Dioscorides docet, ἐυσυμαχικὴν militibus inprimis & messoribus in potu ac pro embammate fuit. Hinc castissima Rhuta a Boozo invitatur ad panem & acetum. cap. II. 14. ubi R. Salomon ait: *Acetum esse gratum in æstu*, quod Plinius ante: *Aceto summa vis est in refrigerando: Vim in balineis æstus arcet, si contineatur ore &c.* l. XXIII. cap. 1. *Chaldæus* tamen non in merum acetum panem suum messores Boozi intinxisse, sed in coctura quandam aceto coctam, censuit. Quam recte; non disputo: nam *acetariorum* quoque usum antiquissimum fuisse nemo abnuet. In potu quoque usitatum fuisse, prohibitio illa indicat, qua Nazaræis *aceto ex vino & Sicera* interdicitur. Num. VI. 3. ut & vino illo operario aut secundario, quod Græci *Deuterium*, Cato *Loram*, vocarunt, maceratis aqua vinaciis. Plin. l. XIV. cap. 10. id enim Hebræis illo in loco משרת ענבים *Mischrat chhanabhim maceratum uvarum.* Possit hinc scrupulus injici, rem hanc perfunctorie expendenti, quæ sententia sit Davidicæ in Persona Christi querelæ: *præbitum sibi in siti acetum.* Psalm. LXIX. 22. Nam si & usitatum fuit, & salubre, juxta illud:

Et potu & fotu stomacho conducit acetum.

quid queritur? An indignis se modis excipi, non secus ac calonem quemdam, aut lixam, aut mediastinum aliquem, vel etiam *comicum Regem?* qualis ille Plautinus fuit,

fuit, qui, vidulo reperto, postquam se regem somniasset, evigilans, *sed hic Rex*, inquit, *cum aceto pransurus est, & sale, sine bono pulmento.* Non credo delicatulam hanc querimoniam convenire ei, qui nullas voluptates sectabatur, qui servile schema sponte induerat. Id verius; quod in potu acetum fuit, id vel fuit ex aqua & aceto mistum, *posca* dicebatur, aut *oxycratum*; vel ita vocabatur *vinum vappescens* εἰς ὀξύνην μεταπεσὸν, quale triparci quidam Euciones bibunt, ut ille qui apud Horatium II. Satyr. 3.

— *positis intus Chii veterisque Falerni*
Mille cadis; nihil est: tercentum millibus: acre
Potat acetum: & mox:
Qui Vejentanum festis potate diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestu.

Et qui apud Persium Sat. IV.

Pannosam facem morientis sorbet aceti.

Quid *posca*, quid *oxycratum?* & an differant? quod *Bellonius* vult *l. II. observ. c. 98.* multis expendere non est hujus loci; *vide Stuk. Conv. Antiq. l. 1. cap. 21. D. Raineſii Var. Lect. l. III c. 9. &c.* Plinius cum aqua bibi exprimit, *l. cit. XXIII. cap. 1.* Nam merum, qui possit? præsertim quod ex optimo vino degeneravit, pessimumque evasit. Illudit igitur misero, qui esurienti sel porrigit, sitienti acidissimum acetum. Id sibi accidisse conqueritur Dominus ex ore Davidis, & quidem eo in loco, ubi vetustissimo de more fortia vina & myrrhata propinabantur miseris, ut præsentium malorum inducrent oblivionem, *de quo more Prov. XXXI. 6. Galatinus l. VIII. Arcan. Cath. Fidei cap. 19.* Sic nonnulli *vinum damnatorum* interpretantur, *Amos II. 8.* Nam ut progrediar, quia 2. *acetum vim habet discutiendi*, qua & per se hausum fastidia discutit, singultus cohibet, sternutamenta olfactu: conglobatum utique sanguinem discutit &c. *Pli-*

nius modo alleg. Odore solo in lipothymia fugientem animam refocillat: Eo ipso aspidum veneno obsistit: *Ab aspide calcata percussus, utrem aceti ferens, quoties deposuisset sentiebat ictum, alias illæso similis,* ait Plinius l. c. hinc non dubito morem fuisse, ut cruciariis sub patibulo præsto esset *vas aceti cum spongia, & bacillo aut calamo aliquo,* quo deficiens illorum spiritus subinde revocaretur: ne cita morte finirent supplicium, inter cetera vel ideo diriſſimum, quia tam lentum, ut malefici se mori sentirent. Qua de re *ex cap. XXVII. S. Matthæi* alibi. Certe ex cita morte Domini conjecturam fecisse Centurionem putat *Origenes,* aliquid in ipso homine majus esse. *Miraculum enim erat,* inquit, *quod post tres horas receptus est, qui forte biduum victurus esset in cruce, secundum consuetudinem eorum qui suspenduntur quidem, non autem percutiuntur,* &c. Ut adeo ossa in cruce frangi crudelis cujusdam misericordiæ fuerit. Denique 3. *acetum quoque vim habet resolvendi, incidendi, putrefaciendi.* Nota historia est de Cleopatræ cœna adjiciali, qua unionem ex aure pendulum, oxybapho tabefactum, absorpsit. Vulgatum; ova aceto macerata exteriorem putaminis callum adeo mollem & flexibilem acquirere, ut per annulum traduci possint. *Meminit Langius in Epist. Medicin. 33. lib. 2.* Quod *de Hannibale* addit per invias Alpium rupes Italiam ingressurum, *saxa igne accenso calefacta, aceti adspergine emolliisse,* proditum memoriæ est *a Livio l. XXXI. Plutarcho in Annibale, &c.* Alludit *Plinius,* cum de aceto historiam pertexens, *saxa,* inquit, *rumpit infusum, quæ non ruperit ignis antecedens.* l. cit. De eodem Juvenalis Satyr. 10.

Diducit scopulos, & montem rumpit aceto.

Fieri potuisse negat *Boxhornius in quæst. Rom. p. 119.* quod tot cautibus prosternendis, discutiendis, immensa opus fuerit aceti copia. Sed prævisum hoc historicis istis telum,

lum, *Rupem unam sic domitam* retulerunt. Quomodo *Dio l. XXXVI. pag. 8.* testatum reliquit *Eleutheræ urbis turrim quandam lateritiam aceti beneficio fuisse prostratam.* Fateor tamen *Polybium* artis hujus non meminisse, quantum recordor, quem *vide lib. III. cap. 10. circa fin.* Quin & *Silius* præteriit, & si Poëta *lib. III.* ubi de hac re — *rapidis accensus in orbem*

Excoquitur flammis scopulus, mox proruta ferro
Dat gemitum patiens resoluto pondere moles.

Ab hac vi aceti duo elegantissima apud Hebræos orta sunt Proverbia. Primum legimus *Proverb. cap. XX. 26.* Sicut *acetum dentibus, & fumus oculis; sic piger his, qui miserunt illum.* Notum enim, quod acetum stuporem dentibus inducat, tum penetrabili frigore suo, cum & acore, qua de causa & alia acida eandem vim habere solent, ut uvæ acerbæ, Ezech. XVIII. 2. & Jerem. XXXI. 29. Nihil autem molestius ignavo & perfido nuntio. Ac quanto negocium est gravius, quod ei demandatum; tanto & acerbior & damnosior ejus perfida cunctatio. Recte itaque monuit Symmachus: *Magnis negociis, ut magnis comœdiis, edecumatos apponendos esse actores.* Quod in Ecclesiasticis vel maxime observandum: ne, quibus id muneris datum, ignava pecora & fucos plebi Dominicæ præficiant; ut si quis — *floribus Austrum*

Perditus & liquidis immittat fontibus apros.

Hoc enim sunt *ejusmodi Ecclesiæ*, ut cum Cypriano loquar, *quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas*, ex orat. de Lapsis. *Sicut acetum dentibus & oculis fumus; sic perfidia hæreticorum est contraria bonis Doctoribus; quia contristat eos, & molestiam illis gignit & lachrymas*, ait in Prov. l. cit. *Salonius*, pulchre præmonens; *Prædicatores dici oculos, quia recta itinera prævident; & dentes, quia spiritualia alimenta fidelibus ministrare*

nistrare solent. Alterum Proverbium est. Prov. XXV. 20. ubi sic legitur: *Vestem removens in frigore, & acetum in nitro; sic qui carmina cantat cordi malo.* Sensum intricatum fecerunt dissona interpretum commentaria. Quid Hebræis sit נתר *Neter* non constat omnino, *vide D. Gesneri Epist. apud Lavater. in comm. h. l. Nitrum* tamen esse potior sententia est. Sed quale veterum nitrum fuerit, ne id quidem exploratum satis est. Quæ res movit D. Lutherum, ut *cretam*, rem notam pro ignota, pro *Neter* substituerit. Quicquid sit, *Musicam in luctu*, inque alia gravi perturbatione intempestivam rem esse, qua animi magis exacerbentur, quam mitigari soleant, indicare voluit Salomo. Non flectitur animus obstinatus precibus, blanditiis, fides commotionibus, ne *Sirenum quidem concordia:* insanescit magis ac perfurit, ut si quis in algore vestem detrahat frigore pene enecto; aut nitro affundat acetum, quod illud, cretæ, vivæque calcis, in morem respuat, & cum crepitu ebulliat, donec liquefactum tabescat. Hoc est quod dicitur: *Non esse canendas epodas, ubi vulnus secandum est.* Bene Gregorius Rom. in Ezech. hom. 9. *Acetum si in nitrum effundatur, efferveseit nitrum protinus & ebullit: sic & perversa mens, quando per increpationem corripitur, aut ei per prædicationis dulcedinem bona suadentur. De correptione enim fit deterior, & deinde in murmurationis iniquitatem succenditur, unde debuit ab iniquitate compesci.* Confer quæ de his habet *Zehner. in Adag. Sacris, Cent. 1. adag. 23. & 62.* ut & de posteriore *Franc. Vallesi. de S. Philosoph. c. 60.*

CAP. III.

Phœnicis ubi mentio in S. Literis?

FAbulosam esse hanc avem, aut potius hieroglyphicam, Senatus Naturæ Mystarum jam dudum consensit

sit & conscivit. Quanquam non absimilem in interiore India reperiri, cui *Semenda* nomen sit, quæ, ad Phœnicis prorsus morem, reparet seque ipsa reseminet, Cardanus recitet, assentiatur Scaliger. Nec id quicquam ad adstruendam veritatem ejus facit, quod S. pagina Phœnicis aliquando videatur meminisse. Multa in ea obvia sunt sacra symbola, multa ex sapientum veterum doctrinis & vulgi usu trita adagia. Quin & ad Phœnicum, Syrorum, Ægyptiorum fabulas ac parabolas non nuspiam manifesta allusio, quatenus istiusmodi veritatem aliquam externo figmenti cortice obvelant, similes Silenis Alcibiadis. Quæris, *ubi Phœnicis putem mentionem fieri in S. literis?* Non produco locum Psalm. XCII. 13. quem Tertullianus affirmatissime, ut avem hanc singulariam probet esse plenissimum atque firmissimum spei resurrectionis specimen: *Illum dico alitem Orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum, qui semetipsum lubenter funerans renovat, natali fine decedens, atque succedens iterum Phœnix. Ubi jam nemo, iterum ipse: qui non jam, alius idem. Quid expressius atque signatius in hanc causam, aut cui alii rei tale documentum? Deus etiam Scripturis suis:* Et florebit enim, *inquit*, velut Phœnix, *id est, de morte, de funere: uti credas de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse. Multis passeribus antistare nos Dominus pronunciavit; si non & Phœnicibus, nihil magnum: sed homines semel interibunt, avibus Arabiæ de resurrectione securis?* Tertull. de Carn. Res. cap. XIII. Sic ille *palmam* cum *Phœnice* confundens, etsi sponte sua errasse putem, argumento servientem, quod arboris hac in re eadem sit indoles, quæ & avis, si non ubivis terrarum, alicubi sane: *Una arbor in Chora esse traditur* [puto *Choara*, amœnissimo Parthiæ sinu, *Plin. VI. cap. 15.*] *mirumque de ea accepimus, cum Phœnice ave, quæ putatur ex hujus palmæ*

argumento nomen accepisse, emori ac renasci ex se ipsa, Plinius XIII. cap. 4. Ille merito Mureto se deridendum propinabat, qui *Phœnicis cerebrum*, quod apud Plutarchum legerat, de ave dictum intelligens, *inter gulæ irritamenta posuit*, Apiciis olim omni orbe, & ex omni elementorum censu pervestigata. Quod alii palmæ medullam & cor dixerunt, de quo alias, *vide Muret. Var. Lect. l. XIII. cap. 12.* & de palmæ cerebro *Rainesii Var. Lect. l. II. cap. 9.* Alius ergo Phœnicis quærendus est fundus. *Cornelius a Lapide* invenisse sibi visus est *in Malach cap. IV. 2.* ubi Deus: *Exorietur vobis*, inquit, *timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Putat allusum ad hanc avem, quæ Solis apud Ægyptios fuerit hieroglyphicum. Cogitatio suavis, sed caret tibicine, quo fulciatur. *Solis pennæ* sic dicuntur, ut *alæ auroræ*, Psalm. CXXXIX. 9. quibus ille sic orbem hunc fovet & amplectitur, ut Spiritus Sanctus aquas in Mundi Genesi, cap. I. 2. de quo Marius Victorinus in Carm. de Genesi

Et sacer extentis impendens Spiritus alis,
Altrices animabat aquas, dans semina rerum.

Quamquam & celeris vertiginis causa alæ Soli recte tribuantur, unde apud Poëtas

— volucres, Pyrois, Eous, & Æthon
Solis equi, quartusque Phlegon —

Quid ergo? Apud *Jobum Arabiæ Regem* Arabicæ avis consignatam non dubito memoriam. Sic ille: *Dicebam: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies*, cap. XXIX. 18. *Sicut palma*, inquit, φοίνιξ, *ubi avis* verti debuit: *Sicut Sabulum*, vertunt Hebraizantes quidam: sed vocabulum חול *Chol*, quod *arenam* alias significat, hoc ipso loco alius esse significationis Masora annotavit. Veteres Hebræi de ave acceperunt, quos secutus R. Salomon, Tigurini, Cajetanus. Nec video quid

obstet?

obstet? Beata & optanda mors est. 1. Quæ vitæ jam saturos excipit, - *quæ se non dulcibus annis ingerit:* 2. Qua quis domi in nidulo suo placide defungitur. 3. Cum spe beatæ resurrectionis. *Sicut avis illa nidum sibi faciens, in ipso post multa tempora a semetipsa dicitur concremari, & rursum de ejusdem nidi cineribus fertur intra breve tempus resurgere, quæ deinceps multis vivat temporibus,* sic Philippus Presbyter. in Jobum l. c. Accedit quod moritura vitam [illegible]ic inter dulcissimos modulos, qua de re *Sulpitius*, Lucanum morte dira præventum, ne Pharsaliæ ultimam imponeret manum, Cygno & Phœnici comparans:

Hæc cecinit vates, scripturus plura: sed illum
In medio cursu jussit mors dira silere.
Accidit, ut Cygno, qui fixus arundine, carmen
Mille modis querulum, quod cæperat, interrumpit:
Nec Phœnix aliter, cum se se imponit in altum
Quem struit ipse rogum, cantus dulcedine mira
Nondum perfectos plaudenti morte relinquit.

Resurrecturi itaque faciamus, cum mors appetet, quod Phœnix: *Facit sibi thecam de thure & myrrha & ceteris odoribus, in quam impleto vitæ suæ tempore intrat & moritur. Theca tua est fides, imple eam bonis virtutum odoribus, ea te amictum fide exitus vitæ hujus inveniat;* Ambrosius l. V. Hexaëm. Sic renascemur beati moriendo. Unde in Christianorum monumentis hæc avis crebro visitur; *Ravennæ* cum hoc Epitaphio:

Securus moritur qui scit se morte renasci,
Mors ea non dici sed nova vita potest.

Imago ergo Resurrectionis fuit, quæ nova regeneratio est, ut חול *Chul* aut *Chol* venuste dicta sit hæc avis *a parturiendo*, est enim

Ipsa sibi proles, suus & pater, & suus heres,
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.

Auctor

Auctor Carm. *de Phœnice.* Hinc Tertullianus:

Et renovata sua vivit fuligine Phœnix,

inter resurrectionis argumenta *de Judic. Dom.* Et Dracontius in Hexaëm. v. 475.

Phœnici exactam renovat Deus igne juventam
Combustusque senex tumulo procedit adultus,
Consumens dat membra rogus: sine sorte sepulchri.

CAP. IV.

Lothi Vxor in salariam statuam conversa.

CUm superioribus annis Sodomiticam historiam pro concione explicarem, quam 86. homiliis enarratam, si Deus annuat, aliquando piis recolendam dabo, tandem quoque de Lothi Uxore, ejusque miranda metamorphosi, dicendum fuit. Ac venere tum in mentem nonnulla exempla similium transformationum, ex quibus conjectura possimus colligere, quo illa modo in statuam salis transmutata sit? Miror celeberrimos Interpp. ut Pererium, Corn. a Lap. Pareum, quin & Selneccerum, Pelargum, &c. talia non attigisse; quod sive judicio factum interpreteris, sive oblivione, per me licet, ad rem tamen nonnihil visum erat facere, quorumdam meminisse. Atque *arbores* quidem *plantasque* lapidescere nemo adeo miratur. *Legumina* lapidea facta sæpe videmus, observatumque, in aquam salsam conjectas fabas, ut & pisa, & lentes in lapillos abiisse. Memini amico cuidam de genere hoc totam messem lapideam fuisse, *cujus victus vere*, ut jocatur Comicus, *scruposam commeabat viam, ut ad commolendum non calceatis tantum opus esset dentibus, sed & ferreis.* *Juncos lapideos* apud mare rubrum provenire, quos a veris nemo visu discernere possit;

Lau-

Laurum etiam & *oleam & thymum*, in sinu ejusdem maris, *Heroo* cognominato, lapidis specie reperiri, foliis, germinibus, thymum etiam flore ipso inchoato, viridibus similia, & alia refert ex gravissimis auctoribus, *Gesnerus de Fossilib. Matthiolus in Epist. 3.* visam a se, scribit, in montibus Bohemicis *abietem*, cujus truncus in rigidissimum saxum fuisset conversus. *Confer Mich. Piccart. Orat. de Lusib. Nat. & Agricolam VII. de Nat. Fossil.* Hæc, ut miracula omnia, videndi assiduitate vilescunt. Nec quod ex *Alberto M.* quidam repetunt, adeo urgeo, arboreum ramum cum nido & pullicie avium, non procul Lubecca, ad Litus Balthici sinus repertum, quæ omnia figura coloreque retentis, in lapidem quasi congelaverint. *Anno MCCCXLVIII. in Bavaria* rusticos cum vaccis suis, terræ motu & pestilenti aura correptos, in statuas salarias diriguisse, *ex Aventino annotavi in Symb. Theolog. num. CXLIII.* Cordæus Medicus *in Hippocrat. de Mulier.* & Gallicus Scriptor *Thesauri Supernat. ac Mirabil. Histor.* referunt in Burgundia vixisse *Columbam Chatry*, Ludovici Charitæi sartoris uxorem, quæ *repigrato*, ut cum Apulejo dicam, *fœtu & obsepto utero sarcinam prægnationis* totis XXVIII. annis gestaverit. Mortuæ & resectæ infans lapideus, durissimo quasi e marmore, exemtus est. Nec mirandum minus est, quod idem Gallicus auctor habet, non procul a civitate Aquensi anno MDLXXXIII. excisum esse e rupe *integri hominis lapidei Sceleton*, cujus ossa quidem e saxo friabili, at medullæ & cerebrum adeo dura fuerint, ut nec malleo cesserint, & admoto chalybe ignem ex iis elicere licuerit. Alia ejus generis *ex Marcelli Donati Medica Hist. Mirab. pag. 264. & toto libro Jac. Mokii de Caus. Concret. &c. vel de Aquar. affectib.* adferre poteram, sed supersedeo. Hoc unum *ex Bisselii Argonautic. American. l. XIV. cap. 2.* addo: Quo pacto Didacus Almagrus per gelidissima Alpium juga primus

primus e Peruvio in Chilam cum copiis suis penetraverit, cum retulisset; qua in expeditione frigoris immanitate & pestifera aura non paucos suorum amiserit; mox adjecit, non magnis rebus gestis reliquias exercitus sui eumdem reduxisse, & ibi, ubi stragem tantam frigus ventusque edidissent, rem comperisse inauditam. *Stabant adhuc equites peditesque, qui quinto ante mense obriguerant immoti, inconsumti, situ, forma, habitu, quo repentina pestis quemquam alligaverat. Alius pronus humi stratus, alius rectus: non nemo, tanquam asturconem urgens, videbatur inserta manibus frena quassare. Ad summam; invenit eos tales, quales reliquerat: odore nullo tetro, colore non solito funeribus; ac, nisi, quod anima dudum intercidisset, cetera spirantibus, quam extinctis, similiores.* Puto his historiæ miraculosæ de Lothi uxore lucem aliquam adferri, de qua alibi, si Deo visum erit, dicenda, hic mihi nolo præcipere.

CAP. V.

Anemologia Zachariana.

APud Zachariam *cap. VI. v. 14.* insignis pictura est quatuor ventorum cardinalium, in qua iis tribuuntur *1. quadrigæ. 2. æreæ claustra. 3. distincti equorum colores*, tam omnia venuste, ut nulla apud gentium Poëtas exstet similis, & satis appareat, unde pleræque eorum fabulæ de ventis haustæ sint? Ac *quadrigæ* quidem non modo celeritatem significant; qua de causa & alis instruuntur, ut apud Prophetas [vide Ose. IV. 19.] sic apud Poëtas: unde *Ælius Verus Imp. cursoribus suis exemplo Cupidinum frequenter alas apposuit, eosque ventorum nominibus vocitavit*, teste Spartiano: verum & ferociam ventorum, mutua certamina & tremendos conflictus, damnaque infanda, de quibus Sirac. XXXIX. 32. Ennii fragmentum:

Con-

Concurrunt veluti venti, cum ſpiritus Auſtri
Imbricitor, Aquiloque ſuo cum flamine contra,
Endo mari magno fluctus attollere certant:

Sunt enim quadrigæ illæ מרכבות *Marcabos* dictæ *currus falcati.* Hos Deus ipſe inter *æreos montes*, velut captivos coërcet; ventorum verus Theſaurarius; nam falſo dixere Poëtæ Æolum ταμίην ἀνέμων, qui

Luctantes ventos tempeſtatesque ſonoras
Imperio premat, ac vinclis & carcere frenet.

Sunt autem æreæ illæ portæ terræ cavernæ, objectu montium obſeratæ, quaſi ferreis vectibus. Dei theſauri Pſalm. CXXXV. 7. Jerem. X. 13.

--- motosque chalybs iterataque muris
Saxa domant Euros, ait Valer. Flacc. 1. v. 595. ubi habes chalybeos montes. Ex his volente Deo

Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Confer Coint. Smyrn. l. XIV. v. 474.

Sed *de coloribus* res obſcurior eſt. Tribuit ventis Propheta *equos*, quod Poëtæ imitati generoſos equos ex ventis natos finxerunt, iisque equos quoque addiderunt; Sed cur huic *rufos*, illi *nigros*, iſti *albos*, quarto *varios*, ſive *cinereos* tribuat, neſcio an facile explicarit quis? *Interpretes* colorum diverſitatem ad 4. Monarchias & earum conditionem; alii ad Angelorum effecta referunt: putant enim cum Theodoreto his Quadrigis ſignificari Angelos, pro Eccleſia ſollicitos, & ad varia munia deſtinatos. Veterum quidam ventos eſſe *Genios* crediderunt; Syneſius, fratrem iis commendans, ἀγαθὲς δαίμονας dixit. Epiſt. 55. Pro Diis habitos notum eſt. Sed corticem Prophetiæ hic expendo, non medullam. Romæ *ludi Circenſes Cereri & Neptuno* celebrati, de quibus *Alex. ab Alex. l. 5. c. 8.* Itaque primo *colores certantium duo tantum fuere: Praſinus terræ, Venetus mari dedicatus*, ut obſervat Iſidorus XVIII. Etym. cap. 33. *Oenomaus primus invenit Circenſium*

sium colores, quibus terræ ac maris certamen repræsentavit, Mittebantur sortes, quem vero contigisset terræ vicem agere certando, ille vestem viridem induebat: cæruleam autem, qui vices maris agebat. Si viridis vicisset, terræ fertilitatem omnes sperabant: si cæruleus, tranquillam maris navigationem. Quare agricolæ optabant victoriam viridi colori; nautæ cæruleo. Hæc Corn. a Lap. in Zach. ex antiq. collectan. Vatican. Postea factiones aurigarum & colores fuerunt *quatuor*, quos versu uno Sidonius Apollinaris complexus est,

Albus, & Venetus, virens, rubensque.

Prasinus virenti verno, Venetus nubilæ hyemi, roseus æstati flammeæ, albus pruinoso autumno dicatus est, ait Cassiodorus III. Var. Epist. 51. aliter Tertullian. de Spectac. cap. 9. *Colores duos primitus fuisse album hiemi, ob nives candidas; russeum æstati ob solis ruborem, votos; fuisse autem ab aliis russeum Marti, album Zephyro consecratum: Additos Prasinum Terræ matri vel verno; Venetum, cœlo, mari vel autumno* &c. Innuit ergo & ventis colores istos dedicatos. Certe Poëtæ singulis proprias easque diversicolores alas tribuere solent: *Noto madidas* Ovid. 1. Metam. *Zephyro-madidantes nectare* Claudian. l. II. Raptus. *Quaque volat*, inquit, *vernus sequitur color*: Sic *Coro fuscas, Boreæ nigrantes, Vulturno stridentes* &c. Auster Statio - *niger imbribus*, &c. Propheta, si versum 6. expendas, videtur nigros equos vendicare *Austro*, a meridie eunti in septentrionem; albos *Zephyro*; Venetos aut cinereos *Aquiloni*; *Euro* sudorifero, quem ventum urentem Scriptura vocat, rufos; qui & a Valerio Flacco dicitur,

Hispidus & multa flavus caput Eurus arena,

unde & a Physicis choleræ comparatur. Refer hic Coripp. l. 1. c. XVII. de Justino Imp.

CAP.

CAP. VI.

Hirundinum Hiberna, amicitia infida.

TUrtur & hirundo & ciconia custodiunt tempus adventus sui, Jer. VIII. 7. Fuit ante annos viginti amicus quidam meus, qui edito commentariolo serio visus est affirmare, *Hirundines abvolare in Indiam*: Argumento lepidæ historiæ, quæ sic habet: Monachus quidam in cella sua hospitem habebat hirundinem per aliquot annos. Cum sub hiemem semper abvolaret, incidit ei cogitatio, explorare ne posset, quo se interim deportaret? Schedulam captæ pedi affixit, in qua scripserat: *ubi hiemasti?* Redux aliam proximo vere retulit, in qua hæc legebantur: *In India in domo sutoris.* Rem ita gestam dejerabat, testis ἐκ Διὸς δέλτους. Ac possum ejus sententiæ assecias dare ex antiquitate. Archiæ Epigramma scitum est:

Quæ terras lustras, Progne, & circumflua Ponto,
Medeæ in picta nidificas tabula?
Anne tuis fidam speras fore Colchida pullis,
Quæ propriæ haud potuit parcere progenii?

Sic obiter ex Græco verti. *Anacreon* pressius & magis ad rem, quem & Latine canentem induco:

Tu dulcis o Hirundo
Æstate nos revisis,
Æstate nidularis;
Hieme abvolas ad urbem
Memphim, petisve Nilum.
At semper heu Cupido
Hoc corde nidulatur.

Nec videtur Jeremias aliud indicare, cum hirundinem

inter eas recensuit, aves, quas longinqua petere extra dubietatis aleam est.

Strymona sic gelidum bruma pellente relinquunt
Poturæ te, Nile, grues! Lucan. l. 5.

Eædem sub æstatem Ægyptum deserunt propter æstum, Max. Tyrius Dissert. XL. Res in Poëtarum scriptis tritissima. *Vide Barthium in Claudiani Eutrop. p. 1297.* Itaque hirundo *ollaris amicitiæ* imago. *Ut hirundines æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt:* Ita *falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt, simulatque hyemem fortunæ viderint, devolant omnes*, Cicero aut Cornif. ad Herenn. lib. IV. Adde, quod tacitæ avolant, garrulæ redeunt. Ita minus fidei est, quibus plus verborum. Exemplo potest esse S. Petri in promittendo temeritas, in exhibendo levitas. *Qui in castris leones, in prælio sunt fere lepores.* Vetuit itaque Pythagoras *hirundines sub tecto habere.* Et in auguriis inauspicatæ habitæ fuerunt. *Hirundines cum in Antiochi Syriæ Regis tabernaculo ante prælium nidum feciſſent, paullo post Rex ille a Parthis occisus est*, Julius obseq. de Prodig. cap. LXXXVII. alia vide *apud Alex. ab Alex. Gen. Dier. l. 5. c. 14.* Calculum tamen meum suspendo, veritati daturus statim.

CAP. VII.

Hirundo Resurrectionis Symbolum.

VEriſſimum est quod Plinius dixit *hirundines in vicina abire, apricos secutas montium recessus, inventasque ibi nudas & implumes*, lib. X. cap. 24. Passim in altissimarum turrium foraminibus reperiri semimortuas constat. Et testatur *Michael Neander* hic Spiræ anno MDXLV. *Doctorem Hukelium* Fisci Procuratorem in ædibus soceri *Walsburgii* reperisse ingentem inter se conglobatarum hirundinum numerum, quæ in vaporarium delatæ

delatæ revixerint, *Syllog. Phyſ. pag.* 433. Unde Calvaſtri pictura illa apud Claudian. 1. in Eutropium.

——— *deſerta patebant*
Intervalla comæ: qualis ſitientibus arvis
Arida jejunæ ſeges interlucet ariſtæ:
Vel qualis, gelidis pluma labente pruinis
Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.

Sed & in lacus aut piſcinas alicubi ſe illatebrare compertum eſt, irriti laboris omen piſcatoribus, ſi retibus forte extrahantur, ut Neander probat, *de quo & Lauremb. l. III. Acerræ Philolog.* Elegantes Jambos *Georgii Piſidæ ex Coſmurgia* ipſius lubet apponere, nova mea verſione, ubi Morelli viſa fuit obſcurior, interpolatos, ſic autem ille verſu 1289. & ſeqq.

Unde autem Hirundo cæca, ademto lumine,
Oculata deinde prodit intra tres dies?
Herbæ exprimens in pupulas ſuccum unicæ,
Non invenuſte quam Chelidoniam jubent
Sapientiæ priſcæ vocare præſules,
Ex re tenentem dignitatem nominis.
Æſtate cantillans, lyram modulis refert.
Bruma reducta premitur, & ſubducitur,
Ingq; arboris ſibi fabricat trunco domum,
Ubi faſciis latet involuta ligneis,
Veſtiſq; tegmen exuit plumatilis,
Idemque vere mox redinduit novum,
Velut ex ſuo redux ſepulchro mortuus.
Nam ver novæ vitæ dat illi exordium:
Tum multa tota clamat & garrit die,
Sermonis uſus ſi quis eſt volucribus,
Diſcas, homo, fidem reviviſcentiæ,
Videns loquacem de ſepulchro hirundinem.

CAP. VIII.

Hirundinum in abitu & reditu prudentia.

QUam justa sit Dei de impudentia & imprudentia populi sui querimonia, quod ne id quidem tot beneficiis provocatus, tot incitatus Prophetarum monitis, facere animum inducat suum, quod naturæ ductu observant hirundines, paucis illustrare visum est. Primum cum hiems ingruit tacitæ discedunt, & latibula sua petunt, vel in arborum cavis, vel in montium aut turrium foraminibus. Merito itaque optat sibi Gregorius Nazianz. carm. de vitæ vanit. non tantum cum Davide Psalm. LV. 7. *columbæ, sed & hirundinis alas.* Versus, ut olim ad verbum reddidi, sic habent:

O si pura columba forem, si tristis hirundo!
Tot varia infidæ fugerem discrimina lucis,
Atque inter cava quadrupedum, nemorosa ferarum,
Hoc ævi colerem, quodcunque est. Punica nobis
Et subtesta fides, illarum sæpe probata est.

Quid tutius quam in hieme tentationum, aut adversitatum, ne mussantem quidem, se recipere in Dei sinum, *in foramina petræ?* Deinde tempus reditus exacte observant hirundines: renatisque plumis & pennis revertuntur vocales. Laudo *prudentiam gruum*, sed *hirundinum* admiror *pietatem. Linquentes orientem grues ob calorem, plagamque petentes occiduam, quum montem penetrare cœperint Taurum, aquilis abundantem, timentes fortissimas volucres, rosta lapillis occludunt, ne eis eliciat vel necessitas extrema clangorem: iisdemque collibus agiliore volatu transcursis projiciunt calculos, atque ita securius pergunt:* ut refert Ammianus Marcellin. l. XVIII. hist.

Ita,

Ita, inquit, *animalia ratione carentia salutem suam interdum alto tueri silentio solent.* Quod & David aliquando fecit, unde se *columbæ mutæ* comparavit Psalm. LVI. 1. Sed hirundines faciunt, quod de piis idem cecinit Psalm. CXXVI. 6. Quomodo Israelitæ ex captivitate Babylonica *cum jubilo & hymnis reversi sunt in patriam*, Baruch. cap. IV. & V. alia differo.

CAP. IX.

Prudentia Piscium.

FAcit ad rem locus elegantissimus *Ambrosii*: Sunt aliqua genera piscium, qui non ingenii facilitate loca mutent, sed fovendi partus necessitate, quam opportuno & legitimo procurantes tempore, ex plurimis locis, a diverso sinu maris, innumeri velut communi consilio convenientes, conjuncto agmine Aquilonis flatus petunt, & ad illud septentrionalium mare partium quadam naturæ lege contendunt Dicas, si adscendentes videas, *rheuma quoddam* esse ita proruunt, fluctusque intersecant, per Propontidem in Euxinum Pontum violento impetu profluentes. Quis piscibus hæc annunciat loca, præcepta, tempora? Quis tribuit *dispositionem viandi*, comitandi ordinem, metas & tempora revertendi? Homines suum Imperatorem habent, cujus exspectatur imperium, *procedit tessera, proponuntur edicta provincialibus ut conveniant, tribunis militum literæ diriguntur*, dies statuitur, & plerique *ad dies statutos occurrere non* queunt: Quis Imperator piscibus præceptum dedit? Quis Doctor hanc tribuit disciplinam? Qui *metatores* itinera disponnnt? &c. Sed agnosco quis sit ille Imperator, qui ordinatione divina sensibus universorum suum infundat imperium, qui tacitus mutis animantibus naturalis disciplinæ ordinem tribuat, nec solum magna penetret, sed etiam per mi-

nima quæque se fundat. *Divinæ legi piscis obsequitur, & homines contradicunt? Piscis solenniter obaudit mandata cœlestia & homines irrita faciunt DEI præcepta?* Attexit suavissimis & politissimis verbis Ambrosius rationem, quare æstatis tempore pisces Pontum petant? 1. Quod æstus temperet solennis illic flatus Aquilonis. 2. unde & sinus iste reliquo mari dulcior sit: eo quod Sol illi non tamdiu immoretur, ut omnem aquam dulcem & potabilem exhauriat: 3. qua causa & pisces eum opportuniorem ceteris judicent, in quo generare & partus possint proprios enutrire: Denique peracto munere omnes simul eo quo venerant agmine reverti. Nam pisces, inquit, tanquam arbitri fluentorum æstate illic adspirantis auræ clementiam captare consueverunt, cujus amœnitate perfruiti, rursus hiemis aspera declinare contendunt, & septentrionalis plagæ sæva fugientes in reliquos se sinus conferunt, in quibus aut ventorum mollior sit placiditas, aut solis soleat vernare temperies. Novit ergo piscis pariendi tempus, quod pro magno mysterio dixit Salomon in Sapientia, novit tempus eundi, atque redeundi, novit tempus perfunctionis & jactationis, & novit, ut non queat falli: *quia non rationis æstimatione, & disputationis argumento utitur, sed inspiratione naturæ, quæ vera est magistra pietatis.* l. V. Hexaëm. cap. 10.

CAP. X.

Ciconiarum Prudentia.

DE ea venustum est *P. Syri* illud, quod in Petronii Satyrico legitur:

Ciconia etiam grata, peregrina hospita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria,
Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.

Repre-

Reprehendit Romanam luxuriam, cujus ingenio, quod consuetas fastidit, novis semper inhiat voluptatibus, nuper esset inventum, *ut ciconiæ in mensas venirent, magisque placerent quam grues*, ut habet Plinius ex Cornelii Nepotis testimonio, l. X. cap. 23.

Tutus erat Rhombus, tutoque ciconia nido
Donec vos auctor docuit Prætorius ---

Horatius l. II. Satyr. 2. *Asellius quidam Prætor fuit, qui usum comedendarum ciconiarum primus invenit: alii Sempronium Prætorem volunt*, ait ibi Acron. Dalechampius in Plinii loc. cit. veteres allegat Scazontas:

Ciconiarum Rufus iste [quod Sempronii agnomen] *conditor*
Quanquam est duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit septem:
Ciconiarum populus ultus est mortem.

Religione quadam prohibitum prius credo, ne quis ciconiam tangeret: Vel quia serpentes occideret, qua causa Thessaliæ lex fuit, ut in exilium abiret, si quis ciconiam interficeret, *Plutarch. de Iside & Osiride*: vel quia pietatem eximiam quandam erga parentes exemplo doceret. Unde ἀντιπελαργᾶν est apud Græcos gratiam referre, apud Suidam. &c. Et avium lex illa in tabulis ciconiarum scripta: δεῖ τὰς νεοττὰς τὸν πατέρα πάλιν τρέφειν *pulli parentes ut vicissim nutriant*, Apud Aristophan. in Avibus. *Aves enim hæ*, ut dicit Ambrosius l. V. Hexaëm. *non erubescunt reverendi senis membra portare. Est enim vectura pietatis. Quod eo usque frequenti testificatione percrebuit, ut congruæ mercedem remunerationis invenerit. Nam Romanorum usu* Pia Avis *vocatur, &c.* Itaque Ægyptii pingebant ciconiam, cum φιλοπάτορα ἄνθρωπον vellent significare, *Horus l. II. Hieroglyph. cap. 58.* In nummis Hadriani visitur *Ciconia*, cum epigrammate: *Pietas Augusta*, & in Regum

Ægyptiorum sceptris stabat *caput Ciconiæ*, pietatis patrocinium insinuans: *pes Hippopotami* ad manubrium erat, officii admonens: nempe Regium esse

Parcere subjectis & debellare superbos.

Hæc apud *Pier. Valerian. l. XVI. Hieroglyph.* Denique Alexander Myndius ob pietatem ciconias in quasdam Oceani insulas abvolare, & in homines mutari affirmavit. Sed de prudentia, quam sermo Propheticus intimabat *loc. cit.* dicere occœperam. Accipe igitur:

CAP. XI.

De eadem.

QUamlibet rationali meminisse commune sit, unde non absque vero dicitur: in memoria esse hominis pecudisque confinium: Nam & nidos ciconiæ atque hirundines post annum revisunt, & equi stabula repetunt, & canes Dominos recognoscunt, &c. Claudian. Mamercus de statu Animæ l. I. cap. 21. Meminit ergo Ciconia veteris hospitii, nec hospiti ingrata vult vivere, qua de re alibi & apud *D. Franz. Hist. Animal.* & obliviscatur adeo homo reverti ad Deum suum? Hinc *titulus tepidi temporis, veris nuncia & index.* Unde illa periphrasis veris:

Optima vinetis satio est, cum vere rubenti
Candida venit avis longis invisa colubris,

Virgil. II. Georg. Et Sidonii Apollinaris illud: *Destinas illic usque ad adventum hirundineum vel ciconinum Jani Numæque ninguidos menses transmittere*, l. II. Epist. 14. Facit ad rem locus *Cassiodori* l. II. variar. Epist. 14. *Ciconia redeuntis anni jugiter nunciatrix, ejiciens tristitiam hiemis, lætitiam verni temporis introducens, magnum pietatis tradit exemplum. Nam cum parentes earum pennas senio coquente laxaverint, nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inveniri, plumis suis genitorum*

rum membra frigida refoventes, escis corpora lassa reficiunt: & donec in pristinum vigorem alis grandæva redierit, pia vicissitudine juvenes reddunt, quod a parentibus parvuli susceperunt. Et ideo non immerito longæ vita servantur, qui pietatis officia non relinquunt. Præfatus erat: *Ferarum catuli sequuntur parentes: a cespite suo virgulta non discrepant: propago vitis propriæ servit origini, & discrepat homo a suo fusus initio?* Habes exemplum & Quarti Præcepti & Primi: Potes & illustrare hinc illud Esaiæ: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit?* cap. I. v. 3. *Officia etiam feræ sentiunt. Nec ullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora a magistris impune tractantur. Elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus,* Seneca I. de Benefic. cap. 3. Quid dicam? *In terra præcipuum animal homines sumus. Quamquam plerique se incuria disciplinæ, ita omnibus erroribus depravarunt, ac piacularibus sceleribus præbuerunt, & prope exesa mansuetudine generis sui immane efferarunt, ut possit videri nullum animal in terris homine postremius,* Apulejus de Deo Socrat. Eloquar? an fileam? Canes furiosi minus rabiunt, equi, boves, asini magis sapiunt. Exponam paucis:

CAP. XII.

Canum Rabidorum Obedientia, Galbæ judicium.

MIrum & incredibile dictu est, quod refert *Schenkius l. VII. observ. Medic. cap. 61. pag. 126.* Canes etiam in rabiem actos non modo agnoscere Dominos suos, & iis parcere, sed & jussos mortem oppetere, antequam furor

ror omnem modum excesserit. Nam evenisse, ut ad herile imperium in aquas se præcipitarint, & suffocarint, quod prodidit *Nicolaus Florentinus*. Proh cœli pudor! & vinci adeo se patiatur homo? *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Malach. I. 6. Adde quod de Caspiis gentibus & nationibus habet *Valer. Flaccus l. VI. Argonaut.*

—— Quis turba canum non segnius acres
Exilit ad lituos, pugnasque capescit heriles:
Inde etiam par mortis honos, tumulisque recepti
Inter avos positusque virum.

Noverunt jumenta *præsepia Dominorum suorum*, Esa. I. 3. Quod ex nostris moribus, ait, melius intelligi posse, *Flacius p. II. Clavis Tract. 6. de Necessit. Cognit.* ubi reversis gregibus ex pascuis, quæque suas repetunt domos animalia, etiam in frequentissimis civitatibus, ubi homines etiam viarum labyrinthis sæpe decipiuntur. Lepido id judicio comprobavit *Galba Imper.* Nam *cum de proprietate jumenti quæreretur, levibus utriusque argumentis & testibus, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto; atque ibidem revelato ejus esset ad quem sponte se a potu recepisset*, Suetonius cap. VII. vitæ. Clemens Alex. *in Protrep.* Gentes ad pœnitentiam exhortatur *ex h. l.* præmittens ista, quæ ad rem faciunt: *Canes jam aberrantes, ὀδμαῖς ἐινηλατοῦντες, Dominos investigant. Equi etiam excusso sessore ἑνὶπτῳ συρίγματι unico poppysmate parent Domino. Nos neque verbis duci, neque beneficiis flecti, neque pœnis frangi nos patimur.* Jumenta ac pecudes sectione curantur: Et putrefacta mulorum, asinorum, porcorum viscera cum adusta cauteriis fuerint, munus medicæ adustionis agnoscunt, statimque ubi aut cremata aut desecta fuerit vitiatorum corporum labes, in locum demortuæ carnis viva succedit: Nos & uri-

urimur & secamur; sed nec ferri defectione, nec cauteriorum adustione sanamur; immo quod est gravius, cura ipsa deteriores sumus. *Salvian. l. VII. de Gubern. Dei in princ.*

CAP. XIII.

Hirundines & Ciconiæ ubi nidulentur?

NOndum possum pias has aves manu mittere. Sunt in sacris literis, quæ ad hunc scopum, quem præfixi mihi, tendant. Locus est in Psalm. LXXXIV. 4. *Passer invenit sibi domum*, & דרור *Deror nidum sibi, ubi ponat pullos suos, altaria tua, Domine virtutum.* Pro *Deror* Græci & Vulgatus legunt *turturem.* Sed præterquam quod Turtur a voce sua *Thor* Hebræis dicitur, obstat ratio nidificandi ad altare Domini in ipso sanctuario. Itaque *hirundinem* recte vertit *D. Lutherus* secutus Hebræos, quæ & alibi hoc nomine jungitur passeri, tanquam avis urbana, quotidie præter oculos nostros obvolans, Proverb. XXVI. 2. De Etymologia post dicam. Apud Jeremiam tamen alio nomine dicitur, עגור *Hagur, a garriendo*, unde ab Anacreonte λάλη dicitur, ut a Virgilio *arguta & garrula*, l. cit. cap. 8. Sensum verborum Davidicorum eleganter expressit Mollerus: *Confert*, inquit, *David conditionem suam cum aviculis, quibus liberior sit accessus ad Templum & ad altaria Domini, quam sibi: imo quibus pullos suos excludere juxta altaria Domini concedatur, nemine id prohibente, vel eas arcente*; Ad illustrandum aptissimus est *apud Euripidem* locus *in Jone, post princ.* Primo optat sibi Jon perenne in Apollinis æde ministerium: Verba sic fere habent:

Quis

Quis tribuat mihi, Phœbo
Servire ut nunquam ceſſem?
Aut ceſſem placido tandem obitu:

Deinde aves ſacra anathemata polluentes ex officio æditui arcet, confer Gen. XV. 11. Denique hirundinem inter alias compellat:

Tu quoque quid vis hoſpita volucris?
An pullis nidum e paleis
Vis ſuſpendere ſub tecto?
Arcebit te reſonans arcus.
Non pares: procul hinc Alphæi
Ad ripas pullos exclude, aut
Nemus Iſthmium.

Addit tamen religione ſe vetari, ne alites interficiat, oſcines,

Τὰς θεῶν ἀγγέλουσας φήμας θνατοῖς,

Quæ garritu, aut præpetis omine pennæ Deorum decreta mortalibus enuncient. Habes novum pietatis argumentum, quod hirundo in Templis iſtis nidum conſtruere & παιδοτροφεῖν ſoleat, quo vocabulo hic utitur Euripides. Sed *ubi Ciconia? Abietes domus ejus, arbores Jehovæ*, id eſt, excelſæ & eximiæ, Pſalm. CIV. 16. ut eſt in fontibus. Nam vulgatus valde diſcrepat. *Cur abietes?* ſic ſolet ea avis ubi tecta ædium plana & humilia, arbores ſibi deligere, ut in Helvetiis Alpibus. alias

Gloterat immenſo de turre Ciconia roſtro,

Vide *Erhardi Symbol. in Petron. Satyr. pag. 627.* De Tectis in Judæa alibi, vide nunc Joſuæ II. 6. Matth. X. 27.

CAP.

CAP. XIV.

Hirundo cur Hebræis Deror *dicta?*

Significat ea vox *Avem Libertatis*, id est, liberam: venuste, quia libertatem adeo sectatur, ut citius emoriatur, quam in cavea servitutem obeat clausa: & quia inter homines vagatur libere, insidiarum expers, ut habet *clarissimus Interpres nuperus Dn. Gejerus, in Proverb. XXVI. 2.* Hanc posteriorem rationem notationis intimabat *David, & Euripidis Jon.* Certe impietatis fere reus fuit *Bessus*, dejecto hasta sua hirundinum nido, pullisque conculcatis, quæ insolentia meritam patricidii pœnam, licet seram, ei attraxit, *historia ex Plutarcho de sera Num. vind. notissima est.* Vetus superstitio adhuc hæret animis hominum, ut nemo libenter hirundinem lædat, sive quia insectis muscis & araneis infensa est, sive *Xenii* quasi *Jovis* reverentia, quia in hominum sinum confugit. Fabella de ea re exstat elegans, quam versibus olim redditam in gratiam juventutis non gravabor adscribere: Ea sic habet:

Lina serebantur damnosa nitentibus arvis,
Cum Progne socias cauta monebat aves:
Semina pennigeri pessum hæc date noxia patres,
Semina, quod nolint fata, datura necem.
Maxima de minimis venere pericula causis,
Sæpe mali exiguo fluxit ab amne mare:
Vix super infuso vincas incendia Ponto,
Paulla confutes quæ modo nata trua:
Hæc exsurdatas frustra jactabat ad aures,
Et linum interea parturit omnis ager.
Non tamen illa minus stupidis instare futuri
Præsaga & generis damna cavere sui:

Irrita

Irrita sed celeres rapiebant omnia venti,
Ad tumuli surdas flebat hirundo fores.
Ergo igitur deinceps nidos suspendit in urbe,
Hospitiique latet non violanda fide.
Stultæ consilii contemtum, & linea sero
Retia deceptæ nunc lacrymantur aves.
Sp[illegible]nax consilii ad noxam pede currit utroque
Et magno discit cautior esse malo.

Hinc ortum reor proverbium: πύθι χελιδόνος, *Audi hirundinem!*

CAP. XV.

Matrem cum pullis capere vetitum.

LEx est Deuter. XXII. 6. cum magna promissione; *ut bene sit tibi, & longo vivas tempore!* O mitem & clementem creatorem! Sic sæpe homines humanitatis admonuit, præstandæ vel animalibus brutis, ut quid quisque suo sanguini deberet, inde disceret: vel, ut Tertullianus dixit, *quo facilius in pecudib. præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur*, l. II. adv. Marcion. cap. 17. vide Proverb. XII. 10. Nec alia causa puto Priscos suis persuasisse, ut hirundines haberentur ἄσυλοι, & quasi sacrosanctæ. Athenienſium hic amplector judicia. *Fugiens Accipitrem Struthio, in Areopago uni Areopagitarum in sinum decidit. Ille perfugam cum servare debuisset, interfecit. Senatus impietatis condemnavit, deditque pœnas, non quia læserat passerculum, sed quia crudelem animum præ se tulit. Praxiteles quidam arietem vivum excoriavit, illi facinus exsecrati, fustuario ulti sunt, quod homo crudelis novam cruciatus rationem excogitasset.* Hæc *Helladius in Chrestomathia, l. IV.* Sic *Areopagitæ puerum damnaverunt cornicum oculos eruentem, judicantes id signum esse pernicioſissimæ mentis, multisque*

tisque malo futuræ, si adolevisset, Quintilian. l. V. Instit. cap. 9. Simile Carthaginensium judicium fuit, quamvis ex alio profectum fonte. *Juvenis quidam catulum leonis, vix dum a lacte depulsum, venatus, degeneri educatione ita cicuraverat, ut velut asellum clitellis impositis, aut plaustro junctum per mediam urbem ageret. Ille quasi legum violatarum reus morti addictus est, quod conditione esset privatus, & Tyrannus ingenio*, Max. Tyrius Dissert. 32. de Bono Voluptat. *de quo Gesner. in Hist. Quadr.* Plin. VIII. c. 16. &c. *Magnum est, ut Aristoteles scribit, in primordio puerili, quemadmodum quis incipiat*, Varro in Catone - *a teneris adsuescere multum est.* Virgil. *Frangas citius quam corrigas, quæ in pravum indurverunt*, Quintilian. l. 1. cap. 3. confer Prov. XX. 11. & XXII. 6.

CAP. XVI.

Animalia fera cicurantur.

INgenio humano & arte: Quintus Calaber l. V. v. 247.

Arte feras venatores domuere leænas,
Pantherasque aprosque & cetera secla ferarum;

Lege cetera *ibid.* quantum arte & industria efficiatur, quod nullis viribus possit fieri. Sic *Gregor. Nazianz. in Præcept. ad Virgin.* multa præfatus de Artis effectibus, hæc ad rem inserit, Interprete Billio:

—— liquidumque per aëra fertur
Ursa, sedensque velut gravis ad subsellia judex
Juris, ut apparet, rectissima pondera librat
Anteriore pede, & simulat fera bellua mentem,
Arsque hominum docuit, quod ei natura negarat.
Quin etiam hærentem spectavi sæpe leonis
Dorso hominem, sævamque feram manus una domabat:
Ille quidem aurigæ ritu tractabat habenas,

At

At fera pestiferum linquens asperrima flatum
Parebat, Dominumque suum mulcebat amice.

Plura ibidem, & *de Elephantis* quædam vulgata. De Pori & aliis Indorum elephantis *vide Curtium l. VIII. sub finem*, solitis in genua ad regentis imperium procumbere, tuerique Dominos excussos forte in prælio, ac corpora eorum dorso rursus suo imponere. *Idem l. IX. cap. 8.* refert inter dona Indorum Alexandro missa fuisse leones & tigres, utrumque animal ad mansuetudinem domitum. Apud Martialem - *picto juga delicata collo pardus sustinet, & lepus canes vitaturus*

Ad quæ confugiat ora leonis habet.

Elephantos lychnuchos gestantes, habet Suetonius in Jul. Cæs. cap. 37. *Funambulos in Galba*, cap. 6. *Ursas & Equos per extentum funem ambulantes*, Nazianzen. loc. cit. Quodque ad rem magis est, *Leones jugo subdere & ad currum jungere primus ausus M. Antonius, non sine quodam ostento temporum, generosos spiritus jugum subire, illo prodigio significante*, Plinius l. VIII. cap. 16. *Tigres, Elephantos, cervos eodem modo domitos Triumphantes vexisse*, lege apud Alex. ab Alex. l. VI. cap. 6. & ibid. Tiraquell. *Ergo omnis natura bestiarum humana indole domatur, linguam autem nullus hominum domare potest*, Jac. III. 7.

CAP. XVII.

Animalia in Paradiso mansueta.

Erant illic variorum animalium spectacula, omnia mansueta, homini obedientia, inter se pacifice & concorditer viventia, Basilius de Paradiso, addit ea *inter se audisse & loquuta esse sensate*, de quo alias. Post peccatum furere demum cœpere;

Inde truces sævire feræ, dudumque timentes

Exci-

Excitat ad pugnam tunc primum conscia virtus,
Reddit & armatas unguis, dens, ungula, cornu.

Alcimus Avitus l. III. v. 338. Sic in Ecclesia, novo Paradiso. *Habitabit lupus cum agno, & Pardus cum hœdo accubabit, &c.* Esa. XI. 6. Quod vaticinium *in Sibyllinis* legitur, ut hypobolimæa esse, vel hinc constare liquido possit.

Cumque Lupis agni per montes gramina carpent,
Permixtique simul pardi pascentur & hœdi,
Cum vitulis ursi degent, armenta sequentes,
Carnivorusque leo præsepia carpet uti bos,
Et pueri infantes colubros in vincula mittent.

Sic *lib. III. Carm. Sibyll. interpr. Castilione: vide in Esaj. Hieronym.* Sic *in Elymæa Adonidis Templum est, in quo leones cicures advenientibus adulantur, & ad sacras epulas accedentes offulam emendicant,* vide ejus generis multa *apud Gesnerum de Leon.* quæ non vacat exscribere. Nota sunt de aureo Saturni & argenteo Jovis seculo Poëtarum carmina, ut illa: *Occidet & serpens, &c: Ille* [Jupiter] *malum virus serpentibus addidit atris, prædarique lupos jussit*, &c. Nempe Pastor ille humani generis ita solet feras mentes μεταμορφῶν εἰς ἀνθρώπους ἡμέρους, quomodo *pastores aliquando catulos leonum* mansuefecerunt. Sic in certamine Musico Nyctilus & Alcon pignora deposuerunt: Hic - *hœdos juncta matre dedit: catulum dedit ille leænæ juravitque genus*, Calpurnius Eclog. 6. v. 4.

CAP. XVIII.

Animalia cladis præsaga.

CUm extremam terris nationibusque vastitatem minatur Deus, inter alia quoque intimare solet, se *ipsas quoque bestias agrestes, volucres cœli, marisque pisces ablaturum*, Ose. IV. 3. Zephan. I. 2. *Cum captivitas decem*

Tribuum venerit, habitatore sublato, bestiæ quoque & volucres cœli, & pisces maris deficient, iramque Dei etiam muta elementa sentient. Hoc qui non credit accidisse populo Israel, cernat Illyricum, cernat Thracias, Macedoniam, atque Pannonias, omnemque terram, quæ a Propontide & Bosphoro, usque ad Alpes Julias tenditur, & probabit, cum hominibus & animantia cuncta deficere, quæ in usus hominum a Creatore prius alebantur, ait Hieronym. in Oseæ l. cit. Exempla sacra vide Esa. XIX. 5. 9. Jerem. IV. 25. & IX. 10. & XII. 4. &c. Ita accidisse *sub Victore Tertio ejus nominis Rom. Pont.* ex Platina, & *tempore S. Malachiæ* in Hyberniæ mari piscosissimo, ex S. Bernhardo refert *in Oseam Sanctius.* Quod quomodo eveniat, explicatu non facile est. Intelligo occultum Dei imperium in causa esse. Unde fit ut cladem & solitudinem animalia præsagiant, & fuga præveniant. *Attilæ Hunnorum Tyranno capiundæ Aquilejæ omen dederunt ciconiæ, quas urbe relicta cum pullis suis nidos transferre, & in arboribus nidulari conspexit,* nota historia est, *ex Juvenco Cœlio Calano Dalmata in Hist. Attilæ & Munstero l. II. Cosmogr.* Godefridus Bullioneus, cum Saracenis conflicturus, jusserat, ut exercitus prædam ingentem aliquot millium camelorum, ovium boumque dimitteret, paullo ante captam, ne impedimento esset. Jumenta discedere nolebant, sequuta signa eorum, quos victores fore præsagiebant, ita ut cum stantibus starent, cum procedentibus procederent, cum currentibus currerent, *ut habet Albertus Abbas Stadiens. Chronic. p. 145. de quo Baronius & nuper Besold. de Regib. Hierosol. p. 115.* Ante cladem Novariensem, Gallis ab Helvetiorum præsidio, quod in Urbe Maximilianus Sfortia collocaverat, illatam, sub vesperam pridie omnes Gallorum canes, facto agmine, per ipsas murorum ruinas tormentis patefactas, ad Helvetios transfugerunt, cauda & ore illis, tan-

tanquam mox heris suis futuris, abblanditi, *refert Jovius l. XI. hist. p. 372.* Varia sui temporis prodigia recitat *Alcimus Avitus homil. de Festo Rogationum* ejusque prima institutione: Siquidem *incendia crebra, terræ motus assidui, nocturni sonitus, cuidam totius urbis funeri prodigiosum quiddam minitabantur: nam & populosis hominum conventibus domestica silvestrium ferarum species obversabatur. Stupenda foro cubilia collocabat, audacium pavenda mansuetudo cervorum*, ait Sidonius Apollinar. l. VII. Epist. 1. *Cervorum & luporum feritas portas ingressa, per totam urbem nihil metuens oberrabat*, Gregor. Turonens. l. II. Histor. cap. 34. *Quis videns pavidos naturaliter cervos, per angusta portarum usque ad fori lata penetrantes, non imminentem solitudinis sententiam formidaret?* Alcimus l. cit. Quid multa? *Ruinis imminentibus musculi præmigrant, aranei cum telis primi cadunt*, Plinius l. VIII. cap. 28. &c. Habes novum animalium prudentiæ argumentum, & documentum, quomodo ad Deum confugere deceat homines, quod reliquis jam dictis addes.

CAP. XIX.

Exhortatio ad Pœnitentiam ex ingenio animalium.

IMitemur animalia bruta, si per sanctorum vestigia ire difficile videatur. *Mutæ quidem animæ & irrationales medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum & irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo, si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua Chelidonia*, Tertullian. de Pœnitent. cap. XII. *Cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi,*

quod scias mederi tibi? Ibid. Refer huc totum *caput 27. lib. VIII. Plinii* de medicinis ab animalibus inventis. Recipiamus nos ex tempestate & procella, in quam per peccatum incidimus, in tutum divinitatis sinum. *Mergi, quibus nomen est ex facto, cohabitatores piscium, aquatiles volucres, futuras tempestates naturaliter prævidentes, sicca petunt, stagna derelinquunt. Delphini fluctus pelagi metuentes, vadosis litoribus immorantur. Echini, qui sunt mella carnalia, costatilis teneritudo, croceæ delitiæ divitis maris, dum futuras tempestates agnoverint, loca mutare cupientes, quia illis pro levitate corporis nandi nulla fiducia est, lapillos quibus pares possint esse complexi, quadam anchorarum ponderatione librati scopulos petunt, quos fluctibus vexandos esse non credant. Aves ipsæ adventu hiemis patrias mutant. Feræ pro qualitate temporis cubilia quærunt. Hominum sollicitudo non debet providere quod potest in adversitate requirere?* ait Cassiodorus l. III. Var. Epist. 48. Pulchrum Romæ spectaculum fuit *Lepus in sinu leonis securus*, de quo supra paullo ante *ex Martial. l. 1. Epigr. 49.* adde ex *Epigram. 23.* ista, quæ apte quadrant:

Quid nunc sæva fugis placidi lepus ora leonis?
Frangere tam parvas non didicere feras.
Servantur magnis isti cervicibus ungues,
Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.

Quanto pulchrius spectare in sinu Dei placati timidum & exagitatum ab orci canibus peccatorem? confer Psal. CIV. 18. Locum *Cassiodori* alium, quoniam hæc scribenti occurrebat, non potui intactum relinquere. *Pecora*, inquit, *ipsa vitare norunt, quæ se læsisse cognoscunt, itinera illa non repetunt, ubi in foveam corruerunt. Tenaces laqueos avis capta declinat, hærentem viscum alis suspecta non insidet. Pisceus lupus arenis mollibus, ut plumbati lini insidias evadat, se immergit: cujus ut suprae-*

ducta

ducta retia ejus tergum frustra deraserint, alacer in undas exilit, & vitati periculi gaudia liberatus agnoscit. Scarus esca pellectus, cum junceum carcerem cœperit introire, mox ut se ad exitium suum invitatum fuisse cognoverit, in caudam labitur, paulatim se ab angusto subducens. Quem si alter ejusdem generis cognoverit irretitum, extrema ejus mordicus trahit, ut qui sibi captus non potest subvenire, alterius solatio probetur evadere. Mitto cetera. Quod de scaro dixit, elegantissimis versibus enarravit Oppianus l. IV. Halient. conabor exprimere Latinis, ut potero:

Versicolor scarus insidias cum vimine textæ
Incidit in nassæ, captum se advertit, & omni
Qua pote, conatur damnum prævertat ut arte:
Ergo vimineis obnixa occurrere fronte
Non ausus radiis, horrentibus ostia circum,
Aversus caput atque oculos, evadit in æquor,
Per caudam: quem forte alius cum vidit in arcto
Luctantem socius, miserans ope nititur omni
Eripere exitio; nam turpe relinquere pressum
Congenerem censet: caudam modo in ostia nassæ
Insertans, instar dextræ præbere videtur;
Hanc captus prendens morsu tenet, attrahit alter,
Et socium mediis e faucibus eruit Orci.
Sin miser angusto nassæ de carcere caudam
Exserat, & sic poscat opem, mox corripit ille,
Connixusque trahit, dum secum liber aperto
Æquoris exultet campo, lætusque vagetur.

Vide *Cassiodor. l. XI. Var. Epist. 40. Fragment. Halient. Ovidii aut Gratii, Plutarch. de solertia Animal.* sic Scari docent exemplo, quod Apostolus Præcepto, Jacob. V. 20. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte.* Eodem facit, quod Juba

apud Plutarchum refert *de Elephantis*, quorum si aliquis in fossam venatoris incidat, reliqui lapides & materiam convectant, fossamque implent, ut liberent. Non erubescis homo?

CAP. XX.

Feræ miraculo cicuratæ.

HAbitabit *Lupus cum Agno*, Esai. XI. 6. quæ in hoc vaticinium supra notavi, reduxerunt in memoriam quasdam *aurearum Legendarum fabellas*, quas ex Gentilium Logis confictas, aut eodem certe spiritu editas, res clamat, ita non lac lacti magis simile est. *Fecit hoc*, ait Cornelius a Lap. in Ecclesiast. Sirac. cap. XIII. 21. *citato hoc Prophetæ oraculo, ad literam S. Franciscus, qui Eugubii lupum mire noxium ita cicuravit, ut is innoxius quotidie per urbem ambularet, petens annonam sibi necessariam, quam illi a civibus dandam promiserat S. Franciscus, si noxa abstineret. Fecit & S Gerasimus, male aliqui hoc tribuunt S. Hieronymo, qui leonem docuit comitari & custodire asinum necessaria bajulantem ad cœnobium, uti habetur in Vitis PP. Fecit & S. Florentius, qui ursum mansuefecit, & ovium custodiæ præfecit, uti refert S. Gregorius l. III. Dialog. cap. 15.* Hæc Cornelius l. cit. Repetit quod de Francisco dixit, in cap. XXIX. Sirac. ℣. 10. *S. Franciscus*, inquit, *pro lupo spopondit Eugubiensibus, illum ipsis non nociturum, si ipsi eum alerent, quo facto lupus sponsionem sancti præstitit, uti habent ejus acta in Annal. Waddingi Anno Dom. 1222. num. 18. Qui & anno Dom. 1217. num. 13. narrat simili modo S. Franciscum pro lupis spopondisse Græciensibus, si ipsi pœnitentia Deum placarent: quo facto, lupos fidem a Sancto datam plene præstitisse.* Miraculum de Lupo Eugubiensi *Liber Aureus Conformitatū lepide* narrat, multis circumstantiis,

Cedro

Cedro dignis, annotatis. Compendio habe: Obsidebat lupus civitatem, ut nec adiri tuto posset, nec exire quisquam auderet, nisi ferro accinctus, & indutus loriea. Franciscus assumto uno comite, multis rem ex edito speculantibus, & bono viro metuentibus, adortus est feram, signo crucis obserato prius immani rictu, blandisque verbis affatus, *veni huc*, inquit, *ad me frater lupe*, verboque in agnum placidissimum convertit. Tum exprobratis prius injuriis, hortatus ad pacem cum Eugubiensibus ineundam, indemnem & e publico alendum fore spondens, cum Lupus & capite annueret, & manum porrigenti pedem anteriorem dextrum conjungeret, fidemque ita daret, ad urbem deduxit, fœdusque cum civibus feriit, Lupo ad eandem stipulationem, non annuente tantum, sed & porrecto pede iterum fidem suam obstringente. Ab eo tempore innoxius Lupus stipem ostiatim emendicabat, neminem lædens, nec ab aliquo læsus, curialiter fuit enutritus, & mirum valde, quod numquam aliquis canis latrabat contra eum, ut habet historia. In profanis historiis similia legas, quæ veritatem adstruant. Audire operæ pretium est. *Asses para & aureas accipe sis fabellas.* Sic enim præfari fabulonum mos fuit. Plinius Epist. 20. l. II. Eccum tibi in una quasi cavea *leonem clitellarium, Lupum sponsoris memorem, ursum mitem, taurumque mendicum*, ante ferociſſimum! Leonem jam ante produxi σκευοφόρον ex Maximo Tyrio, & Plin. VIII. cap. 16. ab Hannone Carthaginiensi mansuefactum, cujus hæc prima fuerit gloria; malo tamen repensa didactro, quod *& apud Plutarch. est de Præcept. Polit.* Nam Androdi Leonem quis nescit, aut publicum illud præconium non audivit: *Hic est homo Medicus leonis, hic leo hominis hospes!* A. Gell. l. V. cap. 14. *Mentoris Leo* Syracusis picturam; *Elpidis Samii*, in Samo quoque Templum meritus est, docente Plinio. *Credit Libya*

intellectum ad eos pervenire precum, & opinio inde mulceri alloquiis feras: cum & serpentes extrahi cantu, cogique in pœnam creditum fuerit. Id. loc. cit. Sed *Lupus frater* vocat, fidei pro se datæ memor & in vadem gratus. Recitat historiam *Cauſſinus l. VII. Polihiſtor. cap. 35. ex Strabone:* Fuiſſe hominem publice notum, de ſua ſpondendi pro aliis facilitate, is cum forte in venatores incidiſſet, qui lupum habebant in caſſibus, joco rogatus eſt, velletne ſponſu ſuo captivum liberare? Ille nihil tergiverſatus, fidem ſuam obligavit. Lupus dimiſſus noctu armentum totum equarum, quæ nullo erant ſtigmate inuſtæ, quod eſſet argumento nullius in peculio fuiſſe, occupanti jure ceſſiſſe, ad ſtabulum ſponſoris adegit, qui eas Lupi ſigno notavit. *Repetiit Cornel. a Lap. loc. cit. num. præced. &* cum Franciſci ſui ſponſione comparavit. Sed quod *apud Cauſſin. ſequitur cap. 76.* de lupis Mœotidis Paludis, qui a piſcatoribus in prædæ partem vocati pacem colant, neglecti retia dilacerent, & ſæviant; apte quadrat, nec minus apodoſis: *Sic ait, interdum improbis condonatur aliquid ad mitigandam importunitatem, & verſuti pectoris inſidias amoliendas.* Quod ſupereſt debiti, pro me ſolvet *Angelus Politianus ex Lamia ſua*; ubi de Pythagora præfatus: *Beſtias docebat tam feras, quam cicures:* duo exempla adducit: *Urſæ Dauniæ*, quæ pridem peſtis acerba boum atque hominum, mox blande vocanti & manu permulcenti obtemperans, domi aliquamdiu habita, pane alita fuerit & pomis, tandem dimiſſa cum adjuratione, ne quod animal poſt id attingeret, nulli deinde animantium obfuerit: Et *Bovis Tarentini:* Quem ille conſpicatus, in agro quodam paſcuo, viridem adhuc fabaciam ſegetem morſu truncantem, rogarit bubulcum, moneret bovem ſuum, ne illam depaſceretur. Ei cum bubulcus illudens, reſpondiſſet: *Equidem bovatim loqui neſcio, tu ſi ſcis potius moneto:*

moneto: non cunctatus, & in aurem aliquid locutus tauro impetraverit, ut pabulo fabacio in perpetuum abstineret. Itaque bos ille Tarenti deinde molliter consenuit, in Junonis fano sacer habitus, cibisque hominum vesci solitus, quos illi obvia turba offerebat. Recentius habet Roma *tauri domiti* exemplum, quem *Demetrius Spartanus magus*, ad averruncandam pestem, in magna populi Romani frequentia ad Amphitheatrum Djs Infernis immolavit, cum desecto prius altero cornu, magicum carmen auri dextræ insusurrâsset, & filo tenui ad alterum cornu alligato, quo quo vellet, circumduxisset. Factum *anno* 1522. *refert Jovius l.* 21. *Histor.* qui & de eventu testatur, morbum mitescere ab ea litatione cœpisse, *repetit Delrio l. II. Disq. Mag. q.* 13. *& Richard. Dinothus Adversar. Dec.* 5.

CAP. XXI.

Amoris Conjugalis & fraterni icones.

QUod *Aurel. Olymp. Nemesianus Eclog.* 4. cecinit de Amoris in omnia dominio: etenim, ait,

Cerva marem sequitur, taurum formosa juvenca
Et Venerem sensere lupæ, sensere leænæ,
Et genus aerium volucres, & squamea turba,
Et montes, silvæque: suos habet arbor amores.

Achilles Statius Alexandr. l. 1. *de Amor. Clitophont. & Leucipp.* eleganter edisserit. Ubi ista rariuscula exempla. 1. Ferrum, inquit, *amat magnes, & si modo videat tangatve, ad se trahit, quasi amatoriam in se flammam contineat. Id vero an non est amantis saxi, atque amati ferri oscula-tio?* 2. Palmam *ajunt esse marem & fœminam, & illam hujus magno teneri desiderio, ut si procul absit, arescat:*

Agricolas itaque ex editiore loco speculari, quam in partem inclinetur; nam inflecti marem versus amatam fœminam ejusque surculo in maris cor inserto, recreari amantem, ac revivisere. Hæ plantarum sunt nuptiæ. 3. *De Alpheo* nota refert, per medium mare deferri & aquas sinceras in sinum *Arethusæ* amatæ effundere, cum iis, *quæ in Olympiacis celebritatibus acceperit, vulgo collatitiis munusculis* 4. *Viperam deniq; terrestrem murenæ marinæ amore flagrare.* Dare itaque, cum coëundi ardor est, sibilo in litore signum, & vocare amatam. Eam scopulo aliquo consenso tantisper exspectare, dum Vipera maritus, cujus dentes esse mortiferos natura magistra didicit, venenum ore exspuerit, tum se mutuo complecti &c. Quam vere hæc dicantur, non disputo. Certe qui vel finxerunt vel crediderunt ita se habere, beneficium amoris conjugalis, & mutuum officium videntur præ oculis habuisse, confer Sir. XVI. 1. & seq. 1. Pet. III. v. 5. 6. 7. Disertus est in eo argumento *S. Zeno noster de Fid. Spe. Charitate* ubi de mutua brutorum dilectione præfatus hæc adfert. *Quid autem pro se in necessitatibus gerant, omnibus nota porcorum, quotidiana propemodum tam jucundi certaminis exempla, declarant: quia aliquis eorum cum forte de numero audacis lupi rabie rotatus in præsens periculum cœperit infestationibus tyrannicis duci, omnes repente concelerant, laboranti subveniunt, pœne armis ipsis inimici certatim se crebro subjiciunt, ingenti fragore confundunt, exertisque mucronibus sordidis velut testudine quadum resistunt, vincuntq; facilius charitate, quod sigillatim nuda vix possunt superare virtute.* Plusquam porci sunt ergo, qui non fraterno auxilio laboranti fratri succurrunt.

(o)

CAP.

CAP. XXII.

Psittaci Salomonis, scite Pavones dicti.

Vide infra l. ult.

EXcuso vulgatum Interpretem. Imo laudo. Mos fuit, ut raris istiusmodi animalibus usitata inderentur animalium notorum nomina, quibus aliqua in re illa visa similia. *Sic Romani, cum stivam adhuc oleret eorum sermo, Gryphas Picos appellarunt, qui aureos montes colunt: Struthionem, Passerem Marinum: Camelopardalim, Ovem feram: Pantheras, mures Africanos: Leones Ursos Numidicos: Elephantum, Bovem Lucam*, docente Lipsio l. II. Elector. cap. 4. Sic ergo a vulgato interprete, priscam illam loquendi simplicitatem pro more imitante, potuit *Psittacis Pavonum nomen* imponi, & quia forte Hebræis ita dictos opinaretur, cum primum essent conspecti. Firmo conjecturam: nam non absimili ratione *Otis* avis Synesio ἀγροικος πωὼν, *agrestis Pavo*, Epist. 4. Sic galli Numidici, aut Meleagrides, *Gallopavones* dicuntur, quos in Salomonia navi Hierosolymam ex Africano aliquo litore allatos suspicatur Pineda l. cit.

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quod non sunt faciles: at albus anser
Et pictus anas enovata pennis
Plebejum sapit. Petronius in Satyrico.

Struthionem apud Jobum cap. XXXIX. 16. *Chasida* id est *ciconiam* dici verosimile est, ab eadem ratione. Certe. *Sanctius Struthionem, at Dominus Lutherus ciconiam* verterunt, ut & alii, quos hic secutus. *Olympiodorus* avem maximam & stolidam significare dicit *apud Drusium*, quæ struthionis descriptio est. Denique quis negaverit majorem inter *pavonem & psittacum* esse convenientiam,

tiam, quam inter *gryphas & picos?* Ingenio hactenus consimiles sunt, quod *pavo* gaudet adspici, *psittacus* audiri: unde verba sua dictata locutulejus meditatur cum studio. Nec *pennarum usus* dispar: nam & vestes plumeas conficiunt sibi Indi, & capitis ornamenta ex psittacorum pennis. *De opere plumario* Indorum testis est Plutarchus de Fort. Alexand. &c. de *Pennis Garamantum*, quæ iis fuerint, *quod Crobyli Barbarorum, Cicadæ Athenienſium.* Tertullianus de Vel. Virg. &c. Sic Turcarum Janizari *Apodum Indicarum* se pennis ornant, in prælium profecturi, & Reges Moluccani, tanta fiducia, ut se istarum sub tutela invulnerabiles credant. *Manucodiatas* vocant aves, id est, *Dei alites*, nostri *aves Paradisi* ex Muhammedanorum fabulis, quod ex Paradiso advolent. Sic *picturatas galeæ Junonia cristas ornat avis*, Claudian. in 6. Consul. Honorii. *De Deo Cnephalam* ferente in capite, *dixi in Theologia Symb.* Nobis & ornamentum & præsidium certius, si in capite gestemus pennas sacrorum Scriptorum, quas verissime Dei aves dixeris. Sed finio, & *pulchritudine* quoque vel parem vel & superiorem psittacum pavone, ex his doceo, quæ attexo:

Psittacus ille plagæ viridis regnator Eoæ,
Quem non gemmata volucris Junonia cauda,
Vinceret, adspectu gelidi non Phasidis ales,
Nec quas humenti Numidæ rapuere sub Austro.

Statius l. cit. Imitatus est Passeratius:

Contendat Phœbeus olor, contendat aëdon
Hic sua fata querens, Thracis scelus illa Tyranni;
Vincetur Phœbeus olor, vincetur aëdon:
Certamen moveat volucris Junonia formæ,
Ostentans centumq; oculos caudamq; superbam;
Inferior formæ certamine pavus abibit. &c.

Scite depingit *psittacum* Apulejus II. Florid. vide si lubet & judica; poterit ne scite vulgatus Interpres *Psittacos appellare Pavones ex Tharsis, vel Indicos?*

CAP.

CAP. XXIII.

Vinum in Vitro resplendens.

NE *intuearis vinum quando flavescit*, [rubescit, Hebræo fonti, ut D. Lutherus daß er ſo roth iſt: ejus enim generis fuit vinum Palæſtinæ, vide Gen. XLIX. 12.] *cum splenduerit in vitro color ejus*: [cum in phiala dederit oculum ſuum, *Hebr.* cum infuſum exilierit, & bullarum ſuarum oculis blande quaſi adſpiciens ad hauriendum invitaverit] verba ſapientiſſimi Regis ſunt, Prov. XXXIII. 31. Negant aliqui *vitri uſum* tam fuiſſe antiquum, notumve Sacris Veteris Teſtamenti Scriptoribus, quos inter nomen profitetur ſuum *Eberhard. de Weyhe in lib. de ſpeculo.* Sed meminit quoque Jobus Scriptor antiquiſſimus, ubi *ſapientiam* ait *auro & vitro contra pretioſam eſſe.* cap. XXVIII. 17. Nam *Zechuchit* ibi *vitrum* dici, Hebræi conſentiunt, & vox ipſa rem pellucidam ſignificat. Raritas pretium olim fecit, & forte artis lenocinium, de quo mox: *Neronis principatu calices duo, arte vitri reperta, ſeſtertium ſex millibus venditi.* auctore Plinio, id eſt, Trecentis Caroleis, & computo Hadr. Junii Sic *apud Indos ſuperiori ævo vitrum primitus tanti fuit, ut calix, etſi ruſticior, aureorum ducentorum cenſu poſſet permutari,* vide Druſium & Coccejum in Jobum. Adde *vitrum in Phœnicia primo repertum: Sidone quondam iis officinis nobili, quæ etiam ſpecula excogitaverat*, Plin. l. XXXVI. c. 26. *Locus ad Belum amnem, qui Judaico mari illabitur: circa cujus os collectæ arenæ, admixto nitro, in vitrum excoctæ*; Tacit. l. V. Hiſt. *Beleum* vocat Joſephus, *juxta Ptolemaidem, ad quem Memnonis ſepulchrum in valle rotunda, vitream emittente arenam*, l. II. de Bello c. 9. Non ergo mihi dubium, quin vitream phialam voluerit intelligi Salomo. Certe ἀλφανὴ verba inſinuant, ut

ut *purpura vini* transluceret. Sed addo; *& calatam.* Nam id artis acceſſit, ut illucebroſius ſplendeſceret vinum. *Sculptorum*, ait Clem. Alexand. l. II. Pædag. c. 3. *in vitro* ἐξεργεις κενοδοξίαι, *quæ quanto arte elaboratior, tanto frangi facilior*, δεδιέναι πρὸς ἅμα καὶ πίνειν διδάσκουσι, *& timere jubens & bibere:* Hoc nempe pulchrius reſplendente vino; illud fragilitate vaſis. Talis fuit *calix ille Hippiæ*, Tyrii potentis: e vitro cælato, *cujus oram vites in eo ipſo natæ coronabant, ut adſcititiis corollis inumbrare* [*ita* mos ferebat] *non eſſet opus. Ab his racemi paſſim pendebant, ſicco omnes poculo acerbi, infuſo autem vino paulatim rubentes & maturi: quos inter Dionyſius vitem colens erat effor matus*, apud Achillem Statium lib. II. Amor. *poſt princip.* da ſtund der Wein ſchön im Glaß! *Sic eſt voluptas in hoc corpuſculo, ut vinum in vitro. Vitro lætitia comparatur, fragiliter ſplendida, cui timeatur horribilius, ne frangatur repente*, ait *Auguſtinus.* l. IV. de Civ. Dei. cap. 3. Plura alibi, lib. 5. *cap. XI, XII.*

CAP. XXIV.

Cor Deo Sacrum.

PRæbe, *fili mi, cor tuum mihi.* Prov. XXIII. 26. Sic ſemper *Cor* ſibi dari vult Deus, Deut. IV. 29. & VI. 5. Joël. II. 12. Prov. XVII. 3. 1. Reg. VIII. 39. 1. Paral. XXIX. 17. Pſ. LI. 19. Eſ. XXIX. 13. &c. Cur? cauſam docet Abrahamus, juxta Prudentium, Prologo Pſychomachiæ,

— Beati ſeminis ſerus Pater,
Senile pignus qui dicavit victimæ;
Docens, ad aram cum litare quis velit,
Quod dulce cordi, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito.

Sane ſi quis rem penitius introſpiciat, inveniet, Cor eſſe

esse 1. *Donum Deo solum dignum.* 2. *Omnium nostrorum compendium.* 3. *Maximum mundi miraculum*, atque adeo 4. *gratum Deo habitaculum.* Totidem ergo nominibus Deo dicandum est. Placet sigillatim exponere. Ac primo quidem id maxime debitum est Deo, quod est dantibus charissimum, in dando facillimum, & in dato sinceriſſimum. Nam ut homo ei, qui supra omnia diligendus est, id debet, quod maxime diligit, ita Deus nec aliud exigit ab homine, quam quod præstitu sit facile, quia bonus est; nec cupit, quam quod sine fuco & fallaciis sinceriter offeratur, quia sanctus est. Tale cor est. Nihil illo charius. *Corculi* apud Romanos dicebantur, qui sapientia præstabant, *Plin.* l. VII. cap. 31. *Corcula* in blanditiis, qui impense amantur. In Onirocriticis *cor conjugem significat somniantis*, Artemidor. l. 1. c. 46. Nihil illo ad dandum facilius. Quod de materia terrestri aut visibilibus elementis Sacramentorum Novæ Legis dixere veteres: *ea divinitus esse ordinata, quæ omnibus æque essent obvia: Si enim in quibuslibet pretiosioribus speciebus Sacramenta sua instituisset Deus, quæ natura & quantitate sua ita essent pretiosa, ut mundus totus non sufficeret ad ea comparanda, non quidem Sacramentorum esset digna comparatio, sed difficilis & onerosa pauperibus ad ea fieret accessio. Ideoq; gratia Dei ut omnimodis esset gratuita, in Sacramentalibus speciebus non quæsivit dignitatem, sed aptitudinem*, ait Algerus l. III. de Sacram. Euchar. cap. 4. Id hic omnino dicendum est: si tot hecatombas posceret Deus, quot immolavit Salomo; tot talenta, quot consecravit in Templi fabricam David, 1. Reg. VIII. 5. 63. & 1. Paralip. XXIX. 4. nec donum istud Deo ideo fuisset dignius, & a donando quotus quisque non fuisset excluſissimus? Regum ista, imo ne Regibus quidem usque in promtu. Cor omnium est. *Quare ante oculos Dei nunquam manus est vacua a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate Qui nostra*

nostra datione non pascitur, oblatione cordis melius placatur. Nihil quippe offertur Deo ditius bona voluntate, Gregorius M. hom. V. in Evangel.

Hæc facit ut veniat pauper quoque gratus ad aram,
Et placeat cæso non minus agna bove.

Denique nihil datur sincerius. Hoc si adsit, gratum habet Deus, &si alia desint: Hoc si absit, nihil omnia, quanta sunt. Hinc *Persæ Cœlum hoc Deum esse rati, sacrificantes in Excelsis, de profectis hostiarum carnibus nil dabant Deo, præter pauxillum omenti, quod igni imponebant: Sola hostiarum anima Deo litari statuentes.* auctore Eustathio. Hermocares liquidissimo auspicio urbem condens, *rapto & in sublime sublato victimæ corde a corvo,* cum sacra faceret, *Cardiam* eam appellavit, *Stephanus de Urbibus. Tartari* idola ex centonibus habebant humanæ imaginis. Fingebant ea mulieres nobiliores, sed non nisi minis adactæ, cum sacro horrore & reverentia. His corda de victimis dicata, quæ tamen deinde cocta & devorata. *Bonfinius Dec. II. l. 8. &c.* Sic pagani, & quidem Barbarorum præcipui statuebant: *Neminem apud Deos gratiorem existimari, quam qui delubris eorum puram castamque mentem intulerit,* Plin. Jun. in Panegyr. post princ. *Hunc esse verum & cœlestem cultum, in quo mens colentis seipsam Deo immaculatam victimam sistit,* ait Lactantius lib. VI. cap. 2. *Neque enim tam libenter odoratur Arabicæ arboris guttam, quam sinceri pectoris & cordis sanctitatem,* Chrysologus serm. 87.

CAP.

CAP. XXV.

Cor omnia.

OMni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit Proverb. IV. 23. *Solent homines hujus seculi dicere*, ait S. Bernhardus, *bonum castellum custodit, qui corpus suum custodit. Nos autem non sic; sed sterquilinium vile custodit, qui custodit corpus suum*, Sermon. XLVI. in Parvis. Ergo COR custodi, in quo, ut bene dici solet, est *custodia omnium rerum.* Hoc est τὸ πάντα. In eo est ratio, voluntas, vita. *Ratio:* Quæritur, *inquit Hieronymus ad Fabiolam*, ubi sit animæ principale? Plato in cerebro, Christus monstrat in corde. Ex corde exeunt cogitationes. Matth. XV. 19. Inde spiritus vitales, qui in cerebro fiunt animales. Hinc COR *animæ arx & cogitatorium*, Tertull. de Resurr. --- *Divæ domus Rationis & alti consilii sedes*, Hilarius in Gen. *Bonorum omnium atque malorum secretarium*, Eusebius Gallus Dom. XI. post Pentecost. *ab hoc*, addit, *consiliario omnia nostra consilia suscipimus.* Cor *omnium cogitationum scaturigo est*, Ambrosius Serm. XI. in Psalm. CXVIII. *vide Tertull. de Anima cap. XV. Voluntas:* Cor est mare variis cupiditatum æstibus & fluctibus inquietum; in quo voluntas ut navis est, *Basilius in Catena Græc. ad Proverb. I. 5. Vita:* Hoc primum nascentibus formari in utero tradunt, deinde cerebrum, sicut tardissime oculos: Sed hos primum emori, cor novissime, *Plin. l. XI. cap. 37.* Itaque cum omne sibi primogenitum sanctificari DEUS jubet, COR ante omnia exigit, Exod. XIII. 2. Num. XVIII. 15. Solum hoc viscerum vitiis non maceratur, nec supplicia vitæ trahit, læsumque mortem illico adfert. Cæteris corruptis vitalitas in corde durat. *Plinius l. c.* Nec alia de causa cor olim Deum Magnæ

Matri consecratum, quam quod ea habita esset τῆς ζωογονίας αἰτία, *Phornutus in Rhea.* Hinc Hebræorum summus Pontifex in cordis loco gestabat τὸ λόγιον, URIM & THUMMIM dictum. Maximus inter Ægyptiorum Judices præses, Saphirum *Veritatis* imagine insculptam: Pueri Romanorum ingenui *bullam auream*, cordis figuram, ut inspicientes ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent, *Macrob. 1. Saturn. cap. 6.* Sed & ideo pectus unguentis delibutum, & coronis redimitum, quas *hypothymiades* Poëtæ vocabant, propter florum ἀναθυμίασιν, Non tantum, quia odor natura a pectore in caput ascendat, sed etiam, quia in corde sit animi domicilium, *ut Philotimus & Praxagoras illustres Medici* asserunt, apud *Athenæum lib. XV.* Sic virgines Israelitides, ut observatum ex Cantic. I. 13. *Delrio, Cornel. a Lap. &c. vide passionale meum.* Neque aliter Christiani olim: *Sane quod caput non coronamus, ignoscite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire,* ait Minutius Felix in Octavio suo. Bis fallitur *Philo,* cum & negat, uspiam Deo fuisse offerenda ex lege, *cor & cerebrum:* & affirmat id eo factum, quod in neutro principatum Legislator agnoverit, *de Sacrif. Cain & Abel, in fin.* Non exigebantur in sacrificiis præter holocaustum, *cor, pulmo, cerebrum*, quæ sunt officinæ sapientum cogitationum; Sed adipes, renes, sanguis, & aliquid de jecore, [*joteret* vocant Hebræi, *reticulum* vertit vulgatus, ut & D. Lutherus das Netze/ alii *rubram carunculam*, jecoris excrescentiam,] quæ prima pruritus seminaria excitant, *scribit ex Recanati Münsterus in Levit. cap. III. 1. 5.*

Quare cum sibi COR poscit, qui corda finxit, Psalm. XXXIII. 15.
omnia exigit.

CAP.

CAP. XXVI.

Cordis miracula.

PEr fidem habitat Christus in corde. Ephes. III. 17. in quo tota plenitudo Deitatis habitat σωματικῶς, in ejus corde & corpore sanctissimo, ut proprio quodam suo Templo, Colos. II. 9. Obstupesco! video enim *maximum in minimo.* Habent sua quique artifices & Musarum antistites in corde miracula. Mirantur *Mathematici* alterum hoc in Microcosmo *Primum mobile.* Palpitat enim & quasi alterum animal movetur intra. *Plinius l. cit.* Nulla quies est nec stare potest, nisi intercidat. Mirantur *Geometræ* ponderis incrementum. Nam Ægyptii usque ad ætatis annum quinquagesimum augeri crediderunt: binas quotannis ponderis drachmas accedere, tantundem deinceps detrahi, & ideo non vivere hominem ultra centesimum annum, defectu cordis; *Plin. ibid. Petrus Mexias l. I. Silvar. cap. 10. Pier. Valer. l. XXI. Hieroglyph.* Mirantur *Medici*, quod cremari non possit eorum, qui vel veneno interemti, ut Germanici Cæsaris, vel Cardiaco morbo interierunt. Zwinglii cor, in Capellensi prælio occisi, & ab hoste victore combusti, in cineribus illæsum inventum, *refert Sculletus in Annal. Evang. Anno 1531. Thuanus lib. I. Mirantur Physici* repertum Aristomenis, Leonidæ, Lysandri, fortissimorum Virorum, cor hirsutum & pilosum, *Plin. & Dalechamp. ibid. Rhodigin. l. XVII. Antiq. Lect. cap. 9.* Mirati sunt *Extispices*, quomodo cor victimarum in extis defecerit? quonam aufugerit? Deusne eripuerit, aut vis aliqua subito confecerit? cum animal sine corde vivere nequiverit? *Cicero 2. de divinat.* Ita Cæsari Dictatori, quo die primum veste purpurea processit, atque in sella aurea sedit, sacrificanti bis in extis defuit. Responsum a Spurina

Aruſpice, pertinere id ſignum ad vitam & conſilium ejus, quod utraque hæc corde continerentur, *Plin. l. c. Valer. M. lib. I. c. 6.* Ita Dei ſimia eſt Diabolus, ut nec ei litabilis eſſet hoſtia, quæ corde careret. Maximam admirationem parit cordis *profunditas*, tanta, ut nullius humani judicii bolide poſſit explorari, Jerem. XVII. 9. Sit quamlibet Lynceus

--- poſſit qui rumpere terras,
Et Styga transmiſſo tacitam deprendere viſu,

ut Poëtæ ampullantur, *Valer. Flaccus l. I. Argonaut. v. 465.* hic tamen talpam ſe inveniet: Ne minorem, *capacitas:* Animæ enim ſic quaſi Regia ſedes, & arx eſt, ut ea tamen toti corpori præſens, in omnibus vigeat partibus, nec major in majoribus, ut dicam cum Auguſtino, nec minor in minoribus, ſed in minimis tota, in maximis tota.

Sic animi ſedes tenui ſub corde locata
Per totum anguſto regnat de limite corpus,

Manilius l. IV. ſub extrem. Quod ſi ſummi artifices operarum ſuarum miraculis gloriati ſunt; Quid glorioſius Deo humano corde? Ipſe digito inſcripſit? *Deus Feci!* tu ſubjice: *Sacer eſt Locus, extra Mejete!* vel: *--- ite procul, Sacer eſt Locus, ite profani!* vide Caſaub. ad Satyr. I. Perſii pag. 151.

CAP. XXVII.

Dei Habitaculum Cor, Mos oſculandi Pectus.

MIraculo omni major eſt, ſive Dei dignatio, quod in corde ſibi fixit Templum, Eſai. LVII. 15. & LXVI.

2.3. sive cordis amplitudo, quod infinitum possit recipere. Multa dono brevitati, pro instituto. Mos hinc osculandi pectus. *Sic Leonides Origenis pater, cum in filio animadvertisset divinius ingenium, dormientis pectus sæpe reverenter osculatus legitur, ratus in eo ipso Spiritus Dei sibi Templum consecrasse*, Euseb. l. VI. Hist. Eccles. cap. 2. Sic *Proæresii Sophistæ pectus*, refert Eunapius pag. 115. *Coronam auditorum allambere quasi solitam*, καθάπερ ἀγάλματος ἐνθίκ, *alios denique pedes, multos manus exosculatos, Deum, aut Mercurii τῦ λογίκ effigiem vivam appellasse.* Præterire non possum, quod de cordis figura Anatomici notant, *Pyramidem*, ut ait Philippus Melanchthon. de Anima, *utcumque imitante. Turbinatum* ait Vesalius, cap. 4. Epitom. Fabr. Hum. Corp. *instar pineæ nucis, ante, retroque compressæ, mucrone inferius sito clauso, & basi superius versa aperta.* Mirum opus! cujus in alto basis, conus in imo. Cœlo patet, terræ clauditur. Nec sphæra mundi, quanta quanta est, expleri potest, Trigonum, sola SS. Trinitate implendum. Unde illud Hugonis vulgatum: *Cor parvum est, & magna cupit. Vix ad unius milvi resectionem sufficere posset, & totus mundus ei non sufficit.* Et istud Augustini: *Fecisti nos Deus ad Te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in Te*, in princ. Confession. Repetere tria non piget, ut intelligamus cor ipsa sui figura testari, quod esse debeat, ut nomen habet, *cubiculum Omnipotentis Regis!*

CAP. XXVIII.

Anaxilai Ludicra, Fascinatio, Hæretici.

QUis vos fascinavit? Galat. III. 1. De *oculo invidente* Chrysostomus h. l. intellexit. De quo illud notum:

tum : *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.* Sed in universum puto accipi posse *de fascinatione*, quæ & *oculo*, & *mala lingua*, & *præstigiis* fieri solebat. 1. De prioribus duobus Plinius l. VII. cap. 2. *In Africa familias quasdam effascinantium, Isigonus & Nymphodorus tradunt, quarum laudatione intereant probata* [πρόβατα putant Interpp. dicere velle] *arescant arbores, emoriantur infantes. Esse ejusdem generis in Triballis & Illyriis, adjicit Isigonus, qui visu quoque effascinent, interimantque quos diutius intueantur*, &c. vide reliqua ibid.

Oculis his pupula duplex
Fulminat, & geminum lumen in orbe manet;

tales *in Scythia* fœminas esse, & *in Ponto Thibios*; varia remedia : *Fascinus* Deus, id est, Priapi, turpiculi virilis, imaguncula, collo infantium appendebatur. Cavebant bona sua enumerare, - *ne pernumerare curiosi possint, aut mala fascinare lingua*, Catull. ad Lesb. - *Baccare frontem cingite, ne vati noceat mala lingua futuro*, Virgil. alii adoratione peculiari occurrebant, cum se vel alios laudarent : dicentes ; *præfiscini!* aut illud : Quod *Bona Hora audiat*, in Querulo Gildæ : ut nostri : GOtt geb/ daß ichs zur guten Stund rede : *Alii Græcam Nemesin invocantes :* quod *propitia audiat Nemesis, Dea Rhamnusia!* Sed & *despuendo repercutiebant invidas aut invidiosas laudes, & spei audacioris, si qua pulsasset mentem, veniam petebant in sinum despuendo.* Quod non dubitem ex sanctiore aliquo instituto profluxisse, in superstitionem tandem vertisse : *Vide Plin. l. XXVIII. cap. 2. & 4.* Sic si quis in mensa vescentem curiosius oculis intueretur, participem eum solebant facere de sua quadra, dicentes : ἵνα μὴ βασκάνῃς με. *Aristot. Problem. sect. XX. cap. 34.* Utriusque fascinatoribus recte Apostolus Pseudapostolos comparat, nam & livido oculo & mala lingua nocuerant.

II. Sed

II. Sed *de præstigiis* tamen μεταφορᾷ fere malim explicare, quibus & visum & sensum communem solent mali artifices corrumpere, ut fascinatus putet se videre, quæ tamen non sunt. *Si præstigiatores lucernas æruginе, & sepiæ atramento ungentes faciunt, ut qui adsunt, modo æris colorem habere, modo nigri videantur esse.* Sextus Philosoph. l. I. Pyrrhon. Hypotyp. cap. 14. post princ. Talia fuere *Anaxilai Ludicra:* [Non dubito quin *Larisseus* ille, *Pythagoricus* & *Magus* fuerit, quem ab Augusto Olympiade 188. Roma & Italia pulsum scribit *Euseb. in Chron.*] Qui variis artibus visus hominum fascinabat, ut nunc equinis, asininisve capitibus, nunc Æthiopum nigrore, nunc dito velut defunctorum pallore conspicuos repræsentaret, *ut refert Plinius l. XXVIII. cap. 11. extr. l. XXX. cap. 10. extr. & l. XXXV. cap. 15. in princ.* Sic de Marco, Mago & hæretico summo dixit *Irenæus:* Anaxilai ludicra eum cum Magorum nequitia miscuisse, ut miracula crederetur edere apud eos qui sensum non habent, & a mente sua excesserunt. Qualia illa fuerint miracula, exemplis declarat; solitum eum *in benedictione mystica efficere, ut vinum in calice purpureum appareret, quasi gratia illa, quæ super omnia est, sanguinem suum calici huic* διὰ τῆς ἀπατηλῆσεως αὐτοῦ *instillasset*, &c. lib. I. cap. 8. & 9. quæ *Epiphanius repetit, contra Marcosios Hæres. 34.* Ita ludicris Sophismatibus eripuerant mentem & sensum communem Galatis Pseudapostoli, ut & Paulum & Christum ab eo prædicatum jam alia quasi forma viderent, quam qua fide complexi erant. Et hunc sensum exigit epitheton iis datum ἀνοήτους.

CAP. XXIX.

De cocco & purpura farrago quæstiuncularum.

QUæsiones aliquot affero de cocco & purpura, & quidem sine verborum ambage aut lenocinio, quod hoc scriptionis genus non magis decet, quam si quis *nucum putamina inauraret. Prudentibus alioqui viris non placent phalerata sed fortia, quando res non pro verbis, sed pro rebus enunciandis verba sunt instituta*, ut ait S. Prosper. lib. III. de Vita Contempl. in fine. Scitari lubet. 1. *Quid coccinea chlamys Christo patienti induta ludibrio, significare potuerit?* Esse eum 1. *Regem*, neque aliam ob causam pallio purpureo amiciverunt eum Romani milites, quam ut regnum affectasse exprobrarent. Purpura autem Regium velamen. *Color ille nimio lepore vernans, obscuritas rubens, nigredo sanguinea, reguantem discernit, dum conspicuum facit, & præstat humano generi, ne de adspectu Principis possit errari*, ait Cassiodor. l. 1. var. Epist. 2. Donari tamen aliquando a Regibus jus purpuræ gestandæ solebat amicis bene merentibus, Dan. V. 29. 3. Esdr. cap. III. 6. 1. Marc. X. 20. 2. *Ducem*, & non infeliciter conjectat *Causabon. Exerc. XVI. Sect. 73.* eam chlamydem alicujus vel lictoris vel ordinum ductoris fuisse in præsidio Romano militantis. *Russatos* fuisse milites Romanos tritum est, quorum militares tunicas russeas *apud Trebell. Pollion. in Claudio* & alibi leges. Apud eos tunica coccinea supra prætorium expansa pugnæ signum fuit *Plutarch. in Fab. Max.* Ex Ezechiel. XXIII. 6. & 14. colorem rubrum perfloridum Chaldæorum, hyacynthinum Assyriorum fuisse proprium, *ut ibi notat. Fr. Junius*, constat. Addo non promiscam, sed solorum Procerum, quod Propheta indicat, & testantur

tur *Strabo l. XV. aliique.* Cyri tamen exercitum totum ſagulis puniceis fuiſſe conſpicuum, *Xenophon* ſcripſit 6. *Pœdiæ & Plutarch. in Artaxerxe.* Lacedæmonii eodem colore in præliis veſtiebantur, tum propter στιμνότητα *Ælian. l. VI. var. c. 6.* cum propter diſſimulationem vulnerum & ad occultandum cruorem: *Valer. M. l. II. c. 1. Confer Nahum XXIII. Apoc. IX. 17. & XIX. 13.* 3. *Torcularium*, qui hoſtes ſuos prælo iræ divinæ ſubjectos ſit conculcaturus, veſtesque ſuas eorum adſperſurus ſanguine, ut fit cum; juxta Nemeſianum,

Collibus in ſummis crebro pede rumpitur uva
Udaque purpureo ſparguntur pectora muſto. Eclog. 3.
vide Eſai. LXIII. 3.

II. *An aliquid inter coccum & purpuram interſit:* Plurimum, & patet Exod. XV. 4. ubi diſtinguuntur, unde & Ulpianus: *purpuræ appellatione coccum non contineri* dixit. Purpura Hebræis *Argeman*, quaſi textorum omnium decus & florem dicas; Phœnicibus, teſte Servio, *Sar* vocatur, quo vocabulo Hebræi Principem appellant, unde *Sarranum* Oſtrum, *de quo Becman. in Origin.* niſi potius *Tyrus*, ubi fieri ſolebat, unde & *Audicum veſtiarium* audit *apud Caſſiodor. l. c.* olim quoque *Sarra* dicta fuit, ut proprie ſuis *Tſor*, quod in rupe exſtructa, medio undique mari arctaretur. Quomodo ab Herculis, ad Tyriam Nympham itantis, cane, cum avida fame in Tyrio litore projecta conchylia impreſſis mandibulis contudiſſet, inventa ſit! *referunt I. Pollux l. 1. Onomaſt. & Caſſiodor. l. c.* Coccum granum tinctorium eſt, *quod apud Nicol. Leonic. l. 1. Var. hiſt. c. 5. P. Bollonium l. 1. obſervat. c. 17. Ruellium l. III. de Nat. Stirpium, cap. 98.* non una in arbore, inprimis tamen in Ilice quadam aquifolia legi diſces, celerrimeque mutari in vermiculum, qui ſi matureſcat, alis inſtructus, veſiculam, in qua continetur,

tur, rumpit, & avolat, unde Cocco nomen apud Hebræos, *Tholaath* vermiculus. Color ejus quam purpuræ dilutior est, qui in rosis micat, *Plin. XXI. c. 8.* purpura enim nigredo sanguinea est, ut dixit *Cassiodorus* & nigrantis rosæ colore sublucet, *Plin. l. IX. c. 36. Galaticus Rubor* dicitur color Coccineus, quod Galatiæ frequens sit Coccum *a Tertull. de Pallio*, ubi ait: *lætioris purpuræ ambitio, & Galatici ruboris superjectio Saturnum commendat.* Pergo quærere,

III. *Cur ergo confundi soleant?* ut, cum alius Evangelistarum dicit, Dominum purpura, alius coccinea chlamyde indutum fuisse? Matth. XXVII. 28. Marc. XV. 17. Johan. XIX. 2. *Resp.* Chlamys illa militaris purpura dicta fuit, quia ejus vicem sustinebat. Sic Alexandrini Caralum quendam in contemtum Regis Agrippæ diademate papyraceo coronarunt, indutum pro paludamento Storea, & pro Sceptro tenentem arundinis fragmentum. *Philo in Flaccum p. m. 811.* Pulchre Seneca: *Quædam etsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt:* v. gr. *æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet & qui corium forma publica percussum: quale apud Lacedæmonios fuit, quod usum numeratæ pecuniæ præstabat.* l. V. de Benef. cap. 13. & 14.

IV. *Cur obstetrix Thamaris in manu infantuli ligarit coccineum filum?* Gen. XXXVIII. 28. *Resp.* non modo ut a gemello altero discerni posset, sed etiam ex superstitione, puto, quadam, qua creditum; Coccinea licia esse avertendo fascino. Unde inter alia περίαπτα infantulorum *stamen coccineum* refertur *a Chrysostomo hom. XII. in 1. ad Corinth.* Fuere autem licia ista usus antiquissimi, orta forte ex παραδόσει Patrum de Vermiculi sanguine, quo corda nostra adspergenda & *sanguines*, i. e. peccata sanguinantia expianda sint. Talia amuleta fuere quoque; *Frontale ex Baccari*, herba coronaria flore purpu-

ræ

ræ subalbicantis: *turpiculum virile*, ejusque ridicula effigies, ut ludibundi infantibus solemus ostendere, per duos in volam depressos digitos, inserto pollice, efficta; quin & *coralia* in coccineum filum collecta, de quo lapillo Marbodeus:

Quippe salutaris gestantibus esse probatur,
Umbras Dæmonicas ac Thessala monstra repellit.

vide omnino Rueum l. II. de Gemm. c. 19.

V. *Cur Rahab fune Coccineo exploratores per fenestram emiserit?* Josuæ II. 18. *Linum tractavit*, ait Serarius ibid. q. 5. & 21. usa igitur tali reste, quia ad manum erat. Prius certum, & docet historia ℣. 6. l. c. Sic Cynthia apud Propert. nonnunquam

— *purpureo fallebat stamine somnum.* Coloriæ & tenues vestes fuere *lupanarium insignia, meretricum ornamenta*, Cyprian. de Hab. Virg. unde Syrus apud Petron.

Æquum est induere nuptam ventum textilem?
Palam prostare nudam in nebula linea!

Denique apud Athenienses scortorum Lex fuit, ἀνθινὰ φορεῖν, unde nostrum vernaculum, Hur im rothen Rock. Meminit legis Suidas. Posterius non satisfacit. Quærendum enim porro, quem in usum confecerit? an præcinctui? ampliandum censeo. Non displicet Hebræorum opinio, *quod noctu, cum fores juvenum protervitati* [vide Horat. lib. 1. oda 25.] *clausisset, amasios eo fune per fenestram attraxerit*, ut Hero Leandrum suum — πολὺ πύργον ἀνήγαγεν apud Musæum.

VI. *An hircus emissarius coccinea vitta redimitus fuerit?* Scilicet, cum in desertum duceretur; ajunt Hebræi, & addunt; Coccinum, si Deus populo suo esset propitius, e vestigio in album colorem demutatum, idque populo in castris demoranti, per cornicines in deserto usque

que in castra & urbem Sanctam dispositos, significatum fuisse. Pro fabula traducit Corn. a Lap. in Levit. XVI. Videntur tamen alludere Prophetæ, & Cornicines isti præfiguraſſe præcones Evangelicos Rom. X. 18. Esai. LII. 7. Nahum. I. ℣. ultim. Vitta coccinea nostra peccata. Esai. XVIII. Vir, qui hircum Apopompæum abduxit, Christum, missum ad prædicandum *Schenath-Razon, annum benevolentiæ ac amicitiæ divinæ*, Chaldæus, Esa. LXI. 2. Meminere ritus & miraculi *Tertullianus contra Jud. & lib. III. contra Marcion.* [ubi ait: *Hircum hunc coccino circumdatum, maledictum & conputatum & convulsum a toto populo, notatum fuisse manifestis indiciis Dominicæ passionis*] ut & *Fagius in Levit. l. c.* & *Jac. Capellus in Vindic. pro Casaubon.* &c. Abrumpo, ne limbus hic purpureus togæ nostræ modulum excedat.

SACRO-

SACRORUM ANALECTORUM

LIBER IV. MYTHICUS,

CAP. I.

De Creatione Hominis.

ELegans & vetus, sed sui parte in meo libro truncata, fabella est apud Hyginum Aug. Libert. fabular. lib. 1. num. 220. *Cura*, inquit, *cum quendam fluvium transiret, vidit cretosum lutum, sustulit cogitabunda, & cœpit fingere hominem. Dum deliberat secum, quidnam fecisset, intervenit Jovis: rogat eum Cura, ut ei daret spiritum. Quod facile ab Jove impetravit. Qui* [forte, Quoi, cui,] *cum vellet Cura nomen suum imponere, Jovis prohibuit, suumque nomen dandum esse dixit. Dum de nomine Cura & Jovis disceptarent, surrexit & Tellus, suumque nomen ei imponi debere dicebat, quandoquidem corpus suum* [de suo] *præbuisset. Sumpserunt Saturnum judicem, quibus Saturnus secus videtur judicasse: Tu Jovis quoniam Spiritum dedisti, corpus recipito:* [Sic editio Commelini 1599. legendum vero videtur; Spiritum recipito: Tu Tellus quoniam corpus dedisti, corpus recipito.] *Cura, quoniam eum prima finxit, quamdiu vixerit, Cura eum possideat; Sed quoniam de nomine ejus controversia est, Homo vocetur, quoniam ex humo videtur factus esse.* Multa insunt vestigia priscæ Theologiæ. Homo *animal rationis*

nis amicum formatur virtute Dei, limatur in artus, ut canit Dracontius in Hexaëmero: non sine cura & consilio:

> *Tunc faciamus, ais, hominem: dic, Optime, cum quo*
> *Conloqueris? Clarum est jam tum Tibi Filius alto*
> *assidet in solio, & terras despectat amicas*, &c.

Hilarius in Genesin ex Proverb. VIII. 22. 31. Nomen Adami a materia, quæ terra fuit rubra, Cretæ similis Cimoliæ, ejus generis quod ad purpurissum inclinat. *Mater est Terra, ea parit corpus, animam æther adjugat*, Facuvius in Chryse. Inde, ut Salomoni concinit Lucretius,

> *Cedit item retro, de Terra quod fuit ante,*
> *in terras: & quod missum est ex atheris oris*
> *id rursum cœli rellatum templa receptant.*

Denique assiduus & accubuus homini comes hæret, *neque*

> *decedit aerata triremi, &*
> *post equitem sedet atra cura.*

Eccl. XII. 7. Sirac. XLI. 2. &c.

CAP. II.

Primus Homo Pisciformis.

DE primo generis nostri auctore multæ sunt Hebræorum fabulæ, quæ alias Arabum, Græcorum, Indorumque peperisse videntur. Illa cumprimis celebris, quæ & patronos quosdam e Christianis reperit; *Gigantem fuisse, pedibusque permensum vastum Oceanum, ex insulari nescio quo Paradiso, in orbem hunc nostrum commeasse*, Pererius in Genes. cap. II. 7. Hinc, non dubito, fabella orta, quam ex Helladio Besantinoo, l. IV. Chrestoma-

ſtomathiæ, recitat Photius Cod. 279. *Narrat virum quendam, nomine Oën, in rubro mari viſum, habentem cetera membra piſcis, caput vero & pedes & manus hominis, & oſtendiſſe aſtronomiam & literas. Quidam dicunt, inquit, natum illum eſſe e primo parente nomine Oi, quod & nomen teſtetur: hominem autem revera fuiſſe, ſed piſciformem viſum, quod piſcis pelle eſſet indutus.* Adamum & Sethum aſtronomiam & literas reperiſſe, prodidit Joſephus quoque lib. I. Antiquit. cap. 4. Piſcis exuvio indutos fuiſſe, etſi excogitatum videatur, ut fabula cohæreret, quod e mari emerſerint, tamen ad duplex hominis myſticum indumentum referri poſſit: Nam & fragilitatem induit ex peccato, quæ piſcis pelle non inepte indicatur: Nihil eſt quod citius putreſcat carne piſcium, quales illi Auſonii in Moſella,

Non duraturi poſt bina triboria corvi:

Piſcis, ajunt, *niſi recens, nequam eſt:* & juſtitiam ac immortalitatem in Jeſu Chriſto, qui per initiales nominis ſui literas *ἰχθὺς piſcis. Sed & nos piſciculi ſecundum ἰχθύν noſtrum Jeſum Chriſtum in aqua naſcimur*, Tertullian. de Baptiſmo c. 1. ubi & Chriſtum induimus. Sed de his, ut & de nomine *τῦ πρωτογόνε, cur Ous dictus videatur*, alias.

CAP. III.

De Adamo fabella Indica.

ZEilani apud ſe ortum Adamum gloriantur. Eſt autem *Zeilan* inſula Indiæ Orientalis, e regione Promontorii Commorini, quod Calecutium regnum claudit, ſita, nec lato mari disjuncta. In ea mons præcelſus caput inter adjacentes alios longe effert, *Adami Cacumen* vocant. Hujus e ſummo faſtigio collis aſſurgit, dulces

velut

velut ex umbilico & perennes aquas effundens. Juxta silex visitur, *impresso hominis vestigio*, longitudine duarum spithamarum. Hoc ferunt ab Adamo relictum posteris monumentum, cum illic in Cœlum adscenderet. Sed & spelunca prope ostenditur, in qua lapsum suum diu defleverit. Opinio ea ita per Orientem omnium occupavit animos, ut Saraceni, Paganique sacris peregrinationibus locum frequentent. Ac quoniam neque pedibus accessus est, nec manibus licet adrepere, ita arduus in Cœlum minatur collis iste, scalis catenisque adjuti conscendunt, sua quisque crimina in sacra illa specu deploraturi. Insulam Arabes *Tenarizim* appellant, quasi dicant, πάσης ἡδονῆς ταμιεῖον, ut Damascenus Paradisum, vel ad verbum, *Terram deliciarum*. Cetera, ut fabulosa, mitto, hoc prudenter, quod flendi materiam quæsituri tristissimum Adami lapsum & primæ beatitudinis jacturam sibi ante oculos statuerint. Ea de causa *Adamum* jam expulsum in lacrymarum vallem *jussit Deus e regione Paradisi agere, ut pristinam vitam dolore carentem in memoriam revocans, odio peccatum persequeretur, tanquam laboriosæ hujus & ærumnosæ vitæ auctorem*, Theodoretus, in Genes. cap. III. 24.

CAP. IV.

Paradisi Topographia fabulosa.

ABdiæ *primi*, ut ferunt, *Babyloniæ Episcopi, & Apostolorum discipuli*, trita est multorum manibus historia de *Gestis Apostolorum*, quam adeo antiquam jactant quidam, ut *Lazius* dubitarit, *utrum sua Abdias ex Luca, an Lucas ex Abdia sumpserit?* Quis ille fuerit, qua fide & auctoritate, ex uno loco palam fiet, ut *ex ungue*, quod ajunt, *leonem*. Paradisus, *inquit*, deliciarum eminet omnibus montibus, & vicinus Cœlo est: neque habet aliquid

aliquid in se, quod possit esse saluti hominum inimicum. Non aves terrentur ad sonitum hominis, & adspectum. Non spinæ nascuntur & tribuli. Non ibi rosæ marcescunt & lilia. Non aliqui ibi prætereunt flores. Non anni senectutem generant ætatibus. Non labor fatigationibus subjacet. Non infirmitas aliqua sanitati succedit. Tristitia & fletus & mors ibi penitus locum non habent. Auræ enim, quæ ibi sunt, blandiuntur potius, quam perflant, & æternitatem naribus inferunt. Nam sicut thymiamatis fumus excludit putores; ita nares ibi exspirant vitam æternam, quæ non permittit hominem neque fatigationem incurrere, nec dolorem; sed semper æqualem, semper juvenem, semper lætum, semper immobilem permanere. Sonant ibi organa Angelorum, & voces mellifluæ auribus inferuntur. Serpens ibi locum non habet, non scorpius, non Phalangius, non musca aliqua saluti hominis inimica est. Famulantur ibi hominibus leones, & tigrides & pardi, & quicquid homo jusserit avibus aut feris, quasi charissimo & dilecto Dei mox obtemperant, cum reverentia, jussioni ejus. Quatuor quoque flumina inde fluunt, unus fluvius dicitur Geon, secundus Physon, tertius Tigris, & quartus Euphrates. Hi omni genere piscium abundant. Nullus ibi est latratus canum, nullus leonum rugitus, omnia blanda sunt, omnia mansueta, omnia quieta. Nunquam ibi facies cœli nubium tegminibus obumbratur: nunquam ibi fulgura coruscant: nunquam tonitrua concrepant: sed est ibi exultatio sine fine, & festivitas, quæ terminum non habet. Tandem *pro condimento fabulæ* adjecit Dominum Nostrum vicisse mortem moriendo, ut Paradisum resurgendo aperiret. *Jam ut nemini fieret dubium*, ita pergit, *illuc omnes in Christum credentes intrare, primo latronem ipsum Christus induxit, cum in ligno crucis positus lignum prævaricationis excussit, ceterisque omnibus*

Paradisum animabus sanctis de hoc corpore exeuntibus aperuit. Deniq; in die novissima resurgentibus etiam regna cœlestia, ut intrare valeant, patefecit. Hæc ille, tam verus Abdias quam verus interpres ejus *Julius Africanus*, quem se inficetus Scriptor, quisquis fuit, insciti ssime finxit. Nam & Græcus fuit ille, & antiquior, quam ut vulgata Latina versione uti potuerit, quam hic toties exscripsit. Denique cujus coloris sit vel hic locus manifestat, in quo Græcorum Armenorumque palpabiles errores *de statu animarum separatarum*, & verbo ἅδὲν ὑγιες.

CAP. V.

Virtutis mons & cur in palmæ stet vertice?

Q. *Calabri de Achillis clypeo ejusq; emblemate* elegantissimum carmen est *l. V. Prætermissor. ab Homero v. 50.* ubi interprete *Rhodomanno*, ut in celebri argumento palmam Magnis etiam ante se poëtis faceret dubiam, sic cecinit:

Adhæc in divino hoc opere formatus erat celsissimus
Et asper mons virtutis, in quo ipsa
Stat palmæ vertici pedibus innitens,
Ardua & ad cœlum pertingens: Via circum circa
Omnes, crebris intercluſæ scopulis,
facilem hominum accessum arcent. Nam plurimi
retro cedunt, arduo itinere absterriti,
& perpauci sursum per sacram viam ascendunt
sudantes.

Duo observo ad Sacrarum literarum illustrationem facientia. I. *Virtutis est mons arduus*; Virtus enim durioribus negotiis enitescit, & aspernatur declivem facilitatem, maximoque sudore arduum laudis adnititur, *Symmachus*

machus l. IX. Epist. 81. quod ex Silii versibus elegantissimis expressit:

Explorant adversa viros, perq; aspera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Jucundissimi sunt quoque in eam rem *Nonni* versus:

Νόσφι πόνων ϰη ἔστιν ἀνέμβατον ἄϊθερος ναίειν,
Οὐ πέλε ἐηιδίη μακάρων ὁδός &c.
Absq; labore Poli conscendere celsa negatum est,
Nec datur ad superos facilis via!

Vide *Dausquei annot. in Q. Calabr.* Sic apud Hesiodum quoque, ut notum,

Virtutem posuêre Dii sudore parandam.

Quo & illa pertinent: *-- tendit in ardua virtus!*

Ardua per præceps gloria vadit iter:
Non est e terra mollis ad astra via.
Non juvat e facili lecta corona jugo.

Ergo, *ut apud Valer. Flac. l. IV.*

Surge, age, & in duris haud unquam desice!
Mox aderis, teq; astra ferent.

At vitiorum via publica, *strata, lapidibus complanata est*, Sir. XXI. 11. Sed *exitu sub ipso æternæ stant tenebræ, & immane hiat infernus*, ibid. Virtutis trames *totus lucidus*, quamque in principio difficilis est, tam in medio expeditus, in fine vero jucundius fit, Prov. IV. 18. 19. & VII. 27.

Prima viæ facies inculta, subhorrida, tristis,
Difficilis, sed fine sui pulcherrima, & amplis
Prædita divitiis, & abundans luce perenni,
Et quæ præteritos possit pensare labores:

At illa sinistra impiorum, est

Devia, picta bonis brevibus, sed fine sub ipso
Tristis, & in subitam præceps immersa Charybdim:

Prudent. II. contra Symmach. v. 885. Arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam: durus & arduus limes, qui

tendit ad gloriam. Per hunc vitæ limitem Martyres pergunt, eunt virgines, justi quique gradiuntur. Lata & spatiosa itinera viæ lethalis : Illic illecebræ & mortiferæ voluptates: illis Diabolus blanditur, ut fallat: arridet, ut noceat: illicit, ut occidat, *Cyprian. de Hab. Virg.* Via virtutis, qui veritatem amare incipiunt, aspera & molesta apparet; non quia talis sit, sed quia natura humana statim ab ipso ortu in laxitate voluptatum versatur; iis vero qui medium ejus transire possunt, tota lenis & expedita ostenditur, *Diadochus Episcopus Photicens. de Perfect. Spirit. cap.* 93. Mitto pervulgata *de Herculis bivio*, quod *Prodicus Ceus Sophista* descripsit, in libro, cui titulum inscripsit, Ὧραι *apud Suidam*: & illud Ausonii;

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni
Humanæ speciem vitæ præferre videtur, &c.

Quo fine pingitur Y Græcorum litera bicornis, dextro cornu recto, primum angusto, sed in fine lato, cui corona superstat; sinistro vero primum lato, sed paullatim attenuato, & in arcum curvato, cuspide exili, cui flamma imponitur. Quæ ad celeberrimum illud Domini dictum Matth. VII. 13. 14. adtuli, quod in omnium medullis merito sedeat:

Ite per angustam justi super æthera portam:
Quod lata & spatiosa via est, quæ limite lævo
Præruptum convolvit iter caligine mortis;
Innumeraq; illam penetrant per prona caterva:
Vitalis vastis stipatur semita saxis,
Celsaq; vix paucos ducit per scrupea virtus, &c.

Juvencus l. Hist. Evang.

II. *Est virtutis in palmæ vertice status*; quo mihi emblemate videtur Poëta voluisse indicare virtutis non modo difficultatem, sed & sibi sufficientem ad omnia opulentiam

tiam, & invictam nullisque malis cedentem constantiam. *Phornutus de Nat. Deor.* ait Musas palma coronari, Διὰ τὸ τρυφερὸν καὶ εὐεργὲς, καὶ ἀνίζωον, καὶ δυσπαράβατον, καὶ γλυκύκαρπον τὸ φυτόν. Difficilis enim ascensu palma, non quia cortice sit scabro, cultellato, & manus lædente, ut vulgo pingi describique solet, sed quia caudice tereti ac simplici altissime assurgit, ut & palma Indica coccifera, *vide Joh. Bapt. Portam in Villa l. 5. cap. 23. Garsiam & in arom. Histor. l. 1. cap. 26. & Clusium ibid. in Not. pag. 9. D. Raineſi l. 2. Var. lect. cap. 9.* Notum autem palmam tot habere utilitates; quot in anno sunt luces; eamque nulli cedere oneri, de quibus alias. Denique in vertice stat, quia, ut S. Prosper cecinit,

Palmam, qua capitur gloria, finis habet.

Mox plura in hanc rem. Hic desino.

CAP. VI.

De utriusq; Romæ Veteris & Novæ excidio prisca Judæorum traditio.

QUod Jeremias Prophetarum ille πολυπαθέστατος, ut audit apud Isidor. Peluſiot. l. 1. Epist. 298. Threnorum IV. 21. 22. cecinit.

Gaude & lætare Filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoq; perveniet calix, inebriaberis atq; nudaberis.
Completa est iniquitas tua, Filia Sion, non addet ultra ut transmigret te: visitavit iniquitatem tuam Filia Edom, discooperuit peccata tua.

Id in Chaldæa Paraphrasi sic habet: *Gaude & lætare* קושטנטינא *Custantina urbs Idumææ impiæ, quæ ædificata es in terra Armeniæ, inter multas turmas populi Idu-*

mæa: super te quoq; futurum est, ut veniat ultio; & desolabunt te Parchevæi, & transibit super te calix maledictionis, &c. *Et postea complebitur iniquitas tua cœtus Sion, & liberaberis per manum Messiæ & Eliæ Sacerdotis Magni, & non addet ultra Dominus, ut transmigrare faciat te: & in illo tempore visitabo iniquitatem tuam Roma, quæ ædificata es in Italia, & plena turmis de filiis Edom: & venient Persæ & angustiabunt te & desolabunt te, quia manifesta sunt coram Domino peccata tua.* Meminit hujus paraphraseos. *Franc. Lucas Brugens. Tract. parte post. de Usu Chald. Paraph.* & non nihil operæ in ea enodanda ponit. *An Minerva ducente tænia?* Ex his patescet. Explicat *Targum*, quod *de Edom* dixerat Propheta, pro Hebræorum more *de Romanis.* Quo facit vetus illa παραδοσις: *Roma demum eversa, constabit salus Israelis*, cujus mentio apud R. Kimhi in Abdiam, *Hieronymus* suo jam ævo observavit, Hebræos frivola persuasione semper in Idumææ nomine Romanos demonstrari existimare, *in cap. XXI. Esai.* Confer *eundem in Abdiam. Frivola*, ait, *persuasione:* Sane, si ex *Duma*, faciunt *Romam*, mutata litera ד *Daleth* in assimilem ר *Resch:* aut si Romanos Idumæorum a stirpe derivant, *Idam* Trojæ montem, cum montibus *Edom*, ut puto, confundentes; *ut Tacitus ab Ida Cretæ Judæos dictos* putat, Placet tamen *Merceri in Abdiam* sententia, quæ de *Edom & Esau* prædixerint Prophetæ, *pertinere omnino ad AntiChristum; non illum qui aperte*; [quem non dubium sit Turcam esse] *sed qui sub Christi nomine & per hypocrisin Christum oppugnaturus erat*, qua de re, suo loco. Redeo ad Paraphrasin, quæ de Romanæ gentis exitio actura, distincte describit ἄλωσιν i. *Novæ Romæ*, quam vocat urbem *Constantinam.* At non ea Constantinopolis est: *in Armenia namq; sitam ait*, ita Franc. Lucas l. cit. *In Armenia*, fateor: ait eam conditam in terra ארמינאה *Arminaa.* Sed id vel subdole,

dole, ne turdus sibi cacaret malum; vel pro more Hebræorum aliarumque gentium, quæ peregrina & barbara vocabula ad suas linguas solent inflectendo corrumpere. *Romaniam* dicere voluit & & debuit. Sic *Thracia* dicta, ex quo Nova Roma in ea sedem sibi fixit. Sed quinam illi sint פרכואי *Parchevæi*, quos Constantinopolin eversuros auguratur Paraphrastes, nescio, & qui bene conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum. Potentem & famosum aliquem populum, ac jam tum, cum scriberet ista Hebræus, Romano nomini formidabilem fuisse, credo, oportet. In mentem venere *Parthi*, quorum regionem a Carmaniæ desertis, & Perside, dirimit mons *Parchoatra, apud Ptolom. l. VI. cap. VI.* Mox cogitavi *Francos*, quos ex antiquis vaticiniis hodieque metuunt Turcæ, imperii sui eversores fore. Illi jam *sub Aureliano Imp.* (nam altius adscendere non est opus) per totam vagabantur Galliam, *ut refert Vopiscus in Aurel.* Sub Constantio Romanis multum facessebant negotii *Ammian. Marcellin. l. XVI.* Confer dicta supra l. II. cap. VIII. פרך *Perech* Hebræis ferocia dicitur, & barbara asperitas, Francorum propria. *Suevus acer Francus & horridus.* Ubi nunc est illa ferocia? ubi semper infida mobilitas? *ait de Francis Eumenius in Panegyr. Constantino* dicto: fidem ridendo frangere solitos *scribit Vopisc. in Proculo.* II. Alterum vaticinium Paraphrastæ *de interitu veteris Romæ* nihil habet admodum difficile. *A Persis* evertendam dicit. De Babylone Persidi vicina venturum AntiChristum, præter alios *Hieronymus* arbitratur, & brachia pugnantis populi Romani, expugnãda ab eo & conterenda ex Daniele intelligit, *in cap. XI. Dan. Ita Fr. Lucas l. c.* sed Roma ea ipsa Babylon est, sedes AntiChristi, non ab ipso, sed a Persis mysticis expugnanda & desolanda, ut Babylon olim, *sic S. Johannes Apocal. XVI. 12. & XVII. 12. 16. & XVIII. 2.* Nam excidium Babylonis per Cyrum; signi-

ficabat mystice excidium Romæ Ethnicæ in fine mundi *ait Corn. a Lap. in cap. XVIII. Apoc. l. c.*

CAP. VII.

Fabulæ quædam de Muhammede & aliæ cum Pontificiis collatæ.

SErio queritur *Melchior Canus Episcopus Canariensis*, ejusque epitomator *Cornel. Loosæus lib. IV. Institut. Theolog. cap.* 19. Monachos illos fabulatores *Ecclesiæ Christi vehementer incommodasse, qui res Divorum* [Sanctorum Martyrum &c.] *præclare gestas non se putârint egregie exposituros, nisi eas fictis, & revelationibus, & miraculis adornârint. Quod quidem nonnulli ita gnaviter impudentes exsequuti sunt*, ut, quæ Diabolus ipse vel paganis scriptoribus vel Muhammedicis suggessit mendacia, ea interpolare, & in historias suas referre, mutatis tantum nominibus, nihil veriti sint. Nec novitia hæc est fingendi libido. Fuere jam illiusmodi *nugivenduli* ante mille annos, a quibus etiam *Gregorii Rom. Pontif. Dialogorum auctoris* egregie illusa fuit credulitas. Exemplis rem in aprico locavit *Johann. Rivius Athenodorens. de Vetere Superstit.* Legerat aut audiverat aliquis fabularum consarcinator *apud Lucianum in Dialogo*, qui inscribitur φιλοψεύδης narratum, *de Cleodemo*, qui per hiatum quendam ad inferos deductus, & tribunali præsentatus, cum Pluto nomina morituorum percensens, ipsum *pro Demylo fabro* adductum ex errore, recognovisset; redire jussus, febrique liberatus fuerit, substituto isto Demylo. Hoc ipsum fatum suum fuisse, narravit nugigerulus Gregorio, quem tamen *virum illustrem nomine Stephanum*, ait fuisse, Constantinopoli se diem suum obire visum, ad inferos ductum fuisse, mox cum Judex, non hunc adduci

duci sese, sed *Stephanum ferrarium* jussisse, indignabundus pronunciasset, & se revixisse, & ferrarium illum defunctum fuisse. Sic Gregorius ille divinare quosdam appropinquante morte *Terentii* cujusdam exemplo confirmat, quem mortifero morbo implicitum per quietem, ait, vidisse indutos quosdam albo amictu viros, unde cognôrit; quinam brevi de fratribus excessuri e vita forent, nominaque experrectum dixisse singulorum. Quod an non plane simile illi est, quod *apud Ciceronem* alicubi *Possidonium* affirmare testatur *Q. Frater!* fuisse scilicet Rhodium quendam, qui moriens sex æquales nominarit, & dixerit, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset. Quo exemplo Possidonius divinare morientes & futura augurari confirmat. Hæc & alia *Rivius l. cit.* Sic qui *Dominicum* ferunt adeo ardenter solitum orare, ut Spiritus ad Deum elevatus, elevaret & corpus in aëre pendulum, *vide Cornel. a Lap. Proœm. Minor. Prophet.* annon paria videntur facere voluisse cum illis, qui *Jamblichum* fingunt inter precandum a terra sublevatum πλέον ἢ δέκα πήχεις *Eunapius Sardian. in ejus Vita.* Qui *Vincio* aquilam comitem adjunxere, ut in Jesu Mariæ **Rosencrantz** / &c. nunquid forte Pythagoram præ oculis habuere? de quo *Ammian. Marcell. lib.* 22. femur suum apud Olympiam aureum sæpe monstrabat, & cum aquila colloquens subinde visebatur, &c. Innumera sunt de genere hoc, adeo inter se gemina, ut non possit lac lacti similius esse, non ovum ovo. Sed de Turcarum Pseudopropheta tria tantum adjicio, quibus in Pontificiis Legendis alia similia occurrunt, ut eodem spiritu ficta, aut facta esse colligere proclive sit. Natum hunc suum Prophetam sic perhibent, ut sine matris parturientis dolore effusus e bulga statim in vultum pronus ceciderit, dicens: *ô mater mea!* & mox erecto capite: *Testor, non esse Deum, nisi Deum unum, meq; ejus esse Apostolum!* Sic Abunazar

apud *Hottinger. Histor. Orient. l. 1. c. VI.* addit sceleratissimus mendaciorum Sutor, ut præferret Muhammedem suum Domino nostro: *locutum in nativitate matri; Prophetam, Deo.* Fabellam, quam attingit, *Euthymius Zigabenus in Panoplia* breviter recitat: *Dicit Pseudopropheta, Mariam sororem Mosis & Aaronis juxta palmam peperisse Christum, & cum desponderet animum ob dolores partus, Christum ex utero ipsam allocutum esse, jussisseque palmam concutere, & comedere de fructibus ejus.* Sic fabula peperit fabulam. Accipe aliam: Cum esset sub potestate amitæ Halimæ puer quatuor annorum, die quadam cum filiis ipsius in pascua progressus est, ubi stantem solum Angelus Gabriel, humana figura & veste nivea indutus, accessit, manuque ejus comprehensa post colliculum quendam abduxit, & pectus novacula illi exemit, indeque *atram illam guttam* abstulit, quam omnibus hominibus Mauri volunt inesse, & ea Diabolum illos tentare. *Ac Angelus Mahometem ea propterea liberavit, ut nunquam a Dæmone posset exagitari, cor autem mundatum in pristinum locum reposuit*, &c. refert Johannes Andreas ex Mauro Sacerdos Hispanicus factus anno 1487. *in confus. Sectæ Mahometan. ex libro Azaar*, quo vita impostoris hujus continetur. Vis paria reponam ex historiis Pontificiis? Scripsit vitam *Nicolai Subsilvani Petrus Hugo e Soc. Jesu Sacerdos*, editam anno 1636. Friburgi Helvet. in ea refert vidisse hunc Anachoretam in utero materno cœlum suis luminibus distinctum, & inter cetera sidus augustius: eundem vix natum, cum primis aquis ablueretur in pedes erectum, sine ulla ope, longo tempore stetisse, novisse jam tum matrem, didicisse viam, qua delatus fuerit ad ædem Kernensem piaculari unda tingendus, observasse vultus Sacerdotis & patrinorum &c. *cap. III. & IV.* Dubitas? accipe statumina & ferramenta. *Clumacensium monumenta memorant S. Gerardum nondum natum*

natum claris vocibus & gemitibus parentes, reliquosque iis assistentes perculisse. S. Vincentius e materno utero velut suggestu vitia mortalium allatrare auditus est. Annales Franciscanæ familiæ produnt, Jacobum a Marchia Anconitana, virum sanctitatis eximiæ, propriam etiamnum gravidam matrem, prædones fugientem, ex utero viva voce solatum esse, ac monuisse ne timeret, lento pede viæ insisteret, inoffensam domum perventuram. hæc ibidem. Præstruxerat *Jeremiam & Baptistam*, ut & cum primis *Servatorem nostrum, ejusque intemeratam Genitricem, rationis una ac sanctitatis compotes jam tum in maternis visceribus fuisse*, de quo alias. Cordis exempti & alterius inditi varia exempla refert *D. Benedictus Haefftenus Præpositus Affligenienſ. Scholæ suæ Cordis lib. III. lect. 1. pag. 309. & seqq.* Memorabile illud, quod Christus visibiliter apparuerit, e sacello Ecclesiæ egredienti, *Catharinæ Senensi*, cor suum aperto ejus pectori inserens, cum his verbis: *Ecce filia mea, habes pro corde tuo cor meum!* De S. Gertrude, Mechtilde, Lutgarde similia ibidem legere est. Pro epitheca addo, quod uti Turcæ Muhammedis sui sepulchrum Mecchæ inter cœlum & terram pendere sublime jactabant, sic de *Waltherio Aquilejensi Patriarcha Sabellicus lib. V. de Vetust. Aquilejæ*, memorat, ejus marmoream arcam aliquamdiu nullo adminiculo fultam, in aëre pependisse.

CAP. VIII.

David verus Orpheus.

FUit hoc singulare Diaboli artificium, ut ex veris sanctorum Dei virorum historiis mendaciſſimas concinnaret fabulas, ut & Deo gloriam miraculorum suorum interverteret, & suos asseclas in choragium produceret, quo

quo haberet, quos Dei fidelibus posset opponere. Exempla nunc non coacervo, dabo forte alias plura. Nunc *Orphea* videamus Davidicæ gloriæ quasi pennis vestitum. Quis ille fuerit, pluribus exsequi nec vacat, nec lubet, videndus *Natalis Com. Mytholog. l. VII. cap. 14.* Tantum observo, quicquid in Orphea laudis congestum fuit, Davidi aut proprium aut debitum fuisse. Celebratur I. fuisse *filius Calliopes*, non ejus, quæ Pieri filia fuit, sed Musæ, quam Mnemosyne genetrix peperisse fingebatur Jovi.

A Jove principium Musæ, Jovis omnia plena!
Est Deus in nobis agitante calescimus illo;
Sunt etiam qui nos Numen habere putant. &c.

Nota Poëtarum σφάλματα sunt. Vera autem vatis divini gloria illa: *Spiritus Domini locutus est per me!* 2. Sam. XXIII. 2. II. *Silvas ferasque cantu traxisse* fingitur: Phœdrus l. III. Fab.

Qui saxa cantu movit, & domuit feras,
Erebique tenuit impetus dulci mora.
Et sensum scopulis, & silvis addidit aures.
Et diti lachrymas, & morti denique finem.

Manil. l. V. Astronom. Nam ut *Eurydicen* conjugem [qua affectuum pax & mentis æquitas indicabatur] ab inferis reduceret, serpentis morsu ereptam,

— *Manesque adiit Regemque tremendum*
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda;

Virgil. IV. Georg. Nugæ meræ & gerræ plusquam Siculæ: Audiamus fabulatorum Mahumedem de Davide; ait, *Flexisse Deum in ejus obsequium montes, congregatas etiam fuisse ad eum aves, omnia ei devote obsequuta, & cum eo sæpe laudes Dei matutinas ac vespertinas decantasse*, vide Hottingeri Histor. Orient. l. I. cap. 3. ubi *Kessæus*

sanus Arabs Alcorani Interpres, idem affirmat. Ita Turcæ tam impie ex Davide fecerunt Orphea, quam Græci ex illius historia hujus fabulam confinxerunt impudenter. Vere autem dici potest traxisse Davidem saxa & montes, & sensus movisse acrium ferarum ad laudem Dei, quod toties omnia animata & inanimata ad celebrandum secum Deum exhortetur, ut Psalm. CXLVIII. Sic cum III. Orpheo tribuuntur *varia ad Religionem & cultum DEI inventa*, ἔυρηκέναι πλετὰς θεῶν, καὶ ἔργων ἀνοσίων καθαρμὸς, νόσων τε ἰάματα, καὶ τροπὰς μηνιμάτων θείων, ut scribit *Pausan. in Bœotic. lib. IX.* Psalmorum Davidicorum argumenta & efficaciam videor descripta me legere. Conferat cum istis inventis Orphei *elogia Psalmorum Davidicorum*, apud Basilium M. in præfat. qui volet, illa in primis: ψαλμὸς ψαλήνη ψυχῶν, δαιμόνων φυγαδευτήριον, ὅπλον ἐν φόβοις νυκτερίνοις. &c. ἀγγέλων ἔργον, ἀφάνιον πολίπυμα. πνευματικὸν θυμίαμα &c. Jam IV. inter alia præcipue famam meruit Orpheus, quod *homines docuerit* φόνων ἀπέχεσθαι, *& Deum sine sanguine animalium colere, & promiserit per certa mysteria* εὐδαιμονίαν *ex hac mortalitate abeuntibus*: De utroque argumento diversi agunt Psalmi, de sacrificiis ἀναιμάκτοις de qua doctrina nihil ante Davidem in sacris paginis legitur, vide Psalm. L. LI. & LXIX. &c. de beatitudine, Psalm. I. XXXII. CXIX. &c. Possem huc referre fabulam de Orphei *contra Sirenes victoria*; nam cum illæ Argonautas cantu suo jam fere obstupefecissent, iste Lyra aut Cythara sua Deorum exorsus certamina canere, effecit, ut pudefactæ obmutuerint,

Abjecit manibus Chelyn altera, & altera lotos,

Vide *Orphei Argonaut. apud Natal. Comit. lib. VII. cap. 13.* Sed illud quoque quod Pausanias scribit, ad rem facit: *Ajunt Thraces, luscinias, circa Orphei sepulchrum nidulantes, suavius quam cæteras cantillare, loc. cit.* Nec prætereunda

tereunda fabula alia Thracum: *Orphea leonibus & lupis difficulter persuadere potuisse, ut sequerentur: Oves autem & aves sponte sequutas nunquam discessisse; itaque Calliopes ad Jovem precibus, in homines fuisse mutatas*, referente *Dione Prusæo Orat. 32.* quæ quam venuste ad Davidem aptare liceat, nemo puto non videbit. Hæc, ut soleo, παρέργως.

CAP. IX.
Ex Sione ficta gloria Parnassi.

EDidit *Adrianus Vander Burchius* anno Dom. 1586. *Petri Apollonii Collatii Presbyt. Novariensis de Excid. Hierosolymæ*, Epicum carmen, non invenustum. Quem refert a Margarino in Biblioth. Patrum sub VII. Centenario locatum, quod ante annos abhinc fere mille scripsisse eum putasset. Quam recte non liquet. *Apollonii Collatii Fastos Scaliger* recenset *in Hypercritico*, ac ponit eum inter recentiores nostrorum temporum Poëtas, qui post humaniores literas renatas laurum momorderunt. Ille describens Judæam & urbium ejus facta mentione, hæc intulit:

Celsior at cunctis, Libyæ ceu montibus Atlas
Exstabat Solyme, medium telluris apertæ
Credita habere locum, titulo quoque Delphica quo se
Insula jactavit magnis auctoribus olim!

Videtur observasse, quod in schedis meis olim annotaveram, *Delphos* oppidum Phocidis aut Bœotiæ sub monte Parnasso *Clarissimum in terris oraculo Apollinis*, ut ait Plinius l. I. cap. 3. memorabile Diaboli artificio, oppositum fuisse urbi, urbium Reginæ orbis ocello, Hierosolymæ, & Parnassum ipsum Sioni. Non vacat exsequi, quam id callide aggressus sit ὁ μυελοπεχνίτης, ut erectis Delphis obstrueret Solymorum luminibus. Primo in ipso nativo *situ*

vo *ſitu* aliqua erant ſimilia. *Urbs Delphorum quavis ex parte in clivum reſupinatur. Sacrum Apollinis ſeptum in ſuprema urbis parte eminet*, ait Pauſan. in Phocaic. l. X. Non procul aberat *Cephiſſus amnis & fons Caſtalius!* Lilæenſes in Cephiſſi fontem bellaria & alia more majorum ſtatis temporibus annuis porricientes, eadem in Caſtalia aqua rurſus emergentia conſpici tradunt. *Idem.* Parnaſſi geminum jugum fuit, alterum Apollini, alterum Baccho ſacrum. *Herodot. lib. VIII. Alexand. ab Alex. lib. VI. cap. 2.* Bœotia infamis fuit incolarum ſtupiditate, quæ & proverbiis notata, unde illa: *Sus Bœotica, auris Bœotia, Bœotici mores*, &c. *Vervecum Patria* apud Poëtam audit. *Sphynx* id eſt inſcitia olim perdidiſſe, antiqua fabula perhibebatur, *vide Dion. Pruſ. Orat. 10.* Operam & oleum perdo, ſi Hieroſolymam prolixe nitar comparare. Quis neſcit eam in montibus ſitam, & acclivem fuiſſe? Quis duo juga Sionis & Moriæ? Quis Templum urbi ſupereminens? Quis Jordanem fontemque ejus Paneadem & Phialam, de quibus *Joſephus l. III. belli cap. 18. & Adrichom. in Trib. Manaſſe num. 76.* ubi de Jordanis fonte eadem leges, quæ de Caſtalio audiviſti. Denique Cananæorum & Jebuſitarum barbaries ac ſtupor cui non innotuere? Jam electo hoc loco, ubi ſedem figeret ſuperſtitionis & horrendæ Dæmonolatriæ, quid non tentavit Satanas, ut quoquo modo eum parem faceret urbi ſanctæ, quam Deus elegerat, ut arx quaſi religionis & Eccleſiæ ſuæ metropolis eſſet? Fuit Hieroſolymis ſanctiſſimum Oraculum, *Urim & Thummim*; debuit Delphis quoque eſſe oraculum, quod &ſi obſcœniſſimum eſſet, a toto tamen orbe adibatur. Parnaſſo inde nomen, quod in eo eſſet ſpecus divinationis, a פרע *Para* נחש *Nachas*, ut putabat *Peucerus de Divinat.* Fuit Hieroſolymis auguſtiſſimus Synedrii conſeſſus & Senatus: Delphis eſſe debuit *conventus amphictyonum*, de quo *Pauſan. l. cit.*

In

In templo Hierosolymitano thesauri erant regni, & deposita viduarum ac pupillorum. In templo Delphico similia, *ibid.* Atque ut illic musicis instrumentis assaque voce celebrabatur Deus Opt. Max. sic *Pythios ludos*, in quibus Odas ad Lyram canentibus præmia erant constituta, Delphis instituit serpens ille Pythius *ibid. & Natal. Com. l. V. cap. 2.* Qui gloriam Filii Dei, quam a conditu mundi celebravit Ecclesia, ad se videtur voluisse transferre, cum Apollinem immensum Draconem vicisse commentus est, in cujus victoriæ memoriam

Instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia, perdomitæ serpentis nomine dictos.

Alia ejus generis mitto, ne longior sim: Fabulas quoque Hebræorum *de Sionæo jugo*, sibi vendicavit mille artifex, & Parnasso affinxit. Vide & ride astutiam. Sionæum cacumen eminuisse ex aquis diluvii fabula Hebræorum fuit: Cum omnia cataclysmo inundata essent, peperciisse Deum honori sui montis, imo toti terræ Israëlis: Hinc ex isto jugo allatam Noacho a columba frondem virentis olivæ, inque eo *sacra quasi diabateria* celebrasse Patrem istum novi orbis, cum ad istum montem feliciter transfretaslet. Leges hæc apud *Münsterum in Scholiis ad Genes. VIII.* &c. Eadem de Parnasso & Deucalione memoriæ prodita nemo ignorat, quem & *Larnassum* primitus dictum fuisse notant, quod λάρναξ navis Deucalionæa in eo substitisset - *nam cetera texerat æquor*, ait Ovid.

Hoc solum fluctu terras mergente cacumen
Eminuit, Pontoque fuit discrimen & astris,

Lucan. l. V. quod tamen ex historiæ fide proditum putavit *Orosius l. 1. cap. 9. & Frechulphus l. II. Chron. cap. 20.* Etsi error videatur dedisse fabulæ ortum. Nam *in Paropamiso* arcam Noëticam subsediisse quidam prodiderunt,

runt, quem Dionysius *Parnessum*, Aristoteles *Parnasum* dixere. Atque huc tandem spectat, quod Delphos dixere *Orbis umbilicum*; Nam cum ab orientis & occidentis cardinibus Jupiter regni sui permensurus spatium aut cygnos, aut aquilas duas simul emisisset;

Parnassus geminos fertur junxisse volatus
Contulit alternas Pythius axis aves,

Claud. in Consulat. Manlii Præfat. Natal. Comes l. IV. cap. 10. Quæ de re Varro l. VI. de LL. ubi in M. Vetranii Mauri Notis p. 292. plura, vide & Ciceron. II. de divinat. Quæ Judææ & Hierosolymæ vera fuit gloria. Hic Deus sedem fixit, ut orbis esset Academia, unde Evangelii sonus exiret in omnem terram. Hic stetere pedes Domini, Zach. XIV. 4. *quasi in centro*, cum regni sui peripheriam nullo ambitu claudendam per omnes regiones & populos vellet circumducere. In hoc quasi theatro circumsidentibus omnibus populis spectanda sua exhibebat magnalia, vide Exod. VIII. 22. Psalm. LXXIV. 12. Ezech. V. 5 *& ibid. Hieronym.* ubi ostendit Hierosolymam orbis fuisse umbilicum. Nempe *aperti*, ut dixit Collatius, sive *cogniti*, qui hæmisphærii formam habet; ne quis arguetur in Sphæra medium, & nullibi esse, & ubique, *vide Dalecamp. ad Plin. l. IV. cap. 3.* Nam ut orbis noster extrema habet, sic & medium aliquod. Non loquutos autem Patres, qui in ea fuere sententia, de medio aut puncto mathematico, memores monere nil attinet.

CAP. X.

Sion orbis umbilicus.

HIerusalem terræ umbilicum dixit *Hieronymus in Ezech. c. V. 5.* quod & ex Ps. LXXIV. 12. collegerunt

veteres. *A partib. enim Orientis cingebatur*, ut ait Hieronymus, *plaga, quæ appellatur Asia: a partibus Occidentis, ea quæ vocatur Europa: a meridie & Austro Lybia & Africa: a Septentrione Scythis, Armenia, Perside, & cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium posita est, ut quia notus erat in Judæa Deus, & in Israel magnum nomen ejus, omnes in circuitu nationes ejus sequerentur exempla*, &c. Et vere in medio; quia quasi in illustri orbis Theatro, ut esset universi Academia. Itaque pedes quoque Domini quasi in centro oliveti stabant, Apostoli per omnes orbis plagas ducebant circumferentiam Zach. XIV. 4. Mich. IV. 2. Exod. VIII. 22. Invidit Sioni hanc gloriam Diabolus, transferre conatus orbis medium in Parnassum, & illam ibi Apollinis fatidicam specum. Varro ad illud Ennii: *O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obtines! Umbilicum*, inquit, *dictum ajunt ab umbilico nostro, quod is medius locus sit terrarum, ut umbilicus in nobis, quod utrumque est falsum. Neque hic locus est terrarum medius, neque noster umbilicus est hominis medius*, &c. lib. VI. de Ling. Latin. Fabulam præstruxere veteres huic commento. Jovem regni sui mensuram scire cupidum, vel duos corvos, ut *refert Strabo*, vel duos Cygnos, *ut Plutarchus*, quem Claudianus sequitur, vel duas aquilas, ex utroque cœli cardine emissas metiri spatium jussisse; quas tandem Parnassus conjunxerit. Accedebant monumenta fidem facientia, duæ aureæ aquilæ in eo loco dicatæ, & Lapis candidus erectus, quem Ὀμφαλον dixerunt. Nec fuisse perhibent Epimenidi impune, quod fabulæ fidem detraxerit, canens:

Non est umbilicus quisquam terræve, marisve;
Vel si quis notus Djs, haud mortalibus ullis,

Plutarch. de Orac. Defect. Claudian. in Consul. Manlii, Natal.

Natal. Comes l. IV. Mythol. cap. 10. Vetranius Maurus in Notis ad Varron. pag. 292. &c. alibi plura.

CAP. XI.

Fons Vitæ.

Joh. IV. 14. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet ei fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Qui te, Christe, bibunt, dulci torrente refecti,
Non ultra sitient, sed tamen & sitient:
Nam quos divini satiarit copia verbi,
Hos dulcedo magis pota sitire facit.

Paulinus de Obitu Celsi, ex h. l. & Sirac. XXIV. 28. Hebræi, ut observat h. l. *Capellus in Spicilegio*, Legem comparant puteo aquæ vivæ, *in Targum Cantic. IV. 15.* Et apud *Buxtorffium in Florilegio Hebr.* titulo *Mundus*, est illorum venustum proverbium: *Hominem mundanis solis inhiantem, similem esse sitienti, qui ex aquis salsis bibat:* nam

Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

Sic *Crescit indulgens sibi dirus hydrops.* Sola cœlestia sic satiant, ut & sitim extinguant, & fastidium non pariant. Meminit *fontis vitæ* in suo *Gülustan*, sive *Rosario Persico, Poëta Persarum famigeratissimus Schich Saadi* non semel. *lib. I. cap. 19.* ex versione *Olearii*, nuper edita & cursim perlecta, ait: *Fontem vitæ per angustas, tenebrosas, & inexplicabiles vias emergere: ut adeo nemini in adversis desperandum sit, sed omnibus potius melioris fortunæ vicissitudo longanimiter in spe & patientia exspectanda, cum radix patientiæ amara fructus pariat dulcissimos.* lib. IX. cap. 20. Scitum est in eundem sensum epigramma, quod sic verto:

Si fortuna tonet, tu contra audentior ito!
Nam vitæ mediis fons fluit e tenebris.

Idem l. VIII. cap. 99. Sic ferme loquitur: *Negata divinitus, frustra speres consequi; concessa, vel ubivis locorum obvenient. An ignoras Alexandrum Magnum magno cum labore tenebras permeasse, nec tamen e fonte vitæ hausisse?* Interpres doctissimus annotat *ad lib. II. loc. cit.* ex fabula Persarum Proverbialia hæc orta. Nam post multas expeditiones & dubii discrimina Martis perhibent Alexandrum perveniisse in speluncam *Sullemath* dictam, in qua densissimis tenebris obsepta fontem reperisset *aquæ vivificæ*, cujus virtutem, injecto arefacto pisce, explorarit, qui mox vitam receperit, quo argumento cognitum fuerit, aquam eam immortali mactare vita bibentes posse. Tanto thesauro insperanti oblato frui tamen noluit, qui Deus haberi tanto opere cupiit, & cujus inexpletæ cupiditati unus mundus non suffecit. Sic sitiunt omnes, hic aurum, ille gloriam, alius voluptates, ut apud inferos Tantalus *sitit inter aquas, & poma fugacia captat:* Fontem vitæ, qui jam non in tenebris, sed in clara luce manat, quotus quisque? imo quam pauci sunt, qui non oblatum, & quasi in os infusum, spernant & respuant. Videntur Persæ & Arabes significare voluisse, Alexandrum Macedonem *a Sulammitha*, nempe Ecclesia Judaica, veri Dei & æternæ salutis notitiam haurire potuisse, nec procul abfuisse.

CAP. XII.

Parcarum fabula.

ALludi non raro in Scriptis Prophetarum ad vulgaria proverbia & fabulas omnium ore tritas, nemo negat, & res clamat. Non igitur, spero, vitio vertet quisquam, si quod in Eucharistico carmine Hiskias cecinit,

Soteria

Soteria Deo Opt. Max. solvens: *Præcisa est, velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me:* Esa. XXXVIII. 12. ubi LXX. *Sicut tela spiritus meus recessit, cum a texente succiditur*, &c. confer Fr. Jun. versionem: ad vulgatum de Parcis sermonem retulero. Nota earum fabula est. *Parcæ seu Fata, sic dictæ per antiphrasin, eo quod nemini parcant, tres erant, Domicellæ sorores, quarum una tenebat colum, & nebat, altera filum volvebat, tertia illud rumpebat, & istæ, Clotho, Lachesis & Atropos vocabantur*, Albricus de Imagin. Deor. Antiquissimum fuisse hoc commentum ex Homero constat, *vide Natal. Comit. l. III. Mytholog. cap. 6.* Nec dubito, quin ex παλαίω λέγω & Patrum antiquiorum traditione ortum sit. Ita enim mos illorum fuit, ut in tradendis summis mysteriis συγκαταβάσει uterentur, & liberis suis res maximas obviis ac familiarissimis similitudinibus explicarent. Deus ducit hoc vitæ nostræ stamen annosque nobis net pro arbitrio, & succidit, cum visum est, non opinantibus. Unde *Parcæ & Horæ in Jovis capite positæ*, quo indicaretur fata Jovi parere, & ejus nutu temporum vicissitudines describi, *Pausan. in Attic.* & inter reliqua agnomina *Jupiter Mœragetes* dictus. *Idem in Phocic.* quasi *Parcarum dux & auctor.* Correxisse ergo videtur sanctus Rex tritum Proverbium *de colu Parcarum*, & obelo prænotasse. Quod si Plato fecisset, non incurrisset S. Paulini reprehensionem. *Spes*, inquit, *& Nemesis & Amor atque etiam Furor in simulachris coluntur, & occipiti calvo sacratur Occasio, & Fortuna lubrico male nixa globo fingitur. Nec minore mendacio Fata simulantur vitas hominum nere de calathis, aut trutinare de lancibus. Quod deliramentum ne vulgo imputemus, aut nimium Philosophos admiremur, Platone etiam delirante narratur: qui in gremio anus pensum Necessitatis exponit, & tres ei filias addit concinnantes & versantes fusum, & per fila ludentes*

dentes: hoc scilicet lanificio autumans eas conficere res hominum, & tempora cuique signate detexere. Tantum abusus est humanis auribus arrogantia inanis facundiæ, ut ridiculam anilis fabulæ cantilenam non erubesceret scriptis suis, quibus de divina etiam natura quasi conscius disputare audebat, inserere. Sed nobis in illo sermonis tantum Attici comitas, non inanis fabulæ spectanda concinnitas: quæ demulcendis tantum auribus edita sunt, non debent sensuum fundamenta convellere. Quin potius, ut ratio & veritas docet, omnia operum Dei, in quibus consistimus, & quorum pars sumus, omniaque munerum ejus, quibus inter vitæ istius fragilis & caducæ incerta regimur, atque servamur, ad ipsum referamus, nihilque ab illius potestate nostro removeamus errore, quia velimus, nolimus, ipse nostri, ut omnium, & Creator & Deus est. hæc ille Epistol. 38. ad Jovium. Qui mox in carmine adjuncto, ex historia & precibus nostri Hiskiæ *Fatum gentilium* confutat, plane ad meam mentem:

Num Rex ille habuit Fatum, qui morte propinqua
Oravit Dominum, quem leges noverat unum
Flectere posse suas, &c.
Nunc Tria miremur texentem fata Platonem,
Aut Arati numeros, aut picta Manethonis astra?

Locum *Platonis* lege *Dialogo x. de Republ. circa fin.* Illud quoque notatu dignum, quod ait S. Paulinus. *Fata hominum vitas trutinare de lancibus.* Alludit *Arnobius*, cum ait, *Deorum esse, si qui essent, quod magnarum est mentium, pari pendere cunctos lance, & individuas cunctis benevolentias exhibere.* l. VI. post princ. Hinc *Justitiæ Libra* dedicata Cœlo, quæ *Parcarum mater* credita fuit. Referre hæc licet ad locum Dan. V. 27. de quo alibi l. V.

CAP.

CAP. XIII.

Icarii primi Viticolæ cædes.

VEnena diffunder! Proverb. XXIII. 32. ita Vulgatus, ad rem bene. Sunt enim *vina* sæpe *venena*. Omne enim quicquid nocet venenum est, *ait Ambrosius cap. 14.* & demonstrat a vini effectis. *Tollit sensus, viscera exurit, somnum infestat, caput vexat. Etiam major vis vini, quam veneni est. Denique venenum vino excluditur, non vinum veneno - quia* vinum contra quædam venena alexipharmacum est. Venit in mentem, cum ista lego, *Icarii patris Erigones, cui propter justitiam & pietatem existimatur Liber Pater vinum, & vitem, & uvam tradidisse, ut ostenderet hominibus, quomodo sereretur, & quid ex eo nasceretur, & cum esset natum, quomodo eo uti oporteret. Is cum perambulans Atticorum fines pastoribus ostenderet, nonnulli eorum aviditate pleni, novo genere potionis inducti, somno consopiuntur: atque alius aliam se in partem rejiciunt, ut semimortua membra jactantes, alia ac decebat loquebantur. Reliqui eorum arbitrati venenum ab Icario datum pastoribus, ut eorum pecora abigeret in suos fines, Icarium interfectum in puteum dejecerunt: seu, ut alii demonstrant, secundum arborem quandam defoderunt,* hæc Hyginus in Poëtico Astron. pluribus fabellam pertexens, quo se pacto *Erigone* filia ex eadem arbore suspenderit, & canis ejus, *Mera* nomine, ei spiritu suo parentarit, in puteum se dejiciens, *Anygrum* dictum, e quo nemo postea biberit &c. Hoc operæ pretium fecit vini inventor. Quæ cum sacra historia Genes. IX. conferenda. Lucretius:

—— *cum vini vis penetravit*
Acris, & in venas discessit diditus ardor,
Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur

Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, singultus, jurgia gliscunt.

Quid aliud efficiat venenum? *vide de his Clement. Alex. l. II. Pœdag. c. 2.* cum quo exclamare lubet: *Bonum, ô amici, Bonum est, ut imagine hac, quam fieri potest eminus, conspecta, tam & ridicula, & miserabili, nosmet ad id, quod melius est, conformemus, timentes ne & ipsimet aliis tale spectaculum & risus fiamus?* Sic *Plato* suasit temulentiam cavere cupidis, ut poti se in speculo contuerentur. Et *Pythagoras*, interroganti, quomodo se quis ab ista peste posset liberare? respondit: si sibi ante oculos ponat vitam ebriorum. Quo & remedio usi *Lacones*, ebrios servos ostentabant liberis, ut horrori esset ebrietas. Sic *Basiliscus* objectu speculi suomet se conficere veneno fertur.

CAP. XIV.

Vinum ex Sanguine Gigantum.

ADmonuit Ambrosius: *de vini veneno* locutus, *de Helia & Jejun. cap. 14.* Merito, *inquit*, Deus per Mosen non solum veneno, sed etiam *Draconum veneno* vinum comparavit, dicens: *Furor draconum vinum eorum, & ira aspidum insanabilis.* Locus est Deut. XXXII. 33. ubi vulgatus: *Fel draconum vinum eorum:* alii; *Venenum* habent *pro felle:* eodem sensu. *Nam venenum serpentum est in felle*, Plinius l. XI. cap. 37. addit Deus, metaphoram continuans: *annon hoc repositum est apud me, & obsignatum in thesauris meis?* ubi vide *Vatabli Scholion.* Sic enim mos erat ut vinum in apothecis conditum, signaretur, adscripta in tabella ætate, *vide Stukium l. II. Antiq. Convival. cap. 10.* Locus *apud Petronium* ad rem clarissimus: *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ, diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa,*

fixa, cum hoc titulo: FALERNUM *Opimianum, annorum centum,* pag. 80. Satyr. Hinc illud vulgatum: *commendare aliquem de nota meliore.* Sed cur *vinum fel Draconum?* an quia hoc calidissimum in animali natura frigido? *de quo Vossius l. IV. Idol. c. 53.* Non repugno. Puto autem ad antiquissimam potius *Ægyptiorum fabellam* esse alludum, de ortu vini. Nam id sacris Scriptoribus non esse insolens, alludere ad trita vulgi proverbia, & fabellas communi usu frequentatas, docti dudum observarunt. Accipe Ægyptium μῦθον. *Vinum bibere,* ut ex Hecatæo & Eudoxo scribit Plutarchus de Iside & Osyr. *cœpit Psammetichus, cum neque bibissent ante: neque Dis libassent, ingratum rati: quod crederent esse sanguinem eorum, qui Dis olim bellum intulissent, ex quorum cadaveribus terræ permixtis vites sunt ortæ: Hinc ebrietatem insanos facere & abalienare mentem, impletis hominibus sanguine suorum majorum.* Recte autem Gigantes dracones dicti: id erant enim ab inferiori parte. *Duplex semiferis connectitur ilibus anguis,* ait Claudianus *in Gigantomach.* & addit adeo ternas habuisse animas. Unde dicuntur: *formæ triplicis procax juventus,* a Sidonio Apollin. *vide Apollodori Biblioth. lib. I. Natal. Comit. l. VI. cap. 21. &c.* Fabella Ægyptiaca ex sacris literis ansam quasi arripuit. Nam post diluvium Terra, fœcundata impio sanguine, vitem produxit, a Noha, *Icario* id est agricola, is enim Hebræis *Isch-car* fossor, aut & pecuarius, primum excultam. *Gigantes autem quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quandam impiam gentem, Deos negantem: & ideo existimatam Deos pellere de cœlesti sede voluisse? Horum pedes in Draconum volumina desinebant, quod significat, eos nihil rectum, nihil superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente,* Macrobius 1. Saturnal. c. 20. Eodem modo explicat *Appollonius Thyaneus apud Philostrat.*

& Photium in excerptis. Ex hoc Ægyptio fonte haustum a Severianis; *Colubrum illum, Mali omnis auctorem, cum terra matre congressum de semine suo genuisse vitem, eamque sua rotunditate & tortuositate testari serpentinam prosapiam: albam serpenti, nigram draconi esse similem; uvas esse quasi veneni stillas. Vinum exinde turbare mentem, eamque nunc ad venereas illecebras, nunc ad œstrum quoddam rapere, iramque accendere, corpore partim vini vi, partim draconino illo veneno concitato,* ut est *apud Epiphanium hæresi 45.* Nec aliunde *Manichæi* dixere: *Vinum fel esse Principis tenebrarum*, Augustinus ad Quod vult D. cap. 46.

CAP. XV.

Veneris in bello Gigantum armæ.

FOrtissimi quique *ab ea interfecti sunt.* Proverb. VII. 26. quo genere *armorum?* collo extento, oculorum nictibus, pedum incessu molli, fractoque, & ut sic dicam, *Jonico*, Esai. III. 15. ut suo ævo querebatur Horatius:

Motus doceri gaudet Jonicos
Matura virgo: & fingitur artubus
Jam nunc, & incestos amores
De tenero meditatur ungui. l. III. oda. 6.

Ubi *motus Jonici* tamen perperam accipiuntur *de saltationibus solis*: nam ad numerosum quoque hunc incessum pertinent, quem *compeditæ* docebantur, *ut equi, quo tolutim discant incedere*, sic *Franc. Jun. ad Esai. l. cit.* Venuste & graviter ibidem *Basilius: Quæ pudica mulier est, & bene morata, præ pudore incedit oculis in terram dejectis. Quæ autem in animo constituit captare multos, ac venari laqueo suæ venustatis, collo incedit in sublime porrecto. Et in nutibus oculorum probatio redditur mulie-*

mulieris fornicariæ, &c. Ipso enim obtutu obscœnam denunciat animæ impuritatem. Et dum suaviter blandis arridet oculis, prolicit ad explendam libidinem. Jactu oculorum sagittam plane exitialem emittit: cujusmodi de Basiliſci natura rumor est, quem ferunt solo adspectu interficere suos spectatores. Hæc apud Poëtas Veneris adversus Gigantes armatura fuit: — ἦιχε γὰρ ἄυλη πλέγμα νέφρον, δίφυ μαζὸν, ὀφρὺν βέλος, ἀσπίδα κάλλος. ut habet *Claudian. in fragm. Gigantomach. Græco*, apud Arsenium *in Apophtheg.* locum verti obiter:

Rete fuit Satias, mamma hasta, oculique sagittæ,
Scutum forma, artus arma, &, si torsit in illam
Lumina quis, jam captus erat.

His armis succubuit non unus, quamvis alias invictus.

— — Qualis vexilla Gigantum
Centimanus Briareus Phlegræo in vertice tollens,
Imbelles risit Jovis igneis, tela Dianæ,
Martis equos, Phœbi pharetras, & Palladis angues:

Poeta Britannus *Iscanus*, ut ipse indicat *libro 1. vers. 32. in Darete suo, sive de Bello Trojano lib. VI. v. 45.* ubi exemplum de Achille a Polyxena capto, oculis irretientibus.

Hanc videt, hanc optat, & acuto Cypridis arcu
Saucius Æacides, subitos suspirat amores.

Oculi sunt in amore duces. Inde sagittas suas jaculatur Cupido. ἡ γὰρ ὄψις λάθη τῶ πάθος ἐστί. Stobæus serm. 64. Hinc illa

1. *Adam, Samsonem, Davidem, tum Salomonem*
   Fœmina decepit, quis modo tutus erit?
2. *Quid facies facies Veneris cum veneris ante?*
   Ne sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

CAP.

CAP. XVI.

Feles volantes, feles sponsa & Monacha.

Supra corpus eorum & supra caput volant noctuæ, & hirundines, aves etiam, similiter & Cattæ, ait *Baruch* vanitatem Idolorum ostendens *cap. VI.* 21. Ridet Lactantius eodem argumento *Priapum*, qui Horatio *furum aviumque Maxima formido.* Fures enim, *inquit*, tam stulti sunt, ut Priapi tentiginem timeant? cum aves ipsæ, quas terrore falcis, aut inguinis, abigi existimant, simulachris fabrefactis, id est, hominum plane similibus, insideant, nidificent, inquinent *lib. 2. c. 4.* Sed nunquid & *Cattæ* volant? Certe in Malabar provincia, *teste Scaligero, Exercit.* 217. & quidem sine alis: membrana instructæ ab anterioribus pedibus, ad posteriores usque producta, qua pedum agitatione protenta currentium specie per aërem feruntur. Quod etsi nihil ad Baruchum faciat, imaginem tamen quandam exhibet illorum, mire sæpe in supercœlestibus μεπωρεζόντων, in cultu vero idolorum adeo vecordium, ut minus sapiant, quam feles. Quanquam & illi, ut hæ, Deos quos sibi fecerunt, colendo collutulent. Nam, ut *Martialis* ait, & probat *Cornelius a Lap. in cap. 2. Joëlis sub finem:*

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.

Sed ne indignetur quis, & dicat me *Minervæ felem*, quod ajunt, conferre, audiamus Gregorium Nazian. *Felem*, inquit, *in thalamo nuptiali fabella collocat, tanquam sponsam cultu sponsalitio exornatam. Ea vero cum murem procurrentem in medium vidisset, sponsa quidem erat,*

erat, sed felis. Nam in murem conspectum irruens, cœnam minime nuptialem sumsit. Tales sunt omnes doctores spurii & adulterini. Nam quod a natura nobis adhæret non facile mutatur. Ita ille *de Episcopis Carm. Cygnorum libro, pag.* 1035. Naturam expellas furca tamen usque redibit. Facit ad rem quod *Plutarchus* scribit felem unguentorum odore ἐκλελύσθαι καὶ μαίνεσθαι, *de Præcept. Connub.* ita illos ad insaniam redigunt unguenta S. Scripturæ. Scitissimum est, quod *Andronico Imp.* Alexandriæ Patriarcha recitabat, *Athanasium suum*, Constantinopolis Patriarcham, ita admiranti, ut eum S. Chrysostomo auderet comparare, *Leoni felem.* Erat, *inquiebat*, sutor quidam, cui felis alba, quotidie musculum unum venari solita. Ea casu in sutorium atramentum delapsa, & vix eluctata, tota nigra evasit. Mures, habitu monastico indutam, carnibus se deinceps abstenturam rati, impavide vagari, & coria arrodere. Illa ex tanta multitudine vix duos comprehendit, devoravit. Reliqui fuga salutem nacti mirabantur, quo pacto habitu sumto monastico crudelior evaserit? *Nicephorus Gregorius lib. VII. Histor. Rom. cap.* 3. Sunt ergo & *feles Monachæ*, ex quarum numero quasdam adorat Mundus, non minore religione, quam olim *Ægyptii* suas feles, *apud Herodotum in Euterpe*: Quanquam hos non mirer aut morer, quibus non *cattæ* modo, sed & *cloacæ & ventris crepitus* pro Numinibus erant, *ut docet Clemens Roman. l. V. Recognition. Origines contra Celsum*, &c.

CAP. XVII.

In foveam cadit, qui fodit.

PLerumque redit in auctorem dolus, -- *nutuq; superno*
Incidit in foveam, quam foderat improbus hostis,
ut Güntherus canit *Ligurini sui l. IV. v.* 419. Proverbium

bium in sacris literis frequens, sed origo non satis perspecta. *Foveis & feræ capi solent & homines. Feræ:* Iis enim Venatores

—— claudunt campos formidine mortis,
Mendacesq; parant foveas, laqueosq; tenaces,

Ut ait *Manilius.* Sic *Africa Elephantos foveis capit,* Plin. lib. VIII. cap. 8. Germania nostra lupos. Et non semel accidit, ut viatores rustici noctu incidant. *Homines*; more & strategemate olim apud Judæos & orientem passim non ignorato. Sic *in foveis Ægyptiorum*, periisse Josiam Regem, quibus castra illi sua circumdederint, ferunt Hebræi, *ex Threnor. cap. IV.* 20. de quo loco actum *in Passionali* a me est. Ejusmodi foveam depingit *Prudentius in Psychomachia, v.* 257. ubi de superbia:

Sed cadit in foveam præceps, quam callida forte
Fraus interciso suffoderat æquore furtim:
Fraus detestandis vitiorum e pestibus una,
Fallendi versuta opifex, quæ præscia belli,
Planiciem scrobibus violaverat insidiosis;
Hostili de parte latens, ut fossa ruentes
Exciperet cuneos, atque agmina mersa voraret:
Ac ne fallacem puteum deprendere posset
Cauta acies, virgis adopertas texerat oras,
Et super impositio celarat cespite campum.

Similiter *Güntherus Ligne. lib. X. v.* 306.

Præterea densis scrobibus tellure cavata
Præcipites fodere dolos, fossasque latentes
Injectu texere levi, quas inscius hostis
Incidat, & subito pateat discrimine morti.

Forte in populo Dei vulgi ore trita fuit olim vel fabella, vel historia similis ei, quam repetam *ex Hygino*, & inde proverbio data occasio. *Archelaus Temeni filius exul.* a fratribus ejectus, in Macedoniam venit ad Regem Cisseum.

seum. Qui cum a finitimis oppugnaretur, Archelao Regnum & filiam in conjugium dare pollicetur, si se ab hoste tutatus esset. Archelaus, quia ab Hercule esset oriundus, nam Temenus Herculis filius fuit, hostes uno prælio fugavit & ab Rege pollicita petiit. Ille ab amicis dissuasus fidem fraudavit, eumque per dolum interficere voluit. Itaque foveam jussit fieri, & multos carbones eo ingeri & incendi, & super virgulti tenuia poni. Quo cum Archelaus venisset, ut decideret, hoc Regis servus Archelao patefecit. Qui re cognita dicit, se cum Rege colloqui velle secreto, arbitris semotis. Archelaus Regem correptum in foveam conjecit, atque ita eum perdidit. Inde profugit ex responso Apollinis in Macedoniam, capra duce, oppidumque ex nomine capræ, *Ægas*, constituit. Ab hoc Alexander Magnus oriundus esse dicitur. *Ita Hyginus.* vide de *Foveis* Exod. XXI. 33. Ezech. XIX. 4. & Psal. VII. & IX. &c.

CAP. XVIII.

Baal Peor & de cultu ejus defensa Hebræorum opinio.

INterest fidelium scire, quantas in tenebras, quam pudendos in errores inciderint, qui veritati divinæ oculos sponte occluserunt. Ejus rei argumentum dabunt nequissimæ *Peoris* cerimoniæ, quantum permittit frons tenera exponendæ, & quia in dubium vocantur, stabiliendæ. Ac communis quidem sententia habet, non multum *a Priapo* diversum fuisse, ut plurium testimoniis docet *Seldenius Syntagm. 1. cap. 5. & alii.* Qua de causa etiam *Peorem aut Phegorem* dictum volunt a פער *Paar*, aperiendo, nudando, distendendo, notatione vel a simulachro ejus vel a cultu desumpta: *A simulachro*; quod erat

erat *idolum ignominiæ*, oculis abominandum, rude puta & indolatum lignum

Non Polycletea, non Phragmonis, aut Ageladæ,
Arte laboratum,

nudam apertam distentamque naturam, *terribile membrum*, ostendens, *vide Oseæ. IX.* 10. *& ibi Hieron. Ruffin. &c.* a *cultu*, de quo *Fagius in Paraph. Chald. Num. XXV.* 3. *& in Mosen Maimonid. de Idololatr. Dionys. Vossius c.* 3. *p.* 37. Sic dictum, *quod ejus cultores turpiter se coram eo detegerent, foramen podicis distenderent, & ante conspectum ejus cacarent.* Liræ, liræ, & gerræ germanæ! exclamat *Seldenus l. c.* nec adduci possunt *Vossii*, Pater vir Clar. & Filius non degener, ut credant, solitos cultores *Baal-Peoris* conquinisce coram Idolo ac fimum egerere. *vide Vossium l. II. de Idololatr. cap.* 7. Recte! sed enim quod ea de causa Rabbinorum hanc etymologiam & sententiam de cultu ac nomine Peoris in totum repudiant, non recte. Habet enim aliquid ex vero, cui assutum aliud quid, quod etsi a vero absit, verecundiæ tamen nomine Cedro dignum est. Bene *R. Moses l. de Idololatr. cit. Peor colebant, detegendo se coram eo.* Hactenus a veritate stant Rabbini! Explicat *e Gemara pluribus Cl. L. Empereur in Middoth p.* 117. Refert enim *Gemara Hierosolymitana cap. Helek*, Bileamum id dedisse consilii Balako, ut prostituerent Moabitæ filias suas filiis Israëlis; ac ut populum haberet obsequentiorem ipse suam primo ante omnes; Regis exemplum ceteros facile sequuturos. *De eo consilio vide Num. XXIV.* 14. *& XXXI.* 16. *Apocal. II.* 14. Cum Balak cunctaretur, *Tzurem* Midianitarum Principem, qui cum Moabitis in commune consulebant, præivisse exemplo. Num. XXV. 15. Tum invitatos ad Moabitidas Israelitas, cum vino incaluissent & concubitum peterent, illecebris muliebribus inductos fuisse, *ut Peorem colerent*, cujus *parva sigilla* e sinu proferebant istæ, modumque

que cultus docebant *in obscœna denudatione* coram eo idolo consistere. Et hanc ajunt Hebræi esse causam, cur jusserit Deus, *ut Sacerdotes femoralibus se tegerent, ne in cultu divino quid turpe & Peore dignum appareret*, Exod. XX. 23. Nihil apparet in hac traditione, quod vel cum ratione, vel cum aliarum gentium mysteriis, vel denique cum Scriptura pugnet. *Idolum in sinu*, aut alibi *repostum, & à superstitiosis quoquo itarent circumlatum*, vel *ex Apuleji apologia*, discere est. Parvus impudicarum Peor tam non est incredibilis, quam *aureolus Priapus in salutatorio lenonum dedicatus*, de quo historia *Apollonii Tyrii*. Quid ergo? mos denudandi se cum flagitio adeo absurdus? videri non potest, quibus mysteria Gentium vel à limine cognita. Neque enim ea sacra aliter constabant. O cœli pudor! Adeo homines potuisse sui dememinisse! Quid *Apidi* Mulieres Ægyptiæ ostenderint, *retulit Diodorus*. Mysteria *Dionysii, Bacchi*, & quam ille mercedem solverit *Prosymno* mortuo, descripsit *Clemens Alex. in Protrept.* Quid *in Eleusiniis* factitatum sit, *Arnobius habet*, refertque pudendarum cerimoniarum originem ad Cereris hospitam, *Baubo* dicta fuit, quæ ut aliquid inveniret, ad Deam exhilarandam, *partem illam corporis, per quam sexus fœmineus & sobolem prodere, & nomen solet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat, faciens sumere habitum puriorem, & in speciem levigari nondum durè atque striculi pusionis*. Quid multa? sic redit ad Deam tristem, *retegit se ipsam, atque omnia illa pudoris loca revelata monstrat*, verba sunt Arnobii, *& vocat inauditi speciem solaminis*. Quid Romæ? *ubi Mutuni, aut Priapi fascino inequitabant matronæ, novæque nuptæ*, ut prior illis Deus pudicitiam delibâsse videretur. Sed & apud *Indos Orientales* hodieque *Pagodes* aliquis, Priapus cum horrendo vase, occidendæ virginitati destinatus legitur. Firmat hanc opinionem verbum, quo Scriptura, ubi de

pudendo Peoris cultu loquitur, uti solet, nempe illud נצמד *Nizmad* copulam conjugalem significans Num. XXV. 3. 5. Psalm. CVI. 28. Ut mirandum non sit, si Deus ob tam exsecrandum scelus, Sodomitico sulphure expiandum, tam horrendis iris exarserit, & merito *iniquitas Peoris* omnium flagitiorum flagitiosissimum habeatur. Jos. XXII. 17. Nolo plura addere, ne, quod dicitur, *Priapum denudare* velle videar. Nec transgressus essem veteris pudoris lineas, quas prisci illi Hebræorum sapientes videntur posuisse, *dum nudis & Latinis*, ut ille ait, *verbis*, hæc Peoris mysteria eloqui noluerunt, nisi veritatis studio, quæ & nihil tam erubescit, quam abscondi, & multa se utilitate commendat. Extreme impius est, qui ad hæc non exhorrescit, vim Sathanæ in filiis tenebrarum non expavescit, & Deo, quod nos in Regnum filii sui Dei Dominique nostri traduxerit, non toto corde æternas agit gratias.

CAP. XIX.

Fabula Ganymedis ex historia Henochi.

Virgilium qui cum Homero contulerit, non dubitabit Homerum a Virgilio lectum; Sic Homerum cum Sacris scriptoribus eo vetustioribus cum confero, vix temperare mihi possum quin credam ab Homero lectos scriptores illos sacros, si non integros, saltem ἀπὸ μέρους, *ait Jacobus Capellus l. IV. vindic. pro Casaubono cap. 2.* Certe equidem, cum *Henochi historiam* in Ecclesiæ suggestu interpretarer, vix dubitabam, quin ex illa Ganymedem suum delibarit Poëtarum Pater,

-- *ex*

---- ex quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Conferamus paucis quæ *Moses* de Henocho, quæque *Homerus* de Ganymede dixerint. Ille Genes. cap. V. 21. ait. *Henochum indesinenter ambulasse cum Deo*, quod explicat Apostolus *fide adhæsisse Deo*, Hebr. XI. 5. eaque in tantum divini amoris & favoris adscendisse fastigium, ut rebus humanis, sine morte, exemtus fuerit, *Et non ipse*, inquit, *quia tulit eum Dominus.* Homerus *Iliad* Y *refert* tertium Trois filium fuisse *Ganymedem Divinum.*

Qui tum pulcherrimus fuit mortalium hominum.
Quem etiam rapuerunt Dii, Jovi ut esset a poculis,
Pulchritudinem ob suam, ut immortalibus interesset.

Specta nunc raptus utriusque causas. 1. *Efficientem Principalem*; Ganymedem rapuerunt θεοὶ *Dii*; Henochum *Elohim*, sic verbum ex verbo videtur transtulisse Poëta mysterii ignarus. 2. *Instrumentalem*; Nam *aquilæ* ministerio raptum istum fabulabantur: unde juxta Jovis imaginem pingebatur aquila Ganymedem raptum portans, habentem in manu craterem, ut Jovi poculum propinaret, *ait Albricus de Imagin. Deor.* Aquila autem Veteribus contemplationis symbolum fuit, quam Homerus ipse ait

ἐξύπατον δ' ἔρχεσθαι ὑπερφιάλων πετεηνῶν
Cunctas sub cœlo volucres prævertere visu,

Notum, quomodo ea, ut pullos exploret, an sint legitimi,
- implumes convertat ad æthera nidos &c. ex Claudiano.

Hinc & *Platonis animam aquilæ speciem induisse* in quodam epigramm. cecinit Speusippus. Denique quod plus est, fideles ab ipso Domino vocantur aquilæ. Matth. XXIV. 28. Henochum *fide* translatum dixit Apostolus l. c. qua

super omnia peritura evectus cum Deo ambulavit. De his aquilæ alis ait Marius Victorinus hymno 3. *Da mihi fidei pennas, & volem sursum Deo!* Hoc illud est remigium quo *anima* vere sapientis *corpore immobili, terram omnem ambit, in cœlum subvolat, omnia maria, omnia terrarum spacia, omne aeris inane emetitur, cum Sole, cum Luna, cum toto astrorum choro circumfertur, & pœne cum Deo ipso omnia dispensat, atque ordinat!* ut loquar cum *Max. Tyrio dissert. VI. extr.* 3. *Materialem*; Illinc rapitur Ganymedes pulcherrimus, non tam corpore quam animo, *ut docet Xenophon in Symposio*, unde & nomen a consilii præstantia, ab ἀγαναὸν ἦ μῆδος, & agnomen illud, Ἀγλίθεος *Divinus*. Quæ omnia cui conveniant, si non nostro isti Mundi primordialis unico Phœnici? *Cujus imitationem unius concedi magis sibi optabat* Eusebius, *quam simul omnium, qui unquam virtutis cultores apud gentes fuisse celebrarentur.* Præp. Evang. l. 7. cap. 3. 4. *Formalem:* Nam quod de Henocho dixit Moses: *Lakach otho Elohim, tulit eum Deus.* LXX. Μετέθηκεν αὐτὸν *transtulit eum*: id de Ganymede sic exponit Homerus: ἀνηρείψαντο θεοὶ *rapuerunt Dii*, proprie sursum de terra: nam allegato hoc ipso loco Homeri hæc habet Etymologici auctor: ἔρα inquit, *est Terra*, [eadem quæ Hebræis *Aretia*, & Germanis *Herta*, &c.] unde ἐρέπω &c. 5. *Finalem*, quæ est, *ut cum immortalibus ævum transigerent*, voluptate perenni affluentes. Ganymedes *nectar* Deo ministrat, atque ubi vestigia pedum pressit, ibi *myrtus* lætissime provenit. Ænigma veterum, quo significabant, veritatis contemplatione, & multo magis oculari quasi contuitu, in ipso Uno, Vero, Bono, summam Deo hominibusque voluptatem exhiberi, *Natal. Comes. l. IX. Mythol. c. 13. Pierius Valerianus l. L. Hieroglyp.* &c. Adde pro epitheca Paulini, vel Ausonii potius, Orationem matutinam;

Pande

Pande viam, qua me post vincula corporis ægri
In sublime feram, puri qua lactea Cœli
Semita ventosæ superat vaga lumina Lunæ,
Qua Proceres abiere pii, quaq; integer olim
Raptus quadrijugo penetrat super æthera curru
Helias, *& solido cum corpore prævius* ENOCH!

Ubi *Nota*; Platonem sequi manifeste auctorem, dum *de vinculis corporis* loquitur, e quibus tandem animæ piorum evolent, illuc, ubi circulus lacteus Zodiacum ambiendo amplectitur: atque ut ibi *animarum concilium statuit, quarum aliæ de Cœlo in Terras meent, aliæ de terris in cœlum remeent, perpetuo motu*, Macrob. 1. Somn. Scip. c. 11. & 12. Sic *purgatorium fontium animarum* in obscuris Lunæ cavernis, ut Sylla apud *Plutarch. de Facie Lunæ, de quo Steuchus l. 10. de perenni Philos. c. 27.* & ego nuper in Theol. Symb. Hæc paucis, nam *Rosweidus & Ducæus in Paulinum* nil annotant, nisi quod ex Beda referatur, ex historia Heliæ ἡλίου πύθεππον *Solis quadrigam* esse confictam,

--- nam si sermonis Achivi
una per accentum mutetur litera, Sol est

ait de Helia *Sedulius l. 1.* Ne quis indignetur, quod fabulam Ganymedis ab Henochi historia enatam putem.

SACRORUM ANALECTORUM

LIBER V. SYMBOLICUS,

CAP. I.

Legati & Literæ, a Deo.

PLatoni sapientiæ antistiti Dionysius Tyrannus, aliàs sævitiæ superbiæque natus, vittatam navim misit obviam: ipse Quadrigis albis egredientem in litore excepit, Plinius l. VII. cap. 30. Chinensium Rex cum anno cIↃ. D. XCVI. ad Taykosamam, Japoniæ Imperatorem, LXVI. regnorum Dominum, literas destinâsset, curavit eas purpurea sua lectica inclusas à quatuor equis splendidissime exornatis velut in triumpho perferri, ambitioso circum primatum multorumque satellitum stipatas comitatu: Eas Japones tanta excepere veneratione, ut spectator rerum ignarus Regem deferri ipsum non potuisset non arbitrari, Epist. Japon. *Quid est S. Scriptura nisi quædam epistola Omnipotentis Dei ad creaturam suam?* Gregor. M. l. IV. Epist. 84. *De illa civitate unde peregrinamur literæ nobis venere: Ipsæ sunt Scripturæ; quæ nos hortantur, ut bene vivamus*, Augustinus serm. II. in Psal. 90. Has cœlitus nobis attulit Quadriga Ezechielis ignea: in his ipse præsens est & loquitur, qui eas inspiravit & scribi jussit Dominus. Quot Prophetæ, Apostoli, Martyres, tot stipatores. *Itane si a Rege quispiam veniat, omnes attenditis, a Deo autem venit & ex ipsis Cœlis loquitur Pro-*

Propheta, & nemo advertit animum? aut non creditis, quæ hic dicuntur, a DEO esse? θηλάζειν αὐτὴν ἐστι πεμφθεῖσαν ἀπὸ τοῦ θεοῦ, Chrysostomus ad 2. Thessal. hom. 3. cap. 2. Nec dubium mihi, quin & ideo S. Scripturæ audiant *Sepher Jehova*, Esai. XXXIV. 16. Nam *Sepher* sæpe *epistolam* significat apud Hebræos, ut 1. Reg. XXI. 8. & 2. Reg. V. 5.

CAP. II.

S. Scriptura Pharus.

Lucerna pedibus meis Verbum tuum, Psalm. CXIX. 105. *Verbum* nempe *non Deitas, sed Deitatis*, ut exponit Prosper, puta scriptum, idem ex 2. Petr. I. 19. sequutus Augustinum, ut & Remigius aliique expresse, nec abeunt Cyprian. de Singul. Cleric. Hilarius, Hieronym. Theodoretus, &c. *In Portubus machinas ad prælucendi ministerium fabricatas, Pharos dicunt*, Solinus cap. XXXV. ab ea turri, quam Ptolemæus Philadelphus Ægypti Rex, opera Sostrati Gnidii Architecti, in insula Pharo ædificavit, ex albo lapide supra quatuor cancros vitreos, sacram *Dis Servatoribus. Usus ejus nocturno navium cursu ignes ostendere, ad prænuncianda vada, portuique introitum: Sicut jam tales compluribus locis flagrant, ut Puteolis, ac Ravennæ, Plinius* l. XXXVI. c. 12. Strabo l. XVII. Nomen ipsum Etymologici M. auctor deducit ἀπὸ τοῦ φῶς, τὸ φαίνω, φάρος. *In dextra portus* Alexandrini *insula est brevis*, referente Egesippo l. IV. Excid. Hierosolym. c. 27. *& in ea Turris maxima, quam Pharum in commune Græci ac Latini ex ipsius rei usu appellaverunt, eo quod longe videatur a navigantibus, ut priusquam in portum appropinquent, nocturno maxime tempore, terram finitimam sibi esse flammarum indicio cognoscant*, &c. Illud vero notatu dignum, quod sequitur:

quitur: *Sunt itaque illic ministri per quos subjectis facibus, ceterisque lignorum struibus, adoletur ignis quasi terræ prænuncius, & index faucium portuensium.* Achilles Statius l. V. de Clitoph. & Leucippe sic depingit. *Mons erat in medio mari situs, nebulas pene contingens: hujus sub radicibus aqua consputiebatur, ita ut suspensæ mari imminere viderentur. In Turri, summo in monte ædificata, ignis elucet, qui quasi gubernator alius navigantes noctu dirigat.* Alexandria enim, ut meminit Solinus, *insidioso accessu adibatur, fallacibus vadis, cæco mari, tribusque tantum Canalibus admittebat navigantes, Tegamo, Posidonio, Tauro.* S. Scriptura talis Pharus est, Sacra Deo Servatori, dux & gubernator certissimus ad Civitatem Dei. Qui hanc in tam periculoso mari adituri sunt, ne a veris canalibus aberrent, *Levent oculos suos in montes*, Psalm. CXXI. 1. qui sunt Prophetæ & Apostoli, *homines magni, homines clari, qui montes non a se lucent, sed ab illo lucent, de quo dictum est: Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem*, August. ibid. hic est - *lux, semita, vita.* Est in S. Scriptura lumen perenne, *demonstrans ingrediendi angustias, undarum sinus, vestibuli anfractus, ne præstringat tenuis carinæ cautes, & in ipso ingressu offendat inter opertos fluctibus scopulos*, Egesippus loc. cit. Sunt ibi Ministri æternum ignem conservantes, lignis non alibi, quam in hoc ipso monte, natis. Est index viæ & inviorum flamma:

— *neque enim in Tyrias Cynosura Carinas*
Certior, aut Grajs Helice servanda Magistris.

Ipsa denique etiam navis est. *Si qui sunt, qui crescentibus malis & inundantibus vitiis convertere se possunt a rebus fluxis & pereuntibus, & caducis, & audire verbum Dei, hi intra cor suum arcam salutis ædificant*, ut docet

docet Origenes homil. 2. in Geneſ. Extra hanc nulla ſalus eſt. *Non enim nunc fieri poteſt, non poteſt inquam fieri, ut quisquam ſalutem aſſequatur, niſi perpetuo verſetur in lectione ſpirituali*, Chryſoſtom. hom. III. de Lazaro.

CAP. III.

Mundus Ovum.

SPiritus Dei incubaſſe dicitur ſuperficiei aquarum, Geneſ. I. 2. Metaphora ab avibus ſumta, ova incubatu fotuque ſuo animantibus. *Ipſa Hebraica dictio*, Merachephet, *illud per ſe videtur ſignificare, quod a gallina, dum ova fovet, docemur, qua ſuſpenſis alis leviter illa attrectans vitalia reddit: Ita enim Spiritus ferebatur ſuper aquas, ut ſuo illas tempore* (tepore forte legend.) *animaret*, Diodorus Tarſenſis, in Catena, cujus libros de Spiritu Sancto & de Fato citat Photius. *Omnia cum tegeret nigrum Chaos, & mundi*

Nec ſpecies nec forma foret, Deus intus agebat
Corporibus tectis miſtus, ſecreta poteſtas,
Jam tum diſponens naſcentia mœnia mundi,
Et varias rerum facies, animasque futuras.

Hilarius in Geneſ. Hæc vulgata, illud non item: ex hac Moſaica metaphora ortam videri vetuſtiſſimam & celebratiſſimam opinionem, quod *Mundus ovum ſit, & ex ovo prodierit.* Ægyptii Deum ſuum *Kneph* dixerunt, eum pingere ſic ſoluti, *ut ab ore ejus Ovum emergeret*, de quo in Theologia Symbolica dixi, cap. XIX. ex Euſebio l. III. de Præparat. cap. 3. & Plutarcho de Iſide & Oſyride. Zoroaſtris Theologia fuit, quam Periæ ſecuti ſunt, *Duos eſſe Deos, rerum principia: Bonum Oromazon, natum e puriſſima luce, & Malum Arimanium,*

e caligine: Illum condidisse bonos alios Deos XXIV. & in ovo inclusisse: Hunc produxisse totidem malos, qui ovum illud perforarint, atque inde bona Malis permixta esse, Plutarch. l. cit. *Ovum Orphicum* ex eadem opinione ortum, quod *ab Hercule, qui & Chronus, cum foveretur, in duas æquales partes dissilierit, quarum altera quæ sursum vergebat Cœlum, altera inferior Terra evaserit*, referente Athenagora in Legat. pro Christian. Phœnices non absimiliter philosophatos, Philo Biblius docet, apud Euseb. lib. 1. Præpar. cap. 7. de quibus alibi. Ita *Liberi Sacris initiati ovum hac veneratione colebant, ut ex forma tereti ac pene sphærali, undique versum clausa & includente intra se vitam, Mundi simulachrum vocarent*, Macrobius l. VII. Saturnal. cap. 16. Circenses Ludos Romani *ad causas Mundi* retulere, Isidoro teste l. XVIII. Etymol. c. 29. &c. Itaque in Circo *metarum ornamentum Ovum* fuit.

Ipse ingens Circus, plenus ceu circulus anni,
Clauditur in teretem longis anfractibus orbem.

Corippus de Laudib. Justini l. 1. cap. 17. *Ovali forma* fuisse indicans, ut Plinius diserte l. XXXVI. cap. 15. quam & Mundo veterum quidam tribueruut, apud Plutarch. l. 2. de Placit. Philos. cap. 2.

CAP. IV.

Mundus Ovo comparatus.

QUomodo nonnulli *cor & cerebrum, ut ortus principia: ita Orphicis aut Pythagoricis obnoxii statutis & eandem causam ova in cibis abominabantur.* Hinc ille Pythagoræorum versus:

ἴσὸν τι κυάμιχς τρώγειν, κεφαλάς τε τοκήων.
Crimen idem est, comedasne fabas, caput anne parentis.

Non

Non *quod humano capiti faba similis sit*, ut quidam apud Clementem Alex. Stromat. III. aut *quod testiculos more Pythagorico operte & symbolice significet faba*, qui κύαμοι dici possint, quia sint αἰτήσει τὸ κυεῖν, ut apud Agell. l. IV. cap. 11. Sed *quod Ova innuerint fabasque appellarint*, κύαμος *a fœtu*: q. sentirent, *perinde esse vesci ovis, atque animalibus quæ ex ovis nascuntur*, Plutarchus Symposiac. II. Quæst. 3. ubi & illud repetit: *Ovum in Orgiis Bacchicis consecratum fuisse, ut exemplum omnia gignentis, ac in se continentis.* Mundum ovo similem Varro facit Logistorico: *Cœlum, inquit, est testa, item vitellum terra, inter duo illa humor, quasi in sinum conclusus aëris, in quo calor.* Aliter & δὶς διὰ πασῶν Georgius Pisides, Diaconus Constantinopolitanus, in Cosmurgia, v. 1205. Lubet jambos ejus mutare in faciles elegos:

Quis varias adeo naturas clausit in ovis,
Exiguis pingens rerum elementa typis?
Aëra quod tenue est, quod flavum denotat ignem:
Album undam, & terras testula dura refert.

Sic Aphrodisiensis in Problemat. *Orbis hujus universi speciem in Ovo demonstrari dixit: nam & ex quatuor constat elementis, & in Sphæram conglobatur, & vitalem in se potentiam continet.* Hinc ova *catharsia, lustralia*, ad expiationes usurpata.

Et veniat quæ lustret anus, lectumque, locumque,
Proferat & tremula sulphur & ova manu.

Ovid. de arte Amandi l. II. Ideo *religioni inserta & in tanto honore cunctis gentibus fuisse observat* Marcellus Vergelius, *quod capiente mundo tot animalium naturas & genera, nullum fere sit, in quo non ex ovo species aliqua nascatur.* *Quod* & ante notaverat Plutarchus & ex illo Macrobius ll. cit. *Ob quæ*, pergit ille, *referre natu-*

naturam credita sunt, & in religione ad placanda exorandaque Numina gratiorem habere potestatem. Eadem de causa *in Cereali pompa primum fieri solebat ovum*, Varro de Re Rust. Et ideo crediderim fere *cœnas* quoque *Ovo committere* antiquos consuevisse. Unde illud: *ab ovo usque ad mala*, Horatii. Cujus interpres Porphyrio, explicat: *Ab initio cœnæ ad finem.* De quo Lipsius l. III. Antiq. Liction. cap. 1. Solebant enim pii veteres cœnas quoque auspicari grata Creatoris memoria. Quomodo lumine in mensas allato religionis causa dicebant: φῶς ἀγαθὸν *lumen est bonum.* Ex ipsa creationis historia, Gen. I. 4. Sic convivia quoque claudebat notissimum Ἀγαθῷ Δαίμονι poculum, quod & Διὸς Σωτῆρι, de quo Stukius conviv. l. III. cap. 23. Fallor? an ex eadem ratione *Ova funebribus epulis apposita*, quæ hodieque *lugentibus mortuos* apud Judæos *mitti solent consolationis ergo*, ut alibi dictum lib. I. supra cap. 2. scilicet, ut vel recogitarent, redeundum esse omnibus in sua principia; reddendam esse terram terræ, & spiritum cœlo: vel in fragili testa seipsos & mundum contemplantes sic cogitarent: *Hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit*, cum mundum ipsum interiturum sciamus, *cum tot oppidorum cadavera projecta jacere* videamus, cum fragili testa spiritum inclusum gestemus! ut fere Cicero ad Sulpit. Denique hic rerum omnium circulus est. Gallina parit ovum, & ex ovo renascitur gallina.

Sic aliud ex alio reficit natura, nec ullam
Rem gigni patitur, nisi morte adjuta aliena, Lucret. l. I.

CAP. V.

CAP. V.

Aves ex aquis, Christianorum Regeneratio.

PIsces & aves ex eodem elemento prodiisse, ex Genes. I. 20. canit Ecclesia:

Magnæ Deus potentiæ
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim levas in aera.

Contentionis funem ducere non lubescit. Mirum, & tamen infinitis testibus comprobatum est, quod Scaliger Exerc. 59. 2. de Anglorum anatibus refert, *Bernaclas* vocant, Scoti *Clakgüse*, quo & nomine proverbii vice infamant, quibus ignaviam exprobrant, quasi neque caro sint neque piscis, de quibus multa *Jonstonus in Thaumatographia Natur. & Pincier in Ænigmat.* &c. Ego hic *Lobelium addo de Stirp. Observ. sub fin.* Surculis arborum, *inquit*, maris alluvionibus abreptarum, in mari Britannico passim, conchulæ adnascuntur pusillæ, circinatæ fere rotunditatis, foris albidæ, lucidæ, læves, nuci amygdalæ pares, mirabile specimen naturæ, quidpiam boni vel ex sordibus meditantis. In his aves generantur, vere sine patre, sine matre, vitamque & alimoniam per pedicellos suos, quibus ligno adhærent, inde trahunt, donec in anatem perfectam, aut ei congenerem avem adoleverint, ruptaque matrice sua jam cœlum petant, & pennarum remigio ferantur. Vidi, *inquit Silvester Gyraldus l. 1. Chorograph. Hibern. c. 11.* multoties oculis meis plusquam mille, minuta hujusmodi corpuscula in litore maris, ab uno ligno pendentia, testis inclusa, & jam formata. Non ex harum coitu, ut

in avibus aſſolet, ova gignuntur, non avis in earum procreatione ovis unquam incubat, nullis terrarum angulis vel libidini vacare, vel nidificare videntur, &c. *vide apud Barthium ad Claudiani lib. 1. in Eutrop.* Ita Deus regenerationis noſtræ videtur adumbrare voluiſſe myſterium: *Aqua* Baptiſmus, *lignum* Crux, *aves* fideles. *Primis aquis præceptum eſt animas proferre. Primus liquor quod viveret edidit. Ne mirum ſit in Baptiſmo, ſi aquæ animare noverunt*, Tertull. de Baptiſmo cap. 3. Habent hoc ſcilicet a præſente Spiritu & obumbrante. Sic in prima creatione: ubi

— *ſacer extentis impendens Spiritus undis.*
Altrices animabat aquas, dans ſemina rerum,

Marius Victor. in Geneſ. Sic Hieronymus: *Primum de aquis quod vivit egreditur, & pennatos fideles de terra ad cœlum levat, ad* Ocean. Interim *vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in DEO*, Coloſſ. III. 3. in fragili præſentis ſeculi teſta, velut vita pulli in ovo, vel uti, ὁ μαργαρίτης κέκρυπται, ἕως ἂν ᾖ ἐν τῷ ὀστρέῳ, Chryſ. ad Col. hom. 7. *Miſerere Domine, miſerere Chriſte! Velle mihi adjacet mundum & carnem linquere, ſed imbecilla pluma eſt, velle ſine ſubſidio tuo. Da mihi fidei pennas ut volem ſurſum Deo*, Marius Victorin. Hymno 2. Fides igitur ala eſt, eadem & umbilicus quaſi, quo ligno Crucis matrici noſtræ adhæremus, & alimenta trahimus, usque dum creſcamus in ætatem perfectam. Evolemus! evolemus!

CAP. VI.

Diabolus cur ſerpenti comparetur? Vid. lib. 1. cap. 6.

Hoc 2. obſervare volebam, ut telam hanc pertexam: ſed paucis. Tria in comparatione iſta præcipua animad-

animadverto. 1. *Calliditatem*, quam Moſes intimavit. Nam *latenter obrepit, & per pacis imaginem fallens occultis acceſſibus ſerpit*, ut loquitur Cyprianus de ſimplic. Prælat. vide Chryſoſtomum homil. 8. in Epiſt. ad Rom. Sic *ceraſtæ præferunt quadrigemina cornicula, quorum oſtentatione, velut eſca illice, ſollicitatas aves perimunt, reliquo corpore de induſtria arenis tecto.* Plinius l. VIII. cap. 23. & Solinus cap. XXX. Serpentem Paradiſiacum quidam *Scytalen* volunt fuiſſe, vide Torniel. Sylveſtrum a Petra ſancta cent. 1. Metaph. ſacrar. cap. 3. &c. Ea *tanta fulget tergi varietate, ut notarum gratia videntes retardet: & quoniam reptando pigrior eſt, quos aſſequi nequit, miraculo ſui capiat ſtupentes*, Solin. l. c. Sic Sathan *offert oculis formas illices, & faciles voluptates*, &c. lege locum Cypriani de zelo & livore, poſt princ. ſæpe mortuum ſe ſimulat, ut ineſcet: & ut cum Fulgentio dicam, *victum ſe demonſtrat, ut vincat*, Epiſt. 3. ad Probam. Hac ratione & peccatum ſerpenti confertur, & voluptas δελεαζουσα, Sirac. XXI. 3. vide Dionis Pruſæi λιβυκον μυθον *de monſtro Lybico, cujus corpus plane virgineum adſpectu, ut nec fingi potuerit nec pingi venuſtius, reliquum corpus ſquammis horridum,* καὶ το κάτω πᾶν ὄφις *turpiter demum atrum deſinit in ſerpentem.* Nec abſimilis noſtrorum fabula *de Meluſina* [quam tamen veriſimilem facere nititur Conradus Vecerius de Reb. Geſt. Henrici VII. Imp.] quæ octavo quoque die pubetenus in anguem commutari ſolita fuerit. Eam inter majores Henrici VII. ait recenſeri Vecerius, ejusque imaginem cupæ balneatoriæ inſidentis, in ſtemmatibus familiarum nobilium, Lucemburgi nomen habentium, conſpici, oſtendique in ea urbe turrim ingentem, vetuſtate tamen bona ex parte collapſam, in qua vanitatem iſtam peractam per manus tradatur. Sed in viam redeo. 2. *Nocendi poteſtatem:* Qua de cauſa Baſiliſcum & aſpides veneratos

Ægy-

Ægyptios modo dicebam, qui & picto serpente Regem denotabant: Sic *in ostentis serpens caput dormientis cinxisse visus, nobilitatem regiumque decus portendebat*, quod Roscio in cunabulis & Severo Imp. in stabulo jacenti ferunt contigisse, Cicero 1. de Divinat. & Spartian. in Severo: &c. Denique ne longior sim. 3. *Veneni facultatem*: nam & corpus interimit & animam. Tanta veneni vis est, ut vere dici possit, & corpora in serpentes mutari, & animas. Unde

Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro,
Mutari credunt humanas angue medullas.

Itaque sæpe numero e sepulchris erupere serpentes, ut e tumulo Murrhi apud Silium lib. II. & *Parisiis urbe Galliarum e tumulo Carlmanni Regis*, ait Pomponius Sabinus in 5. Æneid. ubi Servius ex Poëtarum doctrina docet *Genium, quem nascentibus addi putabant veteres, per anguem plerumque ostendi.* Fœmina bello Marsico serpentem peperit. Eo partu serpentum in Hungaria multa millia hominum interiisse refert Gesnerus. In serpentem conversus Cadmus & Harmonia: ut & Zenodotus autor est, *Phalangem cum Sorore Arachne incestu commisso, ira Palladis, in serpentem mutatum fuisse.* Nati Serpentes fumus: *Nam serpens terræ filius est, & vitam in terra degit, morbumque ideo & fere mortem in somniis significat*, Artemidorus l. II. Oniocrit. cap. 13. ubi alia ad rem: Hinc *cum Sardis omnia suburbia colubris plena visa essent, quos equi, ad pascua ducti, comedebant; Telmissæ Vates responderunt, colubrum Terræ filium, equum, hostem & advenam significare, adeoque portendi Sardensibus excidium*; quod & eventus, Crœso mox victo & capto, comprobavit, Herodotus l. III. Nisi itaque regeneremur, serpentisque Leberidem exuamus, nihil restat, quin & in serpentes iterum commutemur.

CAP.

CAP. VII.

Contra istum serpentem alexipharmaca.

SUnt talia *I. Baptismus :* Serpentes in sicco prævalent, in aquam præcipitati prævalere non possunt, aut venena sua retinere : *Cyprian. l. IV. Epist. 7.* Cultor Dei memento te fontis & lavacri rorem subisse sanctum, &c. *Prudent. Cathemer. Hymno VI. II. Pia educatio :* Nam ut serpentes gallinaceis pullis ; sic infernalis teneræ ætati valde infesti. Ergo *circa caveam continendi sunt, & farina hordeacea pascendi dum corroborentur.* Columella l. VIII. cap. 5. Ita hic : *III. prudens conversatio :* Serpentes prope omnes austeritate fugantur, & nocentes spiritus innocentia fumi graveolentis exagitat, *Pallad. lib. I. tit. 35.* Jubet Virgilius l. 3. Georg.

- - Odoratam stabulis incendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore Chelydros.

Ita ut dicam cum Menandro : ὁ χρηστός ἐστι πολλαχῆ σωτήριος, *est sæpe multis vir salutaris bonus. IV. Cauta circumspectio.* Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur, totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur. *Isidorus lib. III. de summo Bono.* O quam parvis veniunt summa mali principiis ! *Latinus Pacat. in Panegyr. Theodosi. V. Studium humilitatis,* quæ sola altior quam ut ferire possit humi repens bestia. Securus ne sis. *Serpentes* dixit Apulejus *arundine semel percussos obstupescere, sin sæpius ferias, roborari :* Ita *Diabolus armis quibus eliditur, surgit, & virtute, qua dejicitur, dejicit : laudat, qua se perspicit superari, virtutem, ut victus possit captivare vincentem,* Fulgent. Epist. III. & *IV. Sobrietatis ;*

Sæpe etenim serpens hominis contacta saliva
Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa:

Si quis jejunus in os serpentis despuerit, illico emori scripsit *Democritus.* Sed *VII. Fides* inprimis *mundi triumphat Principem*, qua sine nihil omnia cetera proficiunt: Hæc *verbum* obtendit quasi ignem. Serpentes enim ignem valde oderunt, non solum quia oculos eorum hebetat; verum etiam quod natura ignis veneno adversetur: *Mizald. l. I. de Secret. Hortor. cap. 11.* Hæc, *crucem* ostendit, quam quercinam fuisse vult *Lipsius de cruce.* Testatur autem Democritus, mori serpentem superjectis quercus foliis: Umbram fraxini odisse fertur ceu pestem, & si hinc fraxinea fronde illinc igne sepiatur, in hunc potius fugere, quam ad illam: experti prodimus *ait Plinius lib. XVI. cap. 13.* Hæc pro *Trifolio.* Deum Trinum apprehendit: nam serpentes nunquam in trifolio adspici, *idem perhibet, l. XXI. cap. 21.* pro *pomo citreo* habet corpus & sanguinem Domini, arborem vitæ, ejusque fructum: *Felix* illud *malum* vocat Virgilius,

— — quo non præsentius ullum,
Pocula si quando sævæ infecere noverca.
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

In Ægypto forte latrones ad viperarum prandium ducebantur, objiciendi nocentissimis bestiis. Caupona præteruntibus, quod rodebat, misericordia commota donavit malum citreum, quo devorato nihil læsi sunt. *Athenæus lib. III. Diphnosophist.* Medea Absoridem olim venisse legitur, ubi frater Absyrtus sepultus erat. Ibi Absoritani serpentium multitudini resistere non poterant. Medea ab eis rogata, lectas eas in tumulum fratris conjecit, quæ adhuc ibi permanentes, si qua extra tumulum exit, debi-

debitum naturæ persolvit. *Hygini fabula est cap. 26.* Fides sepelit serpentes tumulo fratris nostri, unde nullus iis exitus est. *Crux pellit omne crimen!* Prudent. hymno cit. Sat multa, & restant tamen plura, quæ aliis dicenda relinquo. *Fugam* inter ista commendat S. Chrysostomus in Epist. ad Rom. hom. 9. & ἐπωδὴν. *In vocationem* nominis Jesu Christi.

CAP. VIII.

Serpens cur calcaneo insidietur?

CAusam exponunt Sibyllæ l. I. carm. nam cum dixissent qua pœna fuerit affectus serpens τῆς ἀπάτης ὁ ἐπαίτιος, ut ventrem trahat in terra; & homini sit odio: addunt [ex LXX. Interpp. ut vel hinc appareat, ea oracula esse hypobolimæa]

— — *Quare hic caput, ille tuetur*
Calcem, quandoquidem mortis discrimen utrosque
Urget, mortalesque veneniferosque malignos,

ut vertit Castalio, sed obscurius? mens est dicere, *summo cum studio serpentes caput custodire, & homines talos suos, eo quod utrisque certa in ea parte mors immineat, si vel homo talo serpentis caput conterat, vel serpens talo admorso venenum infundat.* Hoc volunt cum canunt ἡ ὁ μὲν κεφαλὴν προφυλάσσει σῶζειν, ὃς δὲ πλέονας. Nam ut tali os fortissimum, & basis quasi corporis est; ita serpentem mox perimit capiti impressum. Inde est, quod, *ubi se in hominum venisse manus intelligat, omni genere ab ictu caput subtrahat, idque aut collecto in orbem corpore contegat, aut foveæ immergat, cædique partem reliquam derelinquat,* ut ait S. Hilarius in Matth. Vicissim nulla pars est in universo corpore adeo consentiens cum corde, principio vitæ, ac consentit calcaneum, *ait Bustamantius*

mantius lib. I. cap. 12, de Reptil. Script. V. num. 230. docetque, citius venena, & mala omnia ab illo cordi impertiri, quam a capite, eaque de causa maleficos venena parare, quæ ſtapedibus, calceis, aliisque pedum ornamentis illita per talos cor inficiant: & ex calcaneo in cor patentem aditum anatomia deprehendi, &c. Eadem ratione inſidiatur coluber ille infernalis animæ noſtræ *calcaneo*, id eſt, parti infirmæ & infimæ, appetitui ſenſitivo, qui venenum imbibens facile cordi propinat. Hinc *pedes* in Myſticis S. literarum ſæpe affectus terrenos, deſideria carnis, amorem hujus mundi ſignificant, *Hieronym. Lauret. Silvæ Allegor. Tit. Pes, & Pierius Valerian. Hieroglyph. lib. 35.* Atque idipſum *Fabula Euridices* veteres Mythici Theologi volebant indicare, quam Orphei fingunt conjugem fuiſſe, a colubro aut vipera interfectam. Nam, ut eſt apud Ovid. Metam. l. 10. - *nupta per herbas*

Dum nova, Najadum turba comitata, vagatur;
Occidit in talum ſerpentis dente recepto.

Eam ab inferis hac lege fingitur reduxiſſe conjux, ſi non reſpexiſſet, ſed

Odit verus amor, nec patitur, moras;
Munus dum properat cernere, perdidit.

Seneca Herc. Fur. verſ. 611. vel ut Boëthius ſcitiſſime: *Orpheus Eurydicen ſuam vidit, perdidit, occidit!* Qui hac fabula mentis, in talo quaſi percuſſæ & occiſæ, ab inferis reditum ſignificatum fuiſſe ediſſerit, *lib. III. Metro. 12.* quod ex hiſtoria Lothi uxoris puto delibatum, e qua illud Domini monitum petitum eſt: *Memores eſtote uxoris Loth!* vide Geneſ. XIX. 17. Luc. XVII. 32. 33. Ne reſpexeritis *quicunque in ſuperum diem mentem ducere quæritis.* Nam *qui Tartareum in ſpecus victus lumina flexerit, quicquid præcipuum trahit, perdit, dum videt Inferos.*

Eadem

Eadem Theologia insinuata *per Achillis talos*. Nam Thetis, ut filium immortalem faceret, noctu carnes ejus lento igne exurebat, per diem Ambrosio liquore ungebat: quo factum, ut vulnerari non posset, nisi in talis pedum, quos mater manibus tenens ungere oblita fuit, *vide Apollon. l. IV. Argon.* Adeo *nemo vitiis sine nascitur* - & ut ait Alcimus Avitus ad Soror.

Nemo adeo tutus, qui non aliquando timere debeat!

Habemus omnes talum, cui dentem infigere possit ille, qui &

-- *calcatus captat vestigia serpens.*

Idem Alcim. ibid. & si vel ærei simus toti, ut *Talus ille Cretensis*, inest tamen vena, per quam veneno & morti via patet, *Apollon. l. cit. vers. 1642.* Denique hinc quoque liquet, quomodo serpens ille Dominum in calcaneo ferierit. Nam *etsi crucifixus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei.* 2. Cor. XIII. 4. Per carnis infirmitatem, sine tamen peccato susceptam, voluit eum serpens vincere, & per virtutem Deitatis carnis unitæ victus contritusque est ipse.

CAP. IX.

Homo vitrum, origine.

GEn. III. 19. *Pulvis es!* ait Deus: scilicet *origine*, non substantia. *Carnem jam teneo, non terram: licet & caro audiat: Terraes, & in terram ibis: origo recensetur, non substantia revocatur*, Tertull. de Resurr. carn. cap. 6. Vitrum ergo homo origine: Finxit non *Prometheus*, unde Symmachus l. 4. epist. 33. *Homullus Promethei manu fictus*, id est, luteus, & quantivis pretii: sed Divina μεθμήθεια. Et quidem flatu oris sui. Sicut & *vitrum flatu figuratur.* Plin. l. XXXVI. cap. 26. *Vitriarius enim dicitur,*

qui spiritu vitrum in habitus plurimos format, qui vix diligenti manu effingerentur. Seneca Epist. 90. *Materia* fuit pulvis : Vitri arena, quam primam præbuit *Belus amnis*, qui Judaico mari illabitur : circa cujus os collectæ arenæ, admixto nitro, in vitrum excoquuntur, *Tacitus l. V. Histor. post princip.* Inventum enim in Phœnicia primum. Sidone quondam iis officinis nobili, quæ etiam specula excogitaverat. *Plin. l. cit.* Tempus inventionis ignoratur, & auctor: sed generis nostri scimus. Non adeo antiquum fuisse conjectant aliquo modo, quod in sacris literis non exstet vetus memoria. Sed ut pulvis: Sic limus ille, e quo homines sumus, Dei opificio in melius commutatus est. *Nam & aurum terra, quia de terra: hactenus tamen terra, ex quo aurum, longe alia materia; splendidior atq; nobilior de obsoletiore matrice*, Tertull. modo cit. *Finis* denique conditionis voluptas & gloria creatoris. Quomodo de Tacito Imp. Vopiscus scripsit: *Vitreorum diversitate atq; operositate vehementer fuisse delectatum.* Certe quod de Homine Filio Dei dixit David, hic quoque quadret : *gloria & honore a Deo fuisse coronatum*, Psal. VIII. 6. qua ratione *calix scitus & elegans*, & ut ait Tertullianus, *de diligentia ministerii commendatus, de coronis quoq; potatoris sui inoratur, aut adspergine florum honoratur*, l. cit. cap. 16. sic enim more receptum fuit : *poculis rosæ innatabant, & quidem hibernæ, ita luxuria annum verterat*, Latinus Pacatus in Panegyr. Theodos. pag. m. 256. - *coronatus stabat & ipse calix*, Ovidius. Homo igitur vitrum *origine*, quæ supersunt, nec pauca, ne prolixitas tædio sit, seorsim dabo.

(o)

CAP.

CAP. X.

Humana fragilitas.

HÆc altera comparationis ratio est. Quid enim homo, & humana denique omnia ? Vitrum si dixeris, non errabis. Phædrus fab. 73.

---- *Prometheus auctor vulgi fictilis.*
Qui simul offendit ad fortunam, frangitur.

Dixi non iteranda, in Theolog. Symbol. cap. 200. Novit Deus fragile nos figmentum esse, Psal. CIII. 14. non e duro saxo, non ex solido ære, Job. VI. 12. sed pulvereum. Itaque magna cum longanimitate sustentat, ne allidat: Rom. IX. 22. quomodo diligens & attentus Paterfamilias ad rem, etiam *venenarium calicem, in quem mors aliqua ructarit*, Tertull. ubi supra. Mavult extergere, quam proterere, si modo purgari nos sinamus. Non facit ut *Cotys Thracum Rex*, qui furoris sui sibi conscius, donata ab hospite quopiam elegantissimè cælata vasa, sed fragilia, comminuit, ne si minister aliquis fregisset, in ira modum non posset tenere. *Plutarch. Apophtegm. Reg. & Imp.* Vult potius prudenter tractari terrestre hoc vasculum. 1. Thess. IV. 4. 1. Petr. III. 7. cum cura emundari. 2. Tim. II. 21. portantesque immensum gratiæ suæ thesaurum in vase testaceo, vitreo, fragili, 2. Cor. IV. 7. ambulare sollicite, Eph. V. 15. quis apud Pollionem Vedium crystallinum firma manu tenuisset, & *ut cor non faceret histrioniam*, id est, subsiliret? qui servum, & quidem Augusto præsente & conviva, quod tale fregisset casu, murænis suis in cibum jussit objici. Periisset puer, nisi ad Cæsaris pedes confugisset. Qui illum mitti, crystallina omnia coram se frangi, piscinamque compleri jussit. *Seneca l. III. de Ira cap. 40.* Graviter S Bernhardus: *Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, essetq; penes me repositus*

in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certe id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa utiq; sapientia sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multo plura, quam vitreis, imminere pericula videantur. Serm. 3. Advent.

CAP. XI.

Omnia Vitrea.

CElebrantur in historiis Vitreus *Archimedis globus* cœlestis, de quo Claudian. Epigramm. 26. Vitrea *domus Firmi Tyranni*, qui sub Aureliano Ægyptum occupaverat; homo tam dives, ut domum vitreis quadraturis, bitumine aliisque medicamentis insertis, induxerit, *Vopiscus in Vita:* vitreæ *columnæ Templi in Arado* [quæ in Phœnice Insula est, tota qua patet oppidum, *Pompon. Mela l. II. cap. 7.*] magnitudinis immensæ, quas miratum S. Petrum scribit Pseudo-Clemens ille lib. VII. Recoguit. Vitreum *Castellum*, *Venetorum*, ad Imp. Ferdinandum donum, quod ostensurus Principibus quibusdam viris, cum ministri timide musarent, confractum esse, nihil commotus, *Vitreum*, inquit, *erat!* &c. sic sunt, quæ in mundo maxime spectantur.

Fortuna vitrea est, cum splendet, frangitur,

ait P. Syrus. *Vitreus* famæ & gloriæ *sinus.* Paulinus ad Licent.

Nunc tibi falsa placent bona, nunc rapit omnibus auris
Ambitus, & vitreo fert cava fama sinu.

Voluntas in hoc corpusculo, ut vinum est in vitro Proverb. XXIII. 31. Forma bonum fragile est. Vas figuli Tyranni cum omni sua potentia, Psal. II. 9. Mundus, quantus quantus est, *mare vitreum*, Apoc. IV. 6. ubi Ribera Comm. p. 156. Et hæc tam multos inflamment? ut *vitreæ*

pilæ

pilæ aqua addita sole adverso vestes exurunt, Plinius l. XXXVI. cap. 26. tam multos ad se rapiant, ut pueros ignis periculi ignaros? quibus comparat Clemens Alex. l. II. Pædag. cap. 12. qui in lapillos, in vitra varia, cupiditatibus suis feruntur. In his tam multi se venditent? ut peregrinantes illi luxuriosi, de quibus Seneca: *Omnes jam mulos habent, qui Crystallina, & murrhina, & cælata magnorum artificum manu, portent. Turpe est videri, ea te sarcinas habere, quæ tuto concuti possunt*, epist. 123. Nam fidem, spem, patientiam & cetera solida bona in sarcinis habere, jocus vulgo & risus est. Quid dicam illa mundi promissa, magno cum hiatu? *vitrea fracta*, cum Petronio, qui declamatorum sui ævi sic vocabat frigidas sententiolas, in Satyr. & patiantur tam multi os adeo sibi oblini? sic hæreticorum *acumen vitreum, quod lucet vanitate, sed frangitur veritate*, apud August. serm. 11. de Verb. Apost. *inanes contradictiuncula, vitreaque sententiæ veritatis malleo obterendæ*, apud Vigilium Martyr. contra Eutych. sub fin. Denique, ut ad originem vitri revertat oratio, refert Josephus juxta Ptolemaidem, esse fluviolum Beleum illum, ut vocat, vitriferum, & ad illum *Memnonis sepulchrum* in valle rotunda, vitream emittente arenam: Mirum esse, quod cum arenam exhauserint multæ naves, locus tamen semper rursum compleatur: Sed mirius, quod si quid vitri jam conflati in margine loci illius jaciatur, in arenam redeat: *l. II. de Bello cap. 9.* Sed nihil mirum est, si in vita hac fragili, ubi perenniter pulvis se propagat, in pulverem quicquid pulvis fuit convertatur.

CAP. XII.

Miscellanea de vitro ad hanc rem.

DIxi, hominem vitro similem *origine & fragilitate*: addo aliqua in cumulum, & comparationis alias in-

spergo rationes. Locus apud Artemidorum est huc faciens Onirocriticor. l. 1. cap. 68. Nam *nullus adeo malus est liber, ut non aliqua ex parte prosit*, ut historiæ naturalis conditor, helluo ille librorum, Plinius dicere solebat, teste Nepote lib. III. Epist. 5. Scriptor ille vanissimæ artis, in argumento pastoritia, quod ajunt, fistula exsibilando multa reconditæ doctrinæ sparsit. *Ex poculis*, inquit, nempe in somnio visis, *aurea & argentea & testacea omnibus bona sunt, & multæ securitatis significativa, partim quia ex materia solida, partim quia ex familiari & consueta. Itidem cornea, tum propter antiquitatem, cum quod infracta sint, bona sunt. Vitrea vero mala, propter materiam* [puto quia aliquid veneni ex nitro trahere creduntur,] *quandoque pericula denunciant, quia facile franguntur, & occulta revelant propter perspicuitatem.* Addit significare pocula *eos quos labiis admovemus, osculo excipimus; quum itaque franguntur, aliquem ex his moriturum esse indicant: si quis solitarius sit, ipsi mortem præsagiunt. Navigantibus videre poculum frangi, naufragium significat. Pocula anguſti oris non ita dudum inventa*, quos guttos latine dicimus, *si frangantur, omnis angustiæ solutionem promittunt.* Multa hic amœna. 1. Fuit Romæ sub Tiberio mirus artifex, qui *vitrum ductile* fecerat, ut duci in laminas & malleo fingi posset, ut cetera metallorum. Historiam habes ex Petronio, Saresberiensi, Isidoro in Theol. mea symbol. Dion. lib. LVII. sic recitat: *Architectum illum, cujus ne nomen quidem invidus Imperator voluerit exstare, porticum maximam in latus inclinantem, firmatis fundamentis, velleribus & centonibus undique circumdedisse, funibusque alligatam in pristinum positum restituisse. Tiberium artem miratum artifici gloriam invidisse, donatumque ex urbe ejecisse. Rediisse illum oblatumque dono vitreum calicem affabre cælatum, consulto, quasi fortuna excidisset, e manu abjecisse, fractum-*

tumque manibus subegisse, & refecisse; sic veniam sperantem, mortem consecutum esse. Major artifex Deus est, qui ex vitreis vasis aurea facit & argentea: quæ tamen *sic aurea vere dixeris, quia claritate fulgent, ut & vitrea non negare possis, quia puritate translucent*, ut loquar cum Gregor. Rom. l. XVIII. Moral. cap. 27. Solida ea sunt, & frangi non metuentia, tanta firmitatis securitas est. Patent omnia, quæ hic latent, nec Momi fenestellis opus est, ut cordis secreta alter alterius perspiciat. Sic ergo homo vitrum quoque erit *in renovatione*, sed non auro illusum obiter, verum ex solido auro. 2. Pellucet autem hic quoque hominis animus, si oculum prudentiæ admoveas: Vultus, frons, gressus, habitusque produnt. *Nec operta mentium rimari necesse est, in serenis frontibus animorum indicia perleguntur*; Nazarius in Panegyr. Constant. de quo alias. 3. Cadit aliquis tuorum charissimorum, memento vitrum fuisse, genuisse te mortalem. Num tu minus sæpe osculatus es calicem tuum? aut impressum *osculum alteri propinasti?* Sic enim mos fuit, vide *Achill. Stat. lib. II. Amor. p. m. 33. & Agathii Epigramma l. VII. Anthолog. ubi* ἡ κύλιξ πορθμέυει τὸ φίλημα: id est, ut breviter sensum exponam:

Navigat in poclis, & suavia mutua mittens
Nuncius acceptas reddit amor charitas.

Quid navis, nisi vitrum ventis permissum? Quid vita nisi talis navis? Sap. V. 10. Quid homo? Lucerna, ventis exposita, ut ajebat *Epictetus in Altercat. cum Adriano Imp.* utique & vitrea. Bulla & ampulla: utraque vitrea, nisi quod isti nil subest solidi:

Sic cursus ævi serpit omnis concitus!
Sic insolentia se soluta contrahit!
Ut bulla inani tumida ventulo emicat,
Et se se in altum efferre sæpe cernitur:

Simul

Simul minutum quid latenter incidit,
Seu mica, seu festuca, seu guttula fluat,
Nil interest, levitate disperit sua,
Atque icta se vehemente contrahit impetu.

Pisidæ verba sunt *de Vanitate vitæ.* Itaque unicuique nostrum dicitur: *Dispone domui tuæ, velut vitreæ ampullæ, super quam si ceciderit lapis, vel ipsa super lapidem, confringetur.* Petr. Blesensis serm. XVI. in Hebdom. Pœnosa. Et mirabitur aliquis, si bulla evanescat? ampulla vitrea dissiliat? vitrea denique navis, dum vitreas perlabitur undas, allisa naufragium faciat? aut insolenter mœrebit, si anima, quæ in corpore, ut in angusto vase, arcte habitat satis, in latitudinem immensi cœli evolet? Talem nobis *guttum* describit hominem Quintilianus, dum vetat onerare discentium infirmitatem: *Nam ut vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus, vel etiam instillantibus complentur: Sic animi puerorum quantum accipere possint videndum est*, lib. 1. Instit. cap. 2. Denique 4. memorat Caspar Ens Pausilypo suo, fuisse ante hos annos *Thomam* quendam *Rorarium* in Hispania, cetera sanum, nec indoctum, sed cui rationem phantasia perturbarit, ut se vitreum serio crederet. Itaque gossipio & lana sub veste fultus, qua qua incedebat, suspectabat, ne repentino aliquo ictu allisuve creparet. Avebat in aula aliquis primorum festivum caput visere, & frui alloquio. Ille tuta omnia formidans inter vitrea vasa diligenter compactus, & stramine multo obligatus tandem Salmantica Vallisoletum plaustro deportari se sivit. At non insaniet, qui se ex animo vitreum reputans, tanto majorem in servando se ipsum curam adhibeat. Non adeo insciti fertur illud: *Bonum castellum custodit, qui corpus suum custodit*, apud Bern. *Nonne casus nostros nobiscum in hac carne portamus? nonne fragiliores sumus, quam*

quam si vitrei essemus? Vitrum enim etsi fragile est, tamen diu durat, & invenis calices ab avis & proavis, in quibus bibunt nepotes & pronepotes. Tanta fragilitas custodita est per annos. Nos autem homines, & in tantis casibus quotidianis fragiles ambulamus; Et si casus ipsi repentini non accederent, diu tamen vivere non valeremus, ait Augustin. lib. Quinquag. hom. 28. apud quem & vitro *lætitia* comparatur, *fragiliter splendida, cui timeatur horribilius ne repente frangatur*, lib. IV. de Civ. Dei cap. 3. ergo τὰ ἀνώτερα καλλίω.

Sunt ubi Chrysolithis fabricata palatia gemmis,
Atque smaragdineo janua poste viret:
Limina sardonycho variata ubi lumine florent,
Et hyacintheus circuit ordo domum.

Fortunatian. ad Virgin. Ipsæ plateæ aurum purum, ὡς ὕαλος διαφανής. Apoc. XXI. 22. quod proverbiale est: Σιδωνίας ὕελος διαφεγγέστερον. Lucian. in Amorib. *Fides vitro lucidior.* Horatius I. Oda 18.

CAP. XIII.

Peccatum originis ficus silvestris.

ELegantissima est comparatio Epiphanii, qua ille labem & tabem peccati originarii cum ficu silvestri comparavit, locum lib. VI. cito, ubi *de veste pelliceâ Adami:* & mox dabo integrum. Sic alii non absimilia. Edo quædam ejus generis: *Tertullianus* de Præscript. cap. 36. *Etiam de olivæ nucleo, mitis & opimæ, & necessaria asper oleaster exoritur; etiam de papavere fici gratissimæ & suavissimæ, vana & ventosa caprificus exsurgit: Ita & hæreses de nostro fructificarunt, non nostræ: degeneres veritatis grano, & mendacio silvestres.* Idem folia illa perizomatis Protoplastorum vocat *lasci-*

via

viæ frondes, & de carne corrupta ait: *adhuc in Adamo deputabatur cum suo vitio, facile quod speciosum viderat concupiscens, & ad inferiora respiciens, & de siculneis foliis pruriginem retinens. Inhærebat usque quaque libidinis virus, & lactæ sordes habentis non idoneæ, quod nec ipsæ adhuc aquæ laverant*, scil. Baptismi: sic lego locum, pro iis quæ corrupte exstant, *& lactæ sortes non habentes idoneæ:* nam sordes ipse paullo post repetit. *Lactam* aut *lacteam* vocat lacteum humorem, *pomi infantiam*, quam culices caprifici absumunt, ut sordibus his ablatis matureſcant fici, Plinius l. XV. cap. 19. aliter Franc. Junius quem vide: comparat carnem cum ficu immatura, tum propter pruriginem foliorum, cum propter virus illud lacteum libidinis & pravæ concupiscentiæ, quo fit, ut ad omne bonum simus inidonei ante salutare lavacrum. Sic homines nequam *cum mala ficu* comparantur Jerem. XXIV. 3. & XXIX. 17. Pii *cum præcoce*, quæ in deliciis & avide expetita: Lucull. apud Non. Marcell.

Sicuti cum ficus primus propala recenteis
Protulit, & pretio ingenti dat primitu' paucos.

Vide Ose. IX. 10. Esa. XXVIII. 5. Mich. VII. 1. Plin. l. XV. cap. 18. Unde difficillimo loco lux, & quæstio solvitur: *quomodo fructum in fico arbore quæsierit omniscius Dominus, cum nondum esset tempus?* Marc. XI. 13. Nam etsi *grossorum* tempus nondum esset, erat tamen circa pascha in Judæa tempus *prodromorum*, quales καὶ ἀνθρώπων exspectare poterat sub foliis, Plinius l. XVI. cap. 26. non quod nescieris, sed quod nescire se simularit. Talis enim ficus erat ipsa Judæa, quæ *præcoquas* adspectu ipso promitteret, in spem futuræ fœcunditatis; sed cum nil nisi folia ferret, maledicta est in ea arbore. Sic puto narrationem Evangelistæ explicandam, ut codici vis nulla fiat,

fiat, vide Heinsii Aristarch. & Walæi Annot. ibid. confer Cant. II. 13. & observa tria ficuum apud Hebræos nomina; nam *Becura* dicitur ὁ πρόδρομος σῦκον præcox: at *Pag* grossus immaturus, ὄλυνθος: poma matura τὰ σῦκα, vocant *Theenim*. Ergo si immatura *vere adultiore*, ut ex Cant. l. c. patet, *primo* statim erant prodromi. Sed ad pensum; notus est Persianus locus, quo vanam de eruditione arrogantiam reprehendens, sic ait:

Quid didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Enata est, rupto jecore, exierit caprificus? Satyr. 1.

Quomodo Dominus hypocriticam Pharisæorum jactantiam & superbiam *fermento* comparavit, & Jobi cap. XXXII. 19. Elihu sapientiam suam ferventem & ebullientem *musto*, quo dolia rumpuntur, nisi in auram despumet, aperto ore, remotoque operculo. Apud Athenæum l. III. ex Sophocle, scitum est proverbium: *Immatura caprificus cum sis*, ἔρινος esui non idonea, *alios oratione tua caprificas*, ἐρινάζεις, ut maturi scilicet fiant, de qua *caprificatione*, Plinius cit. XV. cap. 19. Cui geminum illud: - *fungar vice cotis, acutum reddere quæ ferrum valet exsors ipsa secandi.* His præcognitis facilis est & venusta peccati cum ficu agresti, aut caprifico comparatio: 1. *Qua ortu*: nam ex dulci *papavere*, id est, semine fici provenit, liberi arbitrii, quo turpiter abusus Adam peccavit, ficus & ipse quædam πρόδρομος, Deo gratissima: aut si mavis, ex pomo illo hæsit semen, ac in caprificum degeneravit, cujus morsu in mortem corruit, quod ficum fuisse veteres, ut dixi, tradiderunt, *cujus intuitu arbor illa sterilis maledicta*, Isidorus Pelusiota l. 1. Epist. 51. Beza in Marc. l. c. 2. *Qua effectu*: nam ficus, ut & caprificus, innata saxis, templis, sepulchris, ea diruit: *Radicum capilli paullatim turgentes, fabricarum visceribus inseruntur, & more vipereo illa prolem*

sibi

sibi contraria fœcunditate nutriunt, unde se compago cassura dirumpat. Cassiodor. lib. var. II. Epistol. 39. apud quem & libr. V. Epistol. 38. ea de causa Theodoricus Rex jubet *tenera virgulta aquæ ductibus innata exscindi, quia quæ possunt noxiæ crescere, celerius debeamus amputare. Nam quæ nunc virgulta sunt, erunt, si negligantur, & robora.* Effectum hunc spiritus intensioni tribuit Seneca, l. II. Nat. Quæst. cap. 6. Hinc illud dirarum genus apud Propertium l. IV. Eleg. 5.

Sit tumulus Lenæ curto vetus amphora collo,
Urgeat hunc supra vis, caprifice, tua.

Rumpit enim ut erumpat, & obstantia marmora findit: Sic peccatum illud Dei templum, quod jam sepulchrum evaserat. Ex sepulchris erutæ caprifici & cupressi ad sagarum infames artes, *Horat. Epod. 5.* His adde pruriginem a foliis, fructus acerbitatem, & meritissimam maledictionem; quæ omnia a primævo peccato nobis insunt natura. Certe ut caprificus *ventosa spiritu, vana fructu*, ut ex Tertulliano audivimus: Ita peccatum. Denique 3. *Qua eventu:* diruto enim Dei Templo, necessaria fuit reparatio, aut ex ruderibus novi excitatio. Quam cœlestis Architectus hic incipit moliri, perficiet in resurrectione. Sic enim Epiphanius, nam audire operæ pretium est: *In Templorum pulchrorum ædificiis ficus enata, & ad justam proceritatem ac magnitudinem probe coalita, inque omnes lapidum commissuras multifidis radicibus diffusa, non prius cessat crescere, usque dum omnis exstirpetur, dissolutis ubi pullulavit lapidibus: quippe sublata ficu possunt lapides in pristinos suos locos redaptari, ut & templum servetur, nihil ultra damni sibi contrarii* [mali, quo dissipetur] *proferens; & ficus stirpitus excisa moriatur: Eadem ratione Deus opifex Templum suum Hominem, qui peccatum instar ἀγελαίας συκῆς pro-*

progerminaverat, dissolvit mortis ad tempus ictibus, occidens, juxta quod scriptum est, & vivificans: quo eadem eorundem membrorum caro, post peccatum jam arefactum & mortuum, instar Templi renovati, immortalis & integra suscitetur, perdito τελέως ἐκ βάθρων peccato. Nam, ut pie subjicit, quandiu corpus hoc ante mortem vivit, σύζην ἀνάγκη ἢ τὴν ἁμαρτίαν necesse est, ut simul & peccatum vivat, intus in nobis radices suas abscondens, etsi foris disciplina & doctrina, ceu amputatione coerceatur, & alia de reliquiis peccati in renatis, contra quam Pelagii schola ejusque asseclæ docent, orthodoxa. Hæc meditari utile est. *Caprificus tauros quamlibet feroces, collo eorum circumdata, in tantum mirabili natura compescit, ut immobiles præstet,* Plinius l. XXIII. cap. 7. Gesner. Hist. Quadr. p. 106. Pier. Valer. Hierogl. p. 23. Nihil nos mitiores efficere potest & modestiores ista meditatione: hæ curæ, quasi *culices e caprifico*, maturitatem dare possunt *grossis* nostris, *qui ut ficuum immaturi ad nihil utiles sunt, nisi quod secuturi fructus sunt quidam prænuncii*, ut ait Bernhardus de primo renatorum in bonis operibus conatu, Serm. 60. in Cant. vide Plin. cap. XIX. l. 15. Atque adeo, ut in ficetis fit, *caprificus ut plantetur, aut colligatæ muscellæ ficis injiciantur*; ita hic quoque animo crebra cogitatione defigi ac injici malum hoc contagium convenit. Solatio contra & remedio est aqua Baptismi, quo peccatum hoc abluitur, regnumque Diaboli destruitur. Sic *Messenen in fatis fuit deleri, si Caper Nedæ undas attigisset.* Vetabant Messenii itaque suos eo capros aquatum duci; sed oraculum Caprificum intellexit, quæ in margine amnis illius alicubi stabat jam inclinata; hanc arborem Messenii τεφρον vocabant, *Pausan. Messenic. sive lib. IV.*

CAP. XIV.

Pomum aureum Imperii Insigne.

REgum *insignia* potestatis, aut etiam officii symbola fuere. Sic *ciconia* superius sceptris quibusdam insidebat, inferius suppositio Hippopotamo, ad declarandum ὡς ἀποτακλαι ἡ βία τῇ δικαιοπραγίᾳ, ut refert & explicat *Suidas* in ἀνιπελαργεῖν: vel quod sit regium, ut Poëtarum Plato censuit,

Parcere subjectis, & debellare superbos.

regibus Persarum, quod Romani postea æmulati sunt, *sacer in argenteis altaribus ignis* prælatus est, de quo in Joel. cap. II. 3. & in Symbol. Theol. dixi: Quo regum divina quædam potestas insinuata, &c. Deut. IV. 24. Æthiopibus Christianis insigne regium hodie præfertur *cinis in aureo vasculo*: olim sceptrum fuit *in aratri formam, & oblongus pileus aspide circumvolutus*: in monumentum, eos qui contra Reges auderent insurgere mortiferis subesse morsibus, *Diodor. Siculus l. IV.* Rex Benomotapæ, quæ pars est Æthiopiæ, duo insignia gestare solet: *ligonem parvum argenteum cum eburneo manubrio*, quo subditos ad agriculturam excitat; *& duo jacula*, quibus se scelerum vindicem futurum, hostesque virtute & armis repressurum significat. *Hieron. Osorius de Reb. Eman. Portug. Reg. l. IV p. 127.* Basano Regi Sicambrorum *funem & gladium* prælatum ferunt arma justitiæ, cujus tam rigidus executor ille, ut filium Sedamum adulterii convictum sua ipse manu confecerit. *Trithemius l. 1. Breviar. Hist. Franc.* Barbarum hoc: Mitius Romani, *secures fascibus illigatas* inter insignia summi Imperii habuere, quod quæ emendari posse spes esset, virgis castiganda censuerint, at - *immedicabile vulnus*, ut ait Poëta,

Ense

Enſe recidendum ne pars ſincera trahatur: Plutarchus quæſt. Rom. q. 82. Sic Duci Venetorum *gladius aurea tectus vagina* præfertur, Bapt. Egnat. l. II. Exempl. Venet. Nam ne Jupiter quidem, ut ethnici crediderunt, *manubiam implacabilem, fulmen inexorabile mittit, niſi ſummatibus Djs in conſilium adhibitis, habetque tela quædam ſecunda*, ac aliquod

— levius fulmen, cui dextra Cyclopum
Sævitiæ flammæque minus, minus addidit iræ.

Vide Senec. Quæſt. Nat. l. II. cap. 43. & 44. Regibus Judæorum *Liber Legis & gladius traditus* in ſolenni inauguratione creditur, vide Deut. XVII. 18. & in 1. Sam. X. Abulenſ. ac Sanctium. Sed hæc obiter, aliud enim ago: Romani unde regalia ſua inſignia, coronam auream, ſellam eburneam, ſceptrum in ſummitate habens aquilam, & alia acceperint docet *Dionyſius Halicarn. l. III. Rom. Antiq.* Eorum quædam poſtea conſulibus, quædam ſolis conceſſa triumphantibus. Sic inter conſularia inſignia recenſentur, *veſtes palmatæ, ſcipio victorialis* [cui aquila inſidebat, vide Iſidor. XVIII. Etymol. cap. 2.] *calcei aurati, ſella curulis*, &c. a Caſſiodoro l. VI. variar. Epiſt. 1. At *de Pomo aureo* Impp. dicere aliquid conſtitueram, quod ſuperior locus admonebat. Mundi imaginem gerere opinio communis eſt, de qua Gotefridus Viterbienſ. Chron. p. XIX.

Aureus ille globus pomum vel palla vocatur,
Unde figuratum mundum geſtare putatur.

Et deinceps:

Regius includit ſic omnia climata pugnus,
Taliter omne quod eſt regia pompa tenet.

Cur *pallam* vocet, non ſuccurrit legiſſe animo. Credo

fere nomen ex vernaculo Apfel derivatum; der Reichs-Apfel. Origo quæ fuerit, aliis relinquo expendendum. Juno polycleti Argiva dediſſe potuit. Ea in ſolio ſedebat, *coronam* geſtans in capite, *in qua Gratiæ & Horæ affabre factæ.* Manu altera *malum Punicum*, altera tenebat ſceptrum, cui cuculus avis impoſita, *depingente Pauſan. l. II. in Corinth. p. 108.* Nempe hoc eſt, quod dicebam: *Malum Punicum* Regni alicujus nativum quaſi hieroglyphicum eſſe, in quo ſub una quaſi corona, multæ humanæ vitæ ſocietates apto ordine inter ſe revinctæ continentur, qua de re Pineda in Job. XXXIV. 24. Pierius Valer. Hieroglyph. l. LIV. p. 398. *Acini aut gemmæ*, cives ſunt boni; *cortex* amarus leges; *amara enim*, ait Lactantius, *male viventibus præcepta juſtitiæ: Forma* ipſa rotunda, ad inſtar mundi inſtituendam Remp. admonere poteſt: *Corona*, regium regimen eſt, quod quia Chriſtiani Reges Chriſto ſubjiciunt, a quo ſuſcipiunt: hinc in coronæ locum *crux aurea* ſucceſſit. Nec multo aliter Eccleſiam ſignificari malo Punico tradiderunt pii Veteres. Eucherius Lugd. de Form. Spir. intellig. cap. 3. *Mala granata, Eccleſia de multis gentibus, ſive diverſas gratias habens.* S. Proſper. de Promiſſ. p. 2. cap. 3. *Mala granata omnis Eccleſia, per mundum, connexos, ut grana intrinſecus, continens populos, in vinculo pacis & gratiæ, ut unum eos tegmen operiat charitatis.* Hoc ſibi regnum paſſione crucis comparavit Rex Regum, cujus *paſſionis malum Punicum*, ut hoc velut condimentum adſpergam, quoque *ſymbolum* creditur. *Malum Punicum cum frangitur, exterius rubor, interius candor apparet: Sic & ſancti prædicatores cum paſſionem Chriſti annuntiant, quaſi rubor eſt exterius; cum vero, quanta utilitas noſtræ redemtionis inde provenerit, demonſtrant, quaſi candidum eſt, quod intrinſecus latet.* Caſſiodor. in Cant. cant. c. IV. Quo pertinet quod Artemido-

midorus habet in Onirocrit. l 1. cap. 15. *Mala Punica vulnerum significativa esse, propter colorem; & tormentorum propter spinas*, &c. Delrio eleganter ostendit, Ecclesiam figurari ejusmodi malo; 1. Quia ut multa in hoc grana sub uno cortice; ita in illa gentes multæ unius vinculo fidei continentur: 2. Illa suis folliculis; hæ suis diœcesibus distinguuntur: 3. par granorum numerus in omnibus pomis, nec plura in majoribus, nec pauciora in minoribus, quod singulare; Ita hic communia præcepta, sacramenta, charismata, &c. Ephes. IV. 4. Denique 4. ut *in omni malo punico granum aliquod putidum*, juxta Proverb. Ita hic boni malique mixtim! Sic in omni vita humana. Nihil est ab omni parte beatum. Clarissimis ingeniis accidit, quod isti pomo. Vere dictum & scite illud a Varrone de LL. *Neque in bona segete non esse aliquod spicum nequam; neque in mala non aliquod bonum:* Neque minus venuste a Fulgentio Grammatico: *Literarum principes animadversum esse, inter tanta dulcia poma, aliquando mora* [μῶρα] *posuisse.* Denique ut elegantissime dixit Apulejus: *Perpetua quædam mellis & fellis conjugatio est: ubi uber, ibi tuber!*

CAP. XV.

Bellum fera bellua, ejusq; alea anceps.

PRoverbialis est Davidis sententia: *Sicut hunc, sic & illum devorat gladius.* 2. Sam. XI. 25. Mars est, ut dixit Homerus ἀμοτεσσιβρότης. Statius l. VIII.

Stat medius campis ---
Armipotens, jamq; hos clypeum, jam vertit ad illos.

Nota sunt illa Homerica:

ξυνὸς ἐνυαλίοιο, καὶ τοι κταμένοισι καλέσσαι

Mars est communis, perimentum & sæpe peremit. & alibi -- νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας - *redit & victoria victis:* Veluti Valer. Flaccus l. VI.

-- -- *eadem redeunt mox gaudia victis,*
Qua Deus & melior belli respexit imago.

Belli fortuna ita plerumq; dubia & anceps est, ut magnus interim numerus a pauciſſimis, & qui potentiores creduntur ab iis, qui imbecilliores habentur, victi superatiq; sint. Herodian. l. VIII. *Quid enim incertius est, magisque instabile bellicis eventibus? ubi nullus est laborioſi certus certaminis exitus, nulla certa victoria: & sæpe ab inferioribus sublimiores superantur: nonnunquam vero in alterutros vergentia mala eveniunt coæqualia, & qui se præsumebant habituros esse victoriam, utrique in fine non habent, niſi calamitoſam miſeriam,* ait Sedul. de Rector. Chriſt. cap. 3. juxta illud: *Flet victus, victor interiit.* In hunc ſenſum accipiunt illud Davidis dicterium: quaſi conſolantis Joabum eſſet ſententia, ne animo frangatur; non eſſe inuſitatum in bello, ut qui plerumque ſecunda ſit uſus fortuna, adverſam aliquando experiatur, & *vide h. l. Sanctium.* Peperit eum ſenſum, quod vulgatus Interpres adjecit: *Varius belli eventus est, & nunc hunc nunc illum gladius consumit.* Sed ſi fontes adeas, in quibus illud de vario belli eventu abeſt, videbis hoc velle Davidem: *Ne te res ista animi angat, nec ut inſperatum hunc eventum excuſes opus est.* Aliter hæc ſacra non conſtat! Es wachſen auf dieſer Wieſen keine andere Blumen. Auf dieſer Kirchweyh gibt man keinen andern Ablaß. Wer kegeln wil/muß auffſetzen. Mors nulli parcit.

-- -- *jugulum puer enſibus offert*
Imberbem, tremulumque ſenex, & tyro comantem,

Iſcanus Poëta vetus Britannus in Daretis Bell. Trojan. l. IV.

l. IV. v. 346. *Duces non habent Deum aliquem sponsorem vitæ omnium eorum, qui pugnaturi sunt: nec certis conditionibus verbisque conceptis imperia accipimus, ut omnes hostes devincamus, & nullos de nostris amittamus*, ait Sp. Servilius apud Dionys. Halicarn. l. IX. Antiq. Rom.

-- -- arma non servant modum
Nec temperari facile, nec reprimi potest
Stricti ensis ira: bella delectat cruor,

Seneca in Herc. Furent. v. 402.

Nota interim & elegans metaphora est, qua gladius & bellum dicitur *devorare homines*: ut Mars βροτολοιγὸς καὶ μιαιφόνος. Sic hostes dicuntur *terram devorare toto ore*. Esai IX. 12. Romani contra urbem Cyzicenorum amicissimam ex omni impetu regio, *& totius belli ore ac faucibus* eripuisse, Cic. pro Archia. Sic magna regna immanibus feris comparantur, quibus S. Scriptura non cornua modo tribuit, sed & ora & dentes, *vide D. Glassium S. Rhetor. Tract. 1. cap. 11. pag. 307.* &c. Eo spectant bestiæ illæ Propheticæ è mari visæ exsurgere Dan. VII. 17. Apoc. XIII. 1. notandumque, ut ait Hier. in Daniel. *quod regnorum feritas atque crudelitas bestiarum nomine demonstretur*. Mare autem *juxta Theodoret. ibid.* vita est infinitis procellis maximis abundans: Venti id impellentes rerum mutationes. Denique ut *gladio os* tribuit S. Scriptura, id est, *aciem*, ut notat *Flacius in Clavi vocab. Os, & D. Glass. loc. cit.* sic Græci ipsam Bellicæ aciei frontem poëtice vocant στόμα δηϊοτῆτος, *os pugnæ*, ut Quintil. Calaber. l. 1. v. 192. Secutus Homerum, cui idem στόμα πολέμου. Apte, quia prima acies devorat milites. Et ut ἔσχατος στρατοῦ τὸ ὄπισθεν *extremum agmen cauda dicitur*, unde Ductor ejus ἔσχατος &c. Sic στόμα, ἐν ᾧ οἱ πρόμαχοι ἵστανται, *os ubi stant primi ordines*, sic Eustathius in Iliad. 1.

CAP. XVI.

Diaboli Sagittarii.

LEgeram apud Dionem Cassium lib. LXXII. sub Imp. Commodo, multos non solum in urbe, sed etiam sub omni fere Imperio Romano a maleficis hominibus necatos novo veneficii genere. *Acus parvas veneno quodam illitus mercede conducti clam in alios conjiciebant. Reperta occulti homicidii ars sub Domitiano, ubi* idem ut refert Historicus lib. LXVII. *nonnulli cœpere acubus veneno oblitis, quos erat collibitum, pungere, qua ex re multi ne sentientes quidem moriebantur.* Venit mihi in mentem Davidicæ querelæ; *Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde!* Psal. XI. 2. & LXIV. 4. *Exacuerunt ut gladium linguas suas: intenderunt arcum, rem amaram; proprie: direxerunt sagittam suam, sermonem amarum; ut sagittent in occultis immaculatum: subito sagittabunt eum, & non timebunt.* Habes Diaboli *Arquites*, ut veteri vocabulo veteratores appellem, graphice pictos. Quinam illi? חרשעים *Hareschaim*, *peccatores* verbo, Diaboli Patris sui filii, scelerum omnium mancipia, Dei hominumque odia. οὐχ ἕτερόν ἐστω τερπῶν θεομισὴς, ὡς ὁ λοιδοριὸς ὑπεθώσκων ἐξ ἀφανοῦς: *Neque enim aliud quidquam æque Deo invisum, ac calumniator ex occulto vulnerans*, ait Synesius Epist. 44. *Nam quum ignaviissimus sit*, inquit, *mala tamen maxima perpetrat. Atque hoc ajunt esse fatum Cinædorum*, &c. Itaque si quis rumorum ejusmodi sator obveniat, *ne dubites, audacter pronuncia esse eum ἡμίγυνον, αὐτόχρημα θιασώτην τῆς Κότυος, seminarem, impuræ Cotyos ipsissimum sodalem.* Quid vero faciunt? habent pharetras mille semper sagittis refertas, habent jacula sua semper in nervo, & arcum nunquam non intentum.

Mu-

Muscipulæ ut tentæ, sublata ut scorpius cauda,

Juxta Lucilium. Nam *scorpii cauda semper in ictu est, nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni.* Plinius l. XI. cap. 25. Subito itaque feriunt non provisi, & quidem ex occulto. De talibus sagittariis queritur Themistius in Sophista orat. 4. τοξεύσαι ἀφανῶς inquit *velut Plataenses olim, cum ex obsidione noctu fugerent, in Peloponnesios cum facibus insequentes tela e tenebris conjecerunt. Quare jacula quidem hinc atque inde circumfusa atque conferta sunt, eaque & numero multa, & specie varia, nec ex eadem omnia pharetra: jaculatores vero ipsos neque novi, neque nosse laboro*, &c. *Qua* de causa in scelere nullus metus est; tum quia impudentia perpetua calumniæ comes est, cum quia se sperant posse latere. Optandum itaque foret, ut sua sagittis suis, juxta veterum morem jaculatorum, inscriberent nomina. Quomodo *Philippus Macedo Methonem obsidens sagittarium agnovit; a quo fuerat telo vulneratus: Aster homini nomen fuit, quod sagitta inustum fuerat.* Themistius l. cit. sed quænam illæ sagittæ sunt? *Verba amara*, verba venenata, tetriora absynthio, nocentiora aconito. Quod indicare volens *Thearidas* cum gladium cote acueret, roganti an jam esset acutus? *acutior*, inquit, *calumnia*, Plutarch. in Lacon. Apophtegm. *Nihil est savius, nihil violentius amaris asperisq; sermonibus, quorum vulnera tanto difficilius curantur, quanto facilius proferuntur: ferri spicula per cœlum volantis facile scuti objectione contemnis; verborum vero jactus nec revocari potest, nec prohiberi*, &c. Valerianus homil. V. de oris Insolentia, ubi plura. Quis scopus tandem? *Recti corde, & integri vitæ.* Hos & Deus *signum posuit omnibus suis sagittis*, Thren. III. 12. Ut umbra solem comitatur; sic gloriam invidia. Ut canes lunam allatrant; sic homines nequam bonas

mentes. *Tantum hoc interest, utrum quis homines promereri an Deum cupiat? Si hominibus placetur, Dominus offenditur. Si vero illud enitimur & laboramus, ut possimus Deo placere, & convitia & maledicta debemus humana contemnere.* S. Cyprian. ad Cornel. Epist. III. lib. I. Firmandum muniendumque pectus est lorica patientiæ. Cogitandus ille e cœlo promachus, quia sua vicissim in impios istos certo ictu *diriget vindictæ jacula*, Ps. LXIV. 8. Sagittæ in durum emissæ silicem repercussæ feriunt ferientem. Ita fit:

Nam quicunq; alium molitur lædere, primum
Ipsum se jaculo percutiet proprio,

Prosper Epigramm. II. *Hoc*, inquit Themistius, *juvat, quod hostes mei adeo sint ignavi, nullus ipsorum adhuc, ne corpus quidem, tantum abest, ut animam perstrinxerit. Denique nulla ex parte armaturam perfregere, quanto & plura & validiora in me contorserint tela, tanto magis armorum soliditatem & firmitatem faciunt apparere: quæ mihi non in Olympo Vulcanus fabrefecit, sed Dii illi Philosophiæ largitores ac Præsides. Si quemcunq; armaverint, non minus invulnerabilem præstant quam Cænea, ut frustra sint οἱ μιξάνδρωποι καὶ μιξόθηροι illi, cum in unam collati quercubus impetunt & abietibus; sed integer ille perstat & immobilis*, &c. Tu recipe te intra vallum bonæ conscientiæ, - *hic murus aheneus esto!* & bene interea spera,

Donec fortunam pudeat erroris sui.

Mors ipsa quasi scutum est, unde Hebræum שקט *Schakat* quiescere, de mortuis sæpe: - - *Livor post fata quiescit!*

CAP.

CAP. XVII.

Absinthium crucis.

INebriavit me absynthio! sanctissimi & calamitosissimi Jeremiæ querela est, Thren. III. 15. Inter amara palmam fert herba illa, unde & βαθύπικρον dicta apud Dioscorid. atque abstinent animalia, hominibus tamen in potu grata & suavis est: quibus mens sapit, non adeo displicent amara fortunæ, quam dulcia. Salubria sunt illa, hæc peremtoria. *Fortuna felix a vero bono devios blanditiis trahit: adversa plerunq; ad vera bona reducens, unco retrahit*, Boëthius l. II. Prosa 8. Habent recte instituta corda, cur hilariter & grataner exhauriant hoc absinthites poculum, Rom. V. 5. Jacob. I. 3. *Præbitorem* spectant; Deus est, cujus & consilium merito adoramus, amorem vero etiam exoscularnur. *Felix se nescit amari*, Poëtæ sententia est: Lucani l. VII. Hic plusquam oraculum. Sola enim patientia parit hanc σύνεσιν, Rom. V. cit. *Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, & illos fortiter amat*, Seneca de Provid. cap. II. Et vide mihi quam paterne agat!

Fortuna, sic ut poculum haurientibus
Unum bonum infundens, tria affundit mala,

ut est apud *Diphilum Stobæi Serm. 102.* Non ita bonus ille Pater: nam primo temperat amaritudinem dulcedine solatii ineffabilis, 2. Cor. I. 3. ut matres dare solent *absinthii folia in fico*, Plin. XXVII. cap. 7. ut oras melle contingunt poculi *absinthia tetra medentes* cum dare conantur. Deinde pro malo uno bona rependuntur & numero & fine carentia, Sap. III. 4. *Finem* considerant; salutaris est. *Latinarum feriis Quadrigæ certabant in Capitolio, victor bibebat absinthium*; credo *sanitatem præmio dari honorifice arbi-*

arbitratis majoribus, Plin. l. cit. Hinc in Propontide & Thracia vinum absinthites præparari institutum, quod esset ὑγείας ποτήριον sanitatis causa, *Dioscorid. l. III. cap. 23.* Vincentibus promissa perfecta est sanitas, & præstatur hoc crucis absinthio, quo dum exterior homo corrumpitur, interior viresci & convalescit, juxta illud veteris Poëtæ - *viresci vulnere virtus.* Præmium inæstimabile! Nam si sanitati quoad corpus nil putant æquiperandum,

Quæ constat mundi pretio pretiosior esse,

ut Macer inquit l. 1. cap. 3. Quid? plena totius hominis quanti facienda est? Jam *effecta* si perpendant, quid utilius? Absinthia, ut Macer docet l. cit.

Obstant lethiferæ cum vino sumta cicutæ.

Herba hæc, ait Plinius: *oculorum claritati multum confert:*

Decoctæque vapor obstrusas liberat aures.

Thoracem purgat cum Iride, & vocem claram reddit; ibid. Crux venena fugat. 1. Pet. IV. 2. intellectum clarificat, Sirac. XXXIV. 9. aures reserat, Esai. XXVIII. 19. Ora recludit, Esai. XXVI. 16. *Adversæ res se domant, & docent, quid opus sit facto: secundæ res lætitia transversum trudere solent, a recte consulendo, atque intelligendo.* Cato apud A. Gellium l. VII. cap. 3. Pecora in Ponto absinthio pasta & pinguiora evadere dicuntur, & felle carere, *Theophrast. de Plant. Plin. l. cit.* Absinthii prius aceto acerrimo conspersi, deinde tosti & accensi suffitu in terris utuntur aquilonaribus, contra culices grandes & molestissimos, eo odore percepto aufugiunt, *Olaus Magn. l. XXII. de Gent. Septentr.* Vinum absinthites præguſtantes nausea non infestat navigantes, &c. Ita *præbendi fortunæ sumus, ut contra ipsam ab ipsa duremur*, Seneca l. cit. cap. IV. Patientia non nisi patiendo discitur. Adde quod & Venerem

nerem retundat ista herba, unde Wermuth/ quod animos frangat &c. Denique

Olfactu somnum, capiti vel subdita præstat.

Cui vita omnis acerba, mors exoptata est. Sic illa in Tragœdiis - *sola mors votum meum!* apud Senecam Hecuba in Troadib. vers. 1170. Et nota sunt exempla sanctissimorum hominum, Jobi, cap. III. 20. Eliæ 1. Reg. XIX. 4. Pauli, Philipp. I. 23. Quæ pii cum secum cogitant, salutarem absinthii hujus ramusculum grata manu accipiunt, ac constanter perferunt, ut ἀλεξίκακον, quomodo pro olivæ fronde, quam in Ægypto negant, vivere posse, *Isiacos perhibent absinthii marini, sive Seriphii, ramum præferre solemne habuisse*, Dioscorid. & Plin. ll. cit. Persuadet ipse *eventus*: Etenim tametsi nihil sapore tetrius sit absinthio, tamen aqua ejus destillata dulcescit amisso amarore, *Matthiolus in Dioscorid. l. III. cap. 24. cit.* Sic crucis radix amara, fructum parit lætæ conscientiæ dulcissimum, Hebr. XII. 11.

— — nil assuetudine majus:
Quod male fers, adsuesce, feres bene multa vetustas
Lenit, Ovid.

Arborum cortex gustatu insuavis, tactu asper est, fructum tamen fert dulcem: & qui amara bibunt medicamenta, prius quandam percipiunt insuavitatem, postea demum utilitatem sentiunt, Chrysostomus hom. XXX. ad Hebr. l. cit. Enimvero ut musculi literas & chartas non attingunt, cum atramentum diluto absinthii temperatur, *Plin. ex Dioscor.* Ita quidam adeo sunt molliculi, ut de cruce nihil vel audire, tantum abest ut gustare tantillum, sustineant.

(o)

CAP.

CAP. XVIII.

De mutuo Parentum & Liberorum officio elegans Monumentum.

Columba ut Græcis dicitur περιστερὰ ἀπὸ τῆς περισσῆς ἐρᾶν, a *vehementi amore*, ut Scholiastes notavit in l. III. Apollonii, v. 550. ubi - μείλιχος ὄρνις & ab Anacreonte ἱέραξ μιλτος dicitur, *avis placida*, *amabilis*; ita *pro conjugii symbolo habita fuit*, Veneri dicata, ejusque cura & comes dicta Poëtis, quam & *columbis circa se volantibus comitatam pingere solebant*, ut docet Albricus de Imag. Deorum &c. Notum est illud Propertii:

Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus & tutum fœmina conjugium.

tutum, fidum & securum, ubi nulla adulterii suspicio l. II. Eleg. XV. Quo pertinent & reliqua pervulgata, quod felle carere dicitur, non quod nullum habeat, sed quod vesicula ejus jecori non appareat annexa, Aristot. II. Animal. Hist. c. 15. quod maritum ex Zelotypia iracundum mira ferat patientia, conjugii fidem non violet, communem domum servet, nisi cœlebs aut vidua nidum non relinquat, aliaque id genus recitata *Plinio l. X. cap. 34.* Qua & de causa toties Salomonis Epithalamio carmine Filii Dei sponsa columba dicitur. *Una est columba mea*, Cant. VI. 8. &c. Ad illustrandum facit pervetus illud Monumentum, Romæ in *Maximorum* hortis Aventinis, quod depictum exhibet *Jul. Jacobonus de Prisca Cæsior. gente c. XIIX.* Habet id epigramma hoc: DIS MANIBUS BENIGNI HANNEI CÆSIANI. Emblema vero, *pendentis ex uno latere serti laurei, foliacei, quod intra se nidum complectitur cum pullis, avido & aperto*

& aperto roſtello cibum exſpectantibus, quem deſuper involans avium par ore adfert, & flagitantibus ſuggerit, baccam, ut apparet, ex vicina lauru, quam in alio lazere expreſſam aves duæ vellicant: ſub ſerto, in extremo lapide, hinc inde ciconias videre eſt duas, roſtris in baccas e foliis laureis ſerti prominentes obverſis, capite in tergum reflexo; eas inter aves duæ columbantur labris, ſi mihi cum Mecœnate loqui fas erit apud Senecam Epiſt. 114. vel ut clarius dicam, *columbatim ſua roſtra conſerunt roſtris.* Columbas itaque ſculptorem voluiſſe repræſentare quisquis fuit, nullus dubito, iisque beati & amabilis conjugii exhibere quaſi ſpeculum. Id enim omnibus numeris, &, ut ajunt, ſine radio plene perfecteque felix eſt conjugium, in quo mutua fides animorumque firma converſio conſtat, nullis divulſa querimoniis; amantium iræ, ſi quæ ſubinde interveniant, amoris ſunt redintegratio, uti

Quæ modo pugnarunt jungunt ſua roſtra columbæ;

Accedat in ſpem poſteritatis proles, & thalami fœcunditas, quæ in columbis maxima; nam decies pariunt anno, quædam & undecies, Plin. l. X. cap. 53. ſitque conjugum, ut & columbarum, in ſobolem amor æqualis & cura, eaque non corporis modo ſed & mentis, quam laureæ baccæ videntur ſignificare, quibus *faſtidia annua purgant palumbes*, Plin. l. VIII. cap. 27. & X. cap. 34. Quæ ſi omnia perſequi vellem, finem non eſſet habitura oratio. Aliter hæc Jacobonus, ſcio, explanat. *Paſſeres* mavult ſculptos exprimi, quod libidinis ſint incontinentiſſimi, qua de cauſa minime vitales, ut anni ſpatium vivendo vix prætereant. Quocirca *Veneris currum* trahi ab iis Poëtæ fingunt, & ad Venerem langueſcentem Medici paſſerum vel carnem, vel ova adhibere ſolent, &c. ſuum cuique pulchrum, mihi meum. Ciconias vero propter neceſſariam liberorum ἀνιπελάργησιν

affictas

affictas monere non operæ pretium duco, qua de re elegans exstat Alciati Emblema XXX. inque illud Commentarius Claudii Minois.

CAP. XIX.

Risus Dei & Diaboli.

HAbitans *in cœlis ridebit*, Psalm. II. 4. Notanda hic quædam. I. In Vet. Testam. Deus risisse, non flevisse; in Novo flevisse, non risisse legitur. Notum est Lentuli de Christo Dei Filio testimonium apud Eutrop. *In increpatione terribilis, in admonitione blandus & amabilis, hilaris servata gravitate. Qui nunquam ridere, flere autem sæpe visus est*, Cent. 1 Magdeburg. l. 1. cap. 10. p. 354. Causa, quod in V. T. Deus suam severitatem patefacere voluerit inprimis, in Novo benignitatem. Nam ut *lachrymis* Dei nihil dulcius aut affectuosius; sic *risu* nihil terribilius. Loca mox notabo, de lachrymis nota sunt Luc. XIX. 4. Johann. XI. 35. Hebr. V. 7. II. Ridet autem Deus impios 1. *ridentes*, videt enim instare exitium, & ridere illos risum Sardonium Psal. XXXVII. 13. Quomodo Salvianus dixit l. VII. de Gub. Dei, *Sardonicis herbis Populum Romanum fuisse saturatum; Moritur, inquit, & ridet.* 2. *Flentes*, sed sero Prov. I. 26. ubi *ridere Dei est humanæ nolle afflictioni misereri* Greg. M. Moral. IX. cap. 20. & acquiescere in judicio suo, ac facere, ut justi videntes rideant, Psalm. LII. 8. Apoc. XVIII. 20. Denique 3. *Frementes*, & furentes contra summum illum, molientes cum Terræ filiis Gigantibus - *imponere Pelion ossæ*, ut cœlum vermiculi oppugnent, quomodo *Pygmæi* correptis armis, subulis puta & acubus, aut forte piscium non adeo magnorum spinis, *Herculem dormientem* ibant oppressum; quos cum ille palma una expansa toto abstergeret repentes corpore, ceu puli-

pulices, & non paucos in leonina sua irretitos elideret, temperare sibine potuit a risu? *Philostrat. in Imagin. & Alciat. Emblem. 58.* Tonant illi & fulgurant contra Christum & Ecclesiam, velut olim *Salmoneus Elidis Rex* fulmine ictus - *Quum fingeret alti quadrifida trabe tela Jovis*, Valer. Flacc. de quo Virgil. VI. Æneid. & Hyginus fabul. 61. terram movent, ut *Arithmesius*, aut *Anthemius Trallensis Mathematicus*, qui vicini sui Zenonis domum, suæ contiguam, artifice concussione, terræ motum æmulatus, perculit, fulgura etiam e speculis jaculatus, & tonitrua horrendi fragoris excitans, ut multis apud *Agathiam* legere est *lib. V. Histor. post princ.* Qui in cœlo sedet, in tam alto throno, quo nulla ne Dæmonum quidem, tantum abest ut hominum, pertingere vis queat, ridet Claudiana hæc tonitrua, sed Ridet III. *terribiliter*, non sine subsannatione, quando cum irrisu ceu pilam jactat regna integra, ut solo allisa dissiliant, Psalm. LIX. 9. Amos. V. 9. *Olympiæ simulachrum Jovis, quod dissolvi, transferrique Romam placuerat tantum repente cachinnum edidit, ut, machinis labefactis, opifices diffugerint*, Sueton. in Caligula cap. 57. inter prodigia futuræ cædis ejus commemorat. Risit pro Deo Diabolus ipse, non dubium quin jussus, quod in Diabolo Deus rideretur, & ludibrio haberetur. Nam IV. & hoc observatum est in historiis *Diabolum risisse*, Anno Urb. Cond. DCVI. *Lucum Furiarum cum Mithridates succenderet, risus auditus ingens sine auctore*, Jul. Obseq. in Prodig. *Ad Maximi Philosophi*, Magi, *hymnum renidere & ridere visa est Hecates statua, facesque, quas in manibus ea gestabat, sponte inflammatæ sunt, refert* Eunap. in Maximo. Monachum superbientem opinione Sanctitatis Dæmon indutus fœmineum spectrum ita delusit, ut jam libidini manus daret, invasurusque novus Ixion nubem illam spectri erat, cum repente evanuit,

auditusque Dæmonis risus & vox est: Qui se exaltat humiliabitur, *recitat Johannes Abbas apud Pallad. Histor. Laus cap. 44.* Quid anno MCLXXXIV. Moguntiæ contigerit in comitiis, orta super sessionis prærogativa cruenta controversia, & ex Cranzio, Nauclero, Cent. Magdeb. &c. notius est, quam ut exsequi opus sit. Non ridendus igitur V. *Dei risus*, nec ridet ille scelera, ut, cum furto nocturno Deidamiæ pudorem extorsit Achilles,

— — risit chorus omnis ab alto
Astrorum, & teneræ rubuerunt cornua Lunæ.

Fallitur Aristides cum dixit: κρεῖττον, εἰ δεῖ, γέλωτα ὄφλειν ἢ μέμψιν ὑπὸ θεῶν, Hymno Jovis Tom. 1. Tantum est. Id obiter addo ex Dione l. LIX. histor. *Cajus Caligula Templum sibi ipsi Romæ conditurus, statuit Jovis Olympii effigiem in suam commutatam in eo dedicare. Navis ad avehendum parata fulmine combusta est, auditusque risus multus, quoties quis simulachrum tacturus, accessisset.*

CAP. XX.

Canis intercurrens amicitias dirimit.

VEtissime dictum, & ex isto quasi sapientum oraculo nata est, quæ ex Augustino libro 1. recitata superstitio. *Canes* autem dicebantur impudentes, calumniatores, Scurræ, Parasiti. Tales fuerunt qui Euripidem feruntur laceraſſe, Agell. l. XV. cap. 20. Valer. M. l. IX. de morte non vulgari. Sic apud somniorum interpretes, *canes mordentes aut allatrantes, calumnias & injurias dicuntur significare, si albi sint apertas, si nigri clancularias*, Artemiodor. l. II.

— — *ab-*

— — *absentem qui rodit amicum,*
Qui captat risus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic Niger est, hunc tu, Romane, caveto.

Horat. l. 1. Satyr. 4. Ergo *quæ communicatio sancto homini ad canem?* Sirac. XIII. 22. exesto ex omnibus amicorum cœtibus mordax & impudens animal! *Canis inter Phratores!* Proverbium Atticum. Nam si canis comitiis intercurrisset ab omni populo lapidibus petebatur, & pœnas dabat. Hinc illud Onirocriticum:

κυνῶν ὑγρὸς ἐχθρικὴν δηλοῖ βλάβην
Canum latratus hostium noxam notat, Suid.

vide omnino Plutarchum *de Fraterno Amore T. II. Moral. pag. Xylandr. 369.* Sicut *qui apprehendit auribus canem, sic qui rixæ alienæ se immiscet*, Proverb. XXVI. 17. *Canem* ajunt *dormientem nemo impune vellicet*, quanto minus iratum? si mordeat, cum damno habebit ludibrium. Sic si quis rixantibus se misceat. Er muß haben als hätt ihn ein Hund gebissen. Quid ergo leonem vellicas? cur manum inseris intra seram & pessulum, intra cardinem & ostium? Lupum cur auribus tenere vis? *Quid Gigantes adversus teipsum armas? Quid rabidos canes, quorum pestiferi morsus sunt, exasperas? Quid maledicas linguas exacuis?* Isidor. Pelusiota. l. 1. Epist. 361. Quoniam ad rem erat volui adspergere.

CAP. XXI.

Signum Salutis.

Liber Sapientiæ cap. XVI. 6. Serpentem æneum in palo erectum, vocat σύμβολον σωτηρίας *signum salutis*, de quo Ennodius scite:

Occisor mortis, Dux vitæ, planta salutis,
Adspice, nunc serpens ecce venena fugat:
Et quod supplicii species & mortis imago
Jam fuerat miseris, est mihi certa salus.

Sic apud Græcos *signum salutis* dicebatur *serpens baculo Æsculapii, quod ramulis semiam putatis nodosum gerebat, lubricis amplexibus inhærens*, ut ait Apulejus 1. Metamorph. visebatur talis imago Æsculapii in *numis Pergamenorum*, adspicientis *Deam Salutem, cui patera in manu, & comes pone serpens.* Vide alia apud Pier. Valer. l. XVI. Hierogl. Sic *crux* Serapidis pectori inscripta apud Ægyptios, hieroglyphicum fuit *vitæ futuræ*, refert Mercerus in observat. ad Hor. Apollin. Litera *Tav* in antiquis Hebræorum characteribus, quibus post Samaritani usi, crucis formam habuisse fertur, quæ apud Ezechielem signum fuit *Salutis*, ibid. de quo alias, ex Ezech. IX. & Apocal. VII. *In breviculis* militum, nominibus defunctorum Θῆτα, superstitum Y, *Ypsilon* adscriptum: illud Θάνατον, hoc ὑγίειαν denotabat, ex Isidoro l. II. Orig. c. 23. & Galeno *Rainesius l. 1. var. Lect. cap. 7.* Jesus Christus crucifixus summus animarum Medicus est. Si alios quæris

Ne fallare cave, neu quæ sunt parta saluti
Vertat in exitium non sollers cura medentis,

ut dicam cum Marcello veteri Medico, e carmine de Medicina, ubi suadet Medicos experiri - *summa ratione paratos.*

CAP. XXII.

Oves Christi.

ERatis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum, 1. Petr. II. 25.

II. 25. Specta 1. *Conversionis beneficium:* Terminus *a quo*; eramus oves feræ. *Nam & oves, quas pascimus, ortæ a feris ovibus* videntur Varroni, *ut & capræ, quas alimus, a capris feris:* Ejusmodi oves feræ multæ olim in Phrygia, armatæ flexuosis cornibus, pugnam inter se pugnantes peremtoriam, cujus finis aut vincere, aut certæ occumbere morti, *Oppian. II. Cyneget.* ℣. 330. 1. Cor. III. 3. Eccles. VII. 11. Præda eramus infernali lupo

— — ut quondam stabulis deprensa relictis
Parva sub infesto cum jacet agna Lupo.

1. Petr. V. 8. Imo a lupis non distabamus multum feritate & improbitate, sola stultitia oves. Unde Proverbia: *Vervecea capita, arietinæ mentes,* προβάτων νόες. Psalm. CXIX. 176. *Stultissima animalium lanata: qua timuere ingredi, unum cornu raptum sequuntur,* Plin. l. VIII. cap. 49. Seneca de Beat. vit. cap. 1. Terminus *ad quem:* conversi sumus ad Christum:

Ille ovem morbo resident, gregique
Perditam sano, male dissipantem
Vellus adfixis vepribus, per hirtæ
devia silvæ,
Impiger pastor revocat, lupisque
Gestat exclusis, humeros gravatus &c.

Prudent. Cathemer. Hymn. VIII. Luc. XV. 3. Quodque inter ostenta deputabatur, cum anno 1537. ovis vetulum Lupum macilenta in oppidum Marcellini tractum strangulasset, apud Gesner. in Histor. quadruped. fit persæpe. Exemplum illustre dedit conversio Pauli, Act. IX. 17. *Ecce jucundum gratiæ spectaculum! Trahit captivum ovis lupum: Lingit hispidum, componit hirsutum, lacte potat, qui piorum ante sanguinem bibebat.*

Tactu gaudet ovis lupus, oblitus feritatis
Atq; trucem vultum ponens, manſueſcit in agnum.

eleganter Franco Abbas Afligen. de Grat. Dei. Tom. 12. Poſthæc conſidera 2. *Ovium officium.* Sed differo.

CAP. XXIII.

Eadem.

OVes meæ ſequuntur me, Johan. X. 27. *Meæ*, inquit ὁ Ἀρχποιμήν, magno labore quæſitæ, Luc. XV. 3. quod ipſæ olim calicum ſacrorum picturæ loquebantur, Tertullian. de Pudic. cap. VII. & X. magno pretio emtæ; nam *propter caritatem aureas pelles habere dicebantur olim oves*, Varro l. II. de Re Ruſtic. cap. 2. ex ore Leonis erutæ, Amos III. 12. & *in Colymbethra Probatica* ablutæ, Joh. V. 7. ubi vide *D. Tarnov. Comm. 2. p. 428.* quas vellere meo veſtivi, *Varro l. cit. Plin. l. 8. cap. 47.* baculo meo rego, Zach. XI. 7. nempe legalibus & Evangelicis θεσπίσμαζιν, *Cyrillus ibid. in comm. ſequuntur* fide, vita, patientia, *me:* non lupum, non lanium. Ovem errantem paſtor & lanius reperientes uterque ut ſibi adhæreret perſuadere nitebantur. Illa perceptis utriusque rationibus, paſtori ſe credidit, & ad lanium converſa; Tu, inquit, carnifex es, generis noſtri interfector, *Maxim. Tyrius Diſſert. 9.*

Lupis & agnis quanta ſortito obtigit
Tecum mihi diſcordia eſt.

Sir. XIII. 21. nempe ἄσπονδος ἢ ἀκύελκτος πόλεμος, Philo de Præmiis. Ergo Paſtori noſtro adhæreamus.

--- velut agna pavens, quæ ſaucia cani.
Ore excuſſa lupi, nusquam ſibi tuta videtur.

Ovid.

Ovid. VI. Metam. Utiles simus ei per omnia. R. Salomo *justos* ait merito comparari *ovibus*, *quod ovis tota sancta esset & Deo utilis. Nam vellus serviebat hiacinthinis pellibus, caro victimæ, cornua buccinis, crura tibiis, intestina citharārum nervis, cutis tympano: At impios canibus esse similes, a quibus nihil ad sacrum usum assumi poterat*, Delrio in Cant. c. VI. 5. Neque gloriemur: *Nam & oves non regerunt gramen, ut ostendant Pastori, quantum comederint, sed cibus intus concoquitur, foris lac & vellera proferuntur*, Epictet. Enchirid. cap. 61. Simus fœcundæ: nam in Ægypto, Africa, aliisque calidis locis oves *bis pariunt, in Ombricis insulis etiam ter*, Aristot. Mirab. Ausc. ventoque fœcundari creditæ, dum patulo ore captant, Aquilone mares concipere, Austro fœminas, *Idem*, *Ælian. Plin. Cantic. IV. 16.* Demum gregales simus; *nam tonitrua ajunt solitariis ovibus abortus inferre, remedium esse, ut congregentur; nam cœtu juvari*, Plin. l. VIII. cap. 47. Eccl. IV. 10. *Homini infeliciter agenti solitudo summa calamitas est*, Gregor. Thaumaturg. in Caten. ibid. *S. Martinus ovem recens tonsam conspexerat, En*, inquit, *Evangelicum ista mandatum complevit: duas habuit tunicas, unam largita est non habenti*, Severus Sulpit. Dialog. II. Mitto cætera vulgatiora. Vultis & audire *solatium?* accipite sed seorsim.

CAP. XXIV.

De iisdem.

EGo vitam æternam do eis! Joh. X. 28. ô Beatas tanto sub Pastore oves! Nam primo in munito ponet ovili, Mich. II. 11. [*in Bozra*, quæ, ut ait Cornelius a Lap. ex Aria Mont. idem est quod Græcum *Roma*, & Latinum *Valentia*, quod vetus Romæ nomen fuit teste Solino cap. 2. *Ita Sabini somniant quod volunt*] itaque

quanquam mundus non aliter habeat ac oves mactationis, Rom. VIII. 36. inque medio Luporum ambulent, Matth. X. 16. securæ tamen egrediuntur, ingrediuntur Mich. II. 11. —— *nec magnos metuent armenta leones*, Virgil. ex Sibyll. l. 3 carm. & Esai. XI. 6.

Cumq; lupis agni per montes gramina carpent.

Hinc *virtus Christi maxime patet, quod lupi superentur ab ovibus: quæ cum in medio luporum sint, atq; undique ipsorum morsibus lanientur, tamen non deficiunt, sed & lupi sæpe in ovium naturam commutantur*, Chrysost. in Matth. *& in Caten. Corderii* Luc. X. Quodque omnia excedit, tandem hæ oves Dominicæ Deo fiunt similes. Leonibus & lupis ferunt Orphea vix & raro persuasisse, ut posita feritate, se sequerentur. Oves autem & aves nunquam ab eo discessisse; itaque Calliopes matris ejus apud Jovem precibus tandem evasisse in homines, *Dio Prusæus Orat. 32. Orpheus* noster Dominus est: Ille

Et sensus scopulis, & silvis addidit aures,
Et Diti lachrymas, & Morti denique finem,

Manilius l. V. Astronom. *Difficile autem homines potentes & nobiles, & divites, & multo his difficilius eloquentes credunt Deo*, Hieron. in cap. III. Jonæ, Matth. XI. 25. *At si quis Homero studuerit, Poëta; Si Demostheni Orator; Si Chrysippo Dialecticus; si Aristoteli Physicus; si Platoni Philosophus fiet. Si vero Christo, ad imaginem Magistri evadet in carne circumiens Deus*, Clemens Alex. l. VII. Stromat. Non peribunt itaque hæ oves, ut quas *Mors depascitur*, Psalm. XLIX. 14. Similes *omnibus Euboicis*, quarum carnes adeo amaræ, ut nec canes gustarent, *Ctesias apud Photium Cod. 72.* Hæ autem deliciæ sunt Domini, ut quondam apud Apicios gulones habebatur.

Hœdus inhumani raptus ab ore Lupi.

Martial. l. X. Plutarch. II. Sympos. Quæst. 9. &c.

CAP.

CAP. XXV.

Lanx Divinæ Justitiæ.

APpensus es in statera, & inventus es minus habens! Dan. V. 27. Man hat dich in einer Wag gewogen und zu leicht gefunden. Metaphora a numo adulterino petita videtur, ex more orientalium, qui argentum in lance solebant appendere, Genes. XXIII. 16. Zach. XI. 12. Puto tamen *ad Persarum legem* simul respectum esse, de qua Aristides Orat. 2. Platonica p. 419. Tom. 3. *Persis ferunt esse legem, ut criminis cujusdam accusatum, quamvis convictum, non condemnent, πρὶν ἂν παράλληλα ἐξετάσαντες, ὅτε ἓν ἢ ἃ καλῶς ἐποίησεν, priusquam justa quasi trutina examinarint, & inter se comparârint, quæque recte, & quæ prave designasset? & mala superare invenerint: Quod si benefacta præponderent, quamlibet manifeste injustis ignosci lege constitutum esse.* Ea lege in universali rerum omnium regimine uti solet Divinæ providentiæ Æquitas, temperata momentis immensæ gratiæ. Ad quam Jobus provocat, cum affirmat, *se appensum in Statera Justitiæ inventum iri integrum & boni ponderis*, cap. XXXI. 6. Nam in rigido examine juxta Legem, & in foro justificationis fassus jam ipse est, omnia sua opera nihili esse, cap. IX. 2. vide Psalm. LXII. 10. Par est imitari nos eandem æquitatem in judiciis humanis, quam exoptamus & exspectamus divinis. *Quando mortalium nulli virtus perfecta contigit, qua major pars vitæ & ingenii stetit, ea judicandum de homine est*, Asinii Pollionis scite dictum est. *Æquitatis Augustæ* imago visitur in quibusdam Imperatorum numis, *stat virgo hastam manu præferens altera, & altera stateram*, meminit in Dan. Hector Pintus l. c. vide Occon. Numism. idque officium est judicis boni - *justum gemina suspendere lance Ancipitis Libræ*, Pers. Satyr. 4.

CAP. XXVI.

Margaritum pretiosissimum.

COmparatur Regnum Dei, id est, fides & salus margarito πολυτίμῳ Matth. XIII. 45. Quale fuit illud *Perozæ πολυθρύλητον μάργαρον*, de quo Procopius, pependisse ab auricula Regis. Invidia ejus, ne in cujusquam manus perveniret, cum in foveam illam præceps iisset, sine spe emergendi, ab aure dereptum & abjectum fuisse. Nactum id piscatorem olim quendam præsentaneo cum periculo. Viderat enim in litore Persici Maris pectinem subinde natantem aperta concha, e cujus medio pulcherrimum hoc naturæ spectaculum visendum exponebatur. At canis marinus, qua qua natabat, comes hærebat perdius & pernox, insignis magnitudine & formidabilis custos tam preciosæ mercis. Nec unquam discedebat a latere, nisi dum e vicinia pastum quæreret, & raptim lucraretur. Id cum piscator diligenter notasset, tanto thesauro arte tandem potitus est, frustra latrante & frendente cane. Conferri fides venuste potest. *1. Propter pretiositatem:* Principium enim culmenque rerum omnium pretii margaritæ tenent, Plinius l. IX. cap. 35. ubi vide *2. Ortus dignitatem:* nam ex rore nasci feruntur, idque *indicium est ætheria potius derivatione, quam Saginis Pelagi hos oriri fœtus, quod gutta matutini roris claros efficiunt lapillos, & teretes; vespertini vero flexuosos, contra & rutilos*, &c. Athenæus l. III. Ammian. Marcell. cujus hæc verba, l. XXIII. extr. quos cum Plinio confer. *3. Capturæ periculositatem*; nam si urinantes temere apprehendant, & hianti conchæ manum inserant, fit, ut ea compressa digiti præscindantur, ut docet *Isidorus Characenus in Descr. Parthiæ apud Athenæum.* Addit periculum aliud *Ammianus*, unde & amplitudines pretiorum, *quod conchæ litore*

litore frequentari sueta propter piscantium insidias declinent, & circa devios Scopulos marinorumque canum receptacula delitescant. Unde Arrianus in Periplo Maris Erythræi in Comarina ait morem esse, ut fiat κολύμβησις τῶ πινικῶ *piscatus ille concharum* ἀπὸ τῶν καταγελασίμων *a condemnatis.* Certe piscatores illos hominum non aliter Mundus habuit ac ἀπιθανάλωτος, qui tam pretiosum unionem venati sunt, cane isto infernali nequicquam frendente, &c.

CAP. XXVII.

Abaridis & Herculis Sagittæ.

POsuit me quasi sagittam electam, in pharetra sua abscondens me Esai. XLIX. 2. Verba sunt Messiæ, qui doctrinæ & officii sui Prophetici intuitu se confert *sagittæ*, quæ juxta emphasin vocis Hebrææ ברור *Baror*, vel electa dicitur, vel nitida, vel tersa probe, & expolita, quæ maxime penetret, & a longe destinata certissimo feriat, ut Interpp. h. l. ubi quædam ad corticem metaphoræ notanda. Optimi fuerunt *Arquites*, ut veteres dicere solebant, id est sagittarii in Oriente: Hinc illa apud Poëtas: - *Tuta suis aurora sagittis*, Valer. Flacc. - *nec Eois pejor Gortyna sagittis*, Lucan. Ac ut circa Judæam olim arte hac celebres Arabes, Persæ, Parthique &c. Sic in ipsa clari sacris Literis *Ephraimitæ*, de quibus Psalm. LXXVIII. 9. Ose. I. 5. &c. Habuerunt illi dubio procul sagittas eximias nonnullas in pharetra, non promiscue usurpandas, quas & tersiores volebant esse, & forte *auratas*, inscriptis non modo versibus aliquando, *literis aureis*, ut Nonnus meminit Dionys. VII. sed & *Dominorum suorum nominibus*, ἀγχοτῶν γλυφίδων *prope crenas*, aut incisuras qua nervis suis sagittæ aptantur, *docet Themistius Orat. III.* de quo supra. Nec abs re est putare,

putare, eminuisse ceteris magnitudine, ut pulchritudine præstabant. *Arabum sagittæ viri staturam magnitudine æquabant, nec arcum intensuri nervum adducebant manibus, sed pedibus insistebant*, Suidas in Arabes. Indis *cubitorum binum sagittæ sunt, quas emittunt majore nixu, quam effectu, &c.* Curtius l. VIII. cap. 9. Tali sagittæ similis doctrina domini, & ipse Doctor. Sic Zach. IX. 12. *Exibit ut fulgur sagitta ejus*, id est, verba ejus, juxta Chaldæum Interp. quod ait *S. Cyrillus in Comment.* esse vaticinium de Apostolica victoria *qua viri illi Dei orbem Christo Domino subjugârunt, sagittis divinarum illustrationum fulgurantibus, mundumq; adeo omnem pervolitantibus instructi.* Sunt enim sagittæ Dei *volatu citæ, jactu fideles*, Hilarius in Psal. CXXVII. vel potius *ictu*, ut apud Zenonem Veronens. lego, inter cujus opuscula quidam Hilarii labores relati, ubi utrinque eadem & non pauca de his Dei sagittis. Pertinet huc, quod dici solebat olim: *Cor Plutonis Herculea sauciatum fuisse sagitta*, quo indicatum nihil esse tam abditum, quo non penetraverit humanæ sapientiæ studium, Pier. Valer. Hieroglyp. l. XLII. & Proverbium: *Abaridis jaculum.* Fuit ille sapiens apud Hyperboreos, Scythæ filius, qui accepta ab Apolline sagitta vectus orbem permeasse, ac passim responsa dedisse fertur, Suidas ex Herodoto l. IV.

CAP. XXVIII.

Sagittarii celeberrimi.

VEnustissima est illa Prophetica metaphora, qua Deus sagittario comparatur. Lubet expolire, sed obiter: ut omnia, ex proposito. Sagittas habet plurimas, Apostolos & Prophetas, *electam unam, unigenitum filium*, juxta Hieronym. in Esai. XLIX. 2. Apud Persas mos est, *teste Procopio*, cum exercitus lustrantur, ut in con-

conſpectu Regis, regio ſuo ſolio inſidentis, quisque militum procedens ſagittam in propoſitam aliquam viminearum arcularum conjiciat, quæ regis ſigillo obſignatæ poſtea diligenter aſſervantur, ut e prælio reverſis, cum ſingulas ſinguli repetierint ſagittas, numerus cæſorum iniri poſſit. Deus noſter quot milites habet, tot in hoſtem mittit ſagittas, quas & τῇ βασιλέως σφραγῖδι καλαστιμασμένας fideliſſime cuſtodit, divini honoris participes facturus, ſi ſe Deo & Domino ſuo ſervarint. Quomodo Chaldæi dicuntur *immolaſſe reti ſuo*, id eſt, armis ſuis, & *aromata adoleviſſe retijaculo ſuo*. Chald. in Habac. I. 16. Mezentius Virgilianus:

Dextra mihi Deus, & telum quod miſſile libro,

Mittit autem Deus *volatu cito*: Volavit Evangelicus per orbem jactus

Ocyor & Parthi miſſa poſt terga ſagitta:

Vel, ut Gratii verba uſurpem,

Ocyor affectu mentis, pinnaque cucurrit.

Ictu certo: Domitianus ita ex induſtria in ferarum capita ſagittas figebat, ut duobus ictibus quaſi cornua effingeret. Nonnunquam in pueri procul ſtantis, præbentisque pro ſcopulo, diſpanſam dextræ manus palmam, ſagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent, *Sueton. Vitæ cap. XXIX.* Cambyſes quamvis ebrius Prexaſpis filii cor ſagitta percuſſit, hoc tulit pater ille intempeſtivæ admonitionis pretium. Dei ſagittæ etiam medullas penetrant, Hebr. IV. &c. *Effectu denique mirifico.* Apud Homerum Iliad. 23. in certamine ſagittarum, ſuſpenſa ex malo navis de tenui funiculo columba, *Teucer & Meriones commiſſi*, ille funiculum ſagitta abſcidit, hic in aëre jam libero volantem

tem trajecit. Sed *Alconis* qui possim oblivisci? Quis ille? edam. *Alcon Cretensis sagittarius, cum filium Draco invasisset, gyrisque suis implicuisset, tanta arte direxit sagittam, ut ea currens in serpentis deficeret vulnere, nec transiret in filium*; Servius in Eclog. V. Virgil. Manilius l. V. cum de Sagittario ageret Zodiaci, hæc de eo:

Quin etiam ille pater tali desidere cretus
Esse potest, qui serpentem super ora cubantem,
Infelix nati summumque animamque bibentem
Sustinuit misso petere & prosternere telo.
Ars erat esse patrem, vicit natura periclum,
Et pariter juvenem somnoque ac morte levavit;
Tunc iterum natum ac fato per somnia raptum.

Allusit Sidonius Apollinaris:

— — non sic libravit in hostem
Spicula, qui nato serpentis corpore cincto
Plus timuit, dum succurrit: dum jactibus isdem
Interitum vitamque daret, stabilemque teneret
Corde tremente manum, totamque exiret in artem
Spe propiore metus, dans inter membra duorum
Unius mortem, &c. in Panegyr. Majorani.

Est de eodem *in Anthologia l. VI.* elegans Græcum epigramma, quod sic habet:

Angue videns natum implicitum pater anxius Alcon,
Intendit timida cornua flexa manu
Nec jactu erravit: truculenta per ora sagitta
Exiit, illæso proxima filiolo:
Hinc pharetram dura suspendit ab ilice victor,
Perpetuum Eutychiæ pignus & Eustochiæ.

Quam hæc apte referre possint ad salutarem Dei sagittationem,

tionem, monere vix operæ pretium est. Abscidit ille vincula, quibus tenebamur, confixit vivifico ictu, & missso Filio per peccatum damnavit peccatum in carne, ut peccato mortui viveremus Deo. Tanti beneficii memores esse nos par est. Sic *Phalerus*, hoc Alconis filii nomen fuit, in clypeo suo casus sui perenne gestábat impressum monumentum.

Insequeris, casusque tuos expressa, Phalere,
Arma geris, vacua nam lapsus ab arbore parvum
Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis,
Stat procul intendens dubium pater anxius arcum.

Valer. Flacc. l. I Argonaut.

CAP. XXIX.

Sagittæ Dei ignitæ.

NOnne cor *nostrum ardebat in nobis?* Luc. XXIV. 32. *Cupidini* suo illi *Pandemo* tribuunt Poëta sagittas flammantes, πυρπνεύσας ἢ πυρπνείοντας ὀϊστούς, ut Musæus de Hero & Leandro v. 41. & 88.

Namque inculpatæ decus immortale puellæ
Corda hominum penetrat telo velocius omni.
Huic oculus via prima, oculo proficiscitur icto
Vulnus, & ima viri mox in præcordia manat.

Sic ille. Pingit *S. Zeno Veronensis*, Latinorum Patrum, judicio Casauboni in Spartian. p. 75. elegantissimus, sub Gallieno Martyrio coronatus, in sermone *de Spe, & Fide, & Charitate pag. 253. Oper.* [quem inter γνησίους. ejus fœtus cum paucis refero, sunt enim spuria passim adjecta] scitissime: *Est*, inquit, *& alius amor sane saluti nostræ contrarius; cui recte Hominis forma tribuitur, quia temporalis ac fragilis esse cognoscitur: Ideo lineamento puerili depingitur, quia ejus lasciva lubricitas nec annis seni-

senilibus temperatur : Ideo nudus, quia voluntas ejus est turpitudo : Ideo pennatus, quia in quæcunque conceperit, velociter ruit : Ideo telis facibusque constructus [lego instructus] *quia illicitis ardoribus semper junctus est gladius, ideo autem cæcus, quia cum exarserit, non ætatem considerat, non formam, non sexum, non gradum, non sacrosanctum illum saltem sanæ pietatis affectum*, &c. Mitto cetera de genere hoc *adeo sunt multa, loquacem ut delassare queant Fabium*, vide Natal. Comit. l. IV. Mythol. cap. 14. *Amor meus crucifixus est, ajebat* S. Martyr Ignatius Epist. 13. ad Rom. *Deus est Charitas*, 1. Joh. IV. 8. Platonis Phædrus in Symposio, *antiquissimum Deorum vocat Amorem Dei Filium*, qui juxta Parmenidem.

Ante Deos omnes primum generavit Amorem.

Habet & ille sagittas πτερωτάς, de quibus Hieronymus accipit illud Davidicum : *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.* Psalm. CXIX. vel CXX. 4. in cap. XLIX. Esai. itaque & Prosper ibid. in Expos. Psalt. *Sagittæ acutæ verba sunt Dei, quæ cum animos fidelium penetrant, inflammant corda non sauciant*, &c. Sed de lingua nefaria sermo fit, de cujus sagittis alias.

CAP. XXX.

Homo Folium, venti spolium.

CEcidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ q. ventus abstulerunt nos, Esai. LXIV. 6. Sic Job. XIII. 25. quæ olim sic verti :

Ut folium excutias, Deus heu mihi, concutis armos?
Nec vento abreptum, cernis, ut ante volet?

Apud Siracidem cap. XIV. 19. locus similis est ex Homero expressus

Tale hominum fatum est, foliorum quale caducum;
Decutit hæc Boreas & humi prosternit, at illa

Silva

Silva novo partu protrudit vere renato:
Sic hominum sors est; nascive morive vicissim.

Confer Simonidem apud Stobæum serm. 96. Stratonicus Caunios lienosos & lividos conspicatus ex cœlo pestilente, recitavit versum Homeri: ὥιπερ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν. Reprehendentibus vero quod urbem ipsorum ut morbidam infamaret: *Absit*, inquit, *ut morbidam dicam, in qua & mortui ambulant*, Strabo l. XIV. Geograph. Non abludit quod respondisse Adriano dicitur Epictetus:

Poma ut in arboribus pendent, ita corpora nostra
Aut matura cadunt, aut cito acerba ruunt.

Sic Quintus Calaber. l. IX. ℣. 500.

Parcarum nutu & Juvenes in fata feruntur
Assimiles foliis, quæ turbidus abripit Auster.
Ut alta silvas forma vernantes alit,
Quas nemore nudo primus investit tepor.
At cum solutos expulit Boreas Notos,
Et sæva totas Bruma decussit comas,
Deforme foliis adspicis truncis nemus;
Sic nostra longum forma percurrens iter
Deperdit aliquid semper, & fulget minus.

Seneca Hercule Oetæo, ℣. 380. In Insula Cimbubon mira arbor est. Foliis facies, quæ mori. In terram lapsa se movent, & pedes quasi pusillos binos habent. Tacta abeunt, aut refugiunt. Et iis unum dies octo servatum in scutella vixit, movitque se se quoties tangeretur, *Scaliger Exerc. 112. pag. 42. vide Clement. Alex. III. Strom. p. 211. Græce.*

CAP. XXXI.

Pavones Salomonis.

SAlomonia navis ex Tharsis attulisse dicitur inter alias rariores merces *Pavones & simias*, 1. Reg. X. 22. juxta versionem Vulgatam. Multa pro ea Pineda affert in Salom. prævio l. IV. c. 17. Quæ non exscribo. Facit pro ea versione 1. *avis ejus raritas* olim, ut publico spectaculo exhibita fuerit Athenis aliquando, quod multi frequentabant e Lacedæmone & Thessalia, docet Pineda ex Athenæo. 2. *pulchritudo eximia*, & cibus in deliciis regiis. De quibus do aliqua testimonia. Lucretius: *aurea pavonum ridenti imbuta lepore secla.* Huic *natura formæ e volucribus palmam dedit*, Varro l. III. de re Rust. cap. 6. *Pulchram alitem* vocat Panegyricus Max. & Constant. Lucianus laudat τὴ ἄνθη ἢ τὸ ἔαρ τῶν πτερῶν *de Domo.* Phædrus fab. IV. *Pavonum formosum gregem* laudat, & fab. LVII. Juno ait ad Pavonem.

Nitor smaragdi collo præfulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
Fatorum arbitrio partes vobis sunt datæ,
Tibi forma, vires aquilæ, luscinio melos,
Augurium corvo, læva cornici omina.

Publ. Syrus apud Petron. in detestatione luxuriæ publicæ:

Tuo palato clausus pavo pascitur,
Plumato amictus aureo, Babylonico.

Solon Crœso, cum se splendidissime ornatum in solio exhiberet visendum, roganti, ecquod pulchrius spectaculum viderit? respondit, *vidisse: & quidem gallos gallinaceos, phasianos & pavos, nativo flore exornatos*, apud Laërt. jactarique solebat in pompose vestitos proverbium: πόθεν ὁ Ταὼς ἔτω. *unde hic pavo?* Lucian. in Nigrino. Pingit Tertullianus de pallio: *Pavo pluma vestis,*

vestis, & quidem de cataclitis : imo omni conchylio depressior, qua colla florent : & omni patagio in auratior, qua terga fulgent. & omni syrmate solutior, qua caudæ jacent, &c.

Illic adspicies convexi sidera mundi,
Quosque rubens Indi parit æquoris unda lapillos,
Hortorumque comas sub adulti tempore veris &c.

Passeratius elegantissime, qui & addit inter alia:

Ergo illum venerata Samos, populoque Quirini
Manserat in tactus, donec mensam Hortalus augur
Impius apposito, facundaque polluit ora.

Primus enim *Hortensius* Orator Augurali, vel adjiciali cœna Sacerdotii posuisse Romæ dicitur, *Varrone teste, & Plin. l. 10. c. 20. Macrcb. l III. Satur. cap. 13.* &c. Apud Alexidem Comicum negat quidam tantum potuisse se impensæ facere, *nec si vel pavones comedisset*, &c. Accedit denique 3. *pennarum usus*, ad opus plumarium: *Frigus intolerabile est corpori nudo. Quid ergo? non corticibus arborum, pleræque gentes tegunt corpora? non avium plumæ in usum vestium conferuntur?* Seneca Epist. XC. &c. ad ornamenta galearum: Sic Panegyricus cit. *galeam describit auro gemmisque radiantem & pennis pulchræ alitis eminentem.* Lucianus l. 1. Histor. *in Elysiorum Thanatusiis*, ait *præmium esse coronam ex pennis pavoninis: ad muscaria.* Sic Eutropius Eunuchus, consul deinde apud Claudian. l. 1.

Nudus in argento lympham gestabat alumnæ,
Et cum se rapido fessam projecerat æstu,
Patritius roseis pavonum ventilat alis.

Non possum, quin locum Gregorii Nazanz. ex Orat II. de Theol. adjiciam, in quo venustas orationis cum pavo-

nis Pulchritudine certat: *Quo auctore*, inquit, *arrogans avis illa Medica, tam ſtudioſa pulchritudinis eſt, & laudis? ut quum videt aliquem* [*non enim ignorat ipſa, qua ſit venuſtate & elegantia*] *propius accedentem, vel cum fœminis oſtentare ornatam ſe cupit, quemadmodum ajunt, ſublato collo, ac alis in orbem explicatis, admiratoribus ſui ſpectandam exhibeat pulchritudinem auri fulgorem referentem, ac ſtellarum inſtar fulgentem, non ſine ſuperbo quodam inceſſu?* ubi vide Schol. Eliam. Idem ad mulieres, de adulterino ornatu: *Quicquid in virorum gratiam comminiſceris, corporis libidinem prodit. Ferunt ſuperbum pavonem, cum curvato collo, pennisque gemmantibus circulum efficit, fœminas clangore ſuo ad Venerem incitare.* Eodem modo admodum mirabor, ſi tu aliam ob cauſam formam pingas, quam ut nitidorum & ſalacium virorum oculos ad te convertas.

CAP. XXXII.

Pavones Salomonis Pſittaci.

SIc Franc. Junius in notis ad 1. Reg. X. Neque inſulſa conjectura confirmant viri non indocti, quod & *a natura & a Plinio ejusmodi avis commendatiſſima ſit*, ait Pineda l. c. ſatis quidem frigide; oſtendit tamen, niſi obſtaret Vulgati Interpretis auctoritas, non gravatim in hanc ſententiam pedibus diſceſſurum fuiſſe. Lubet argumenta proferre 1. Pavonum proprium apud Hebræos nomen eſt, *Renanim*, a clamore, unde & nobis *Ranæ* dictæ, Gregor. Lex Sanct. num. 375. Hinc illud vulgatum de Pavone:

Angelus in penna, pede latro, voce gehenna.

Sic dici Pavones Job. XXXIX. 16. ex pulchritudine pennarum ibi commendata, & inſita alitis ſuperbia conſtat, quæ duo ei propria: Hinc Epitheta ὄρνις διαυγὴς ἢ καταστέρ-

περὶ φύσει *stellata natura*, & *micans pennis avis*, & mox ἀλαζὼν καὶ τυφωδὴς τὴν θέαν, *Pisidæ in Mundi Opif.* ψ. 1260. 2. Differunt igitur aves Salomoniæ, *Thukkiim* dictæ, *a Thakach.* calliditate & astutia, Buxtorf. Lex. pag. 854. Qualis in pavone nulla. Unde illud, nescio cujus?

Quid formica abjectius, ornatius pavone? illa tamen sapientiæ magistra, hic stultitiæ. Ita enim plerumque fit

--- quibus opes & gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit,

ait Phædrus in Fab. At Psittacis *ingenium sollers*, ut patet ex arte nidificandi contra serpentum insidias, suspenso e tenui junco nido ab altissimarum palmarum ramis: & inde, quod in Brasilia ceteris passim pabulantibus duo ex arboris cacumine speculantur, ac si quid periculi sit signo dato denunciant, refert Majolus Colloq. 6. Sed & *docilitas* miranda. Unde Statio. *Dux volucrum, Domini facunda voluptas. Humanæ sollers imitator linguæ.* 2. Silvar. Fame magistra, unde Persius:

Quis expedivit Psittaco suum χαῖρε;
Magister artis ingenique largitor venter.

Non sine verberibus: *nam ferrea clavicula caput tunditur, imperium magistri ut persentiscat. Hæc ferula discenti est*, Plin. Solin & Apul. 2. Florid. Denique quod alibi vix legas, accedit *docentium singularis astus.* Psittacus, astu deceptus, humanam vocem imitatur, quando per speculum appositum non animadvertit, quem imitetur. Clanculum enim post objectum speculum loquuntur, quæ discere cupiunt. Psittacus ratus alium se Psittacum videre, voces illas exprimere conatur, *Diodorus Tarsensis Episcop. l. V. contra Astrologos & Fatum.* Discit tamen non nisi juvenis; quod Apulejus ait, *usque ad duos ætatis suæ annos.* Vereor, ut experientia subsistat. De sene Proverbium est: *Psittacus senex ferulam negligit*, Erasm. Adag. III. Ipsum *Bittaci*, aut *Sittaci* [sic enim

vocant Veterum quidam, ut Cteſias in Indic. &c. noſtri Sittich] nomen cum Hebræo non male convenit, quaſi dicas: *Sche Thukkaja* iſte Pſittacus eſt. 4. Patria eſt India & quidem olim ſola, Pauſanias: *ab Indis ſolis cum alia tum vero aves Pſittaci afferuntur*, l. II. Corinthiac. cum Pavones propiore utique itinere nanciſci licuerit Salomoni, ex Media aut Samo, aut Babylone, vide ipſummet Pinedam l. cit. Populares habet Simias, ex eodem ſolo, quod notum, *Plinius l. VI. cap. 29. ſub extrem.* Ipſe vere *ſimia pennata.* Qualis Pſittacus ille Olympiodori *per viginti annos domeſticus, qui omnes fere humanas actiones imitabatur*, refert in libb. Hiſtoriar. Denique 5. rara olim avis, regibus digna, & regum munus ac ſpectaculum fuit, - *aëriæ celeberrima gloria gentis*, Statius l. cit. Callixenus Rhodius l. IV. de Alexandria, refert in Ptolomæi Philadelphi pompa, *in caveis pſittacos, pavones, meleagrides, phaſianos circumlatos.* Güntherus Poëta l. II. Ligurini ſui ℣. 255. a Januenſibus Friderico Barbaroſſæ munera miſſa deſcribit

Barbaricas veſtes, ſtruthiones atque leones,
Pſittacon humanis æquantem murmura verbis.

Tantum eſt: Dixi.

CAP. XXXIII.

Somnus Mortis Frater.

DEdi ſupra lib. I. *picturam ſomni.* Aliam accipe ex Pauſaniæ Eliacis prior. ſive lib. V. *Fœmina*, inquit, *expreſſa eſt puerum conſopitum dextra album ſuſtinens, nigrum ſiniſtra, & hunc dormientis effigie, diſtortis utrinque pedibus. Indicant inſcriptiones, quod facile tamen, ut nihil ſcriptum ſit, conjicere poſſis, eorum puerorum unum Mortem, alterum eſſe ſomnum, mulierem illam Noctem,*

Noctem, utriusque nutricem. Sic ergo indicabatur somnum esse θανάτου κασίγνητον. Unde mortui toties dormire dicuntur sacris profanisque literis. De quo argumento multa *Mendoza in Viridario l. VIII. cap. 5.* Jobus cap. III. 13. mortuos dicit 1. *cubare*, velut in strato suo, *Schakabh*, unde *Mischkabh*, cubile: nam

Somnus ut est mortis, sic lectus imago sepulchri.

2. *Quiescere*, quasi sub scuto, quod ab Hebræo *Schakat* nomen habet. 3. *dormire*, unde Epictetus Adriano, quærenti quid sit mors? *Somnus*, inquit, *æternus.* Quod de impiorum vere dictum, quos — *ferreus urget*

Somnus, & æterna clauduntur lumina nocte.

Denique 4. vocat mortem ἀνάπαυσιν. *Portus est, ad quem in his mundi calamitatibus miseri navigamus omnes,* Idiota de Contempl Mort. Seneca in Herc. Fur. ℣. 1072. ad somnum: *Pater ô rerum, Portus vitæ, Lucis requies, noctisque comes. Qui par regi famuloque venis* [Sirac. XLI. 3.] *Placidus fessum lenisque fovens, Pavidum Lethi genus humanum cogis longam discere mortem:* Somnum esse brevem mortem, sed mortem vicissim longum somnum. Tantum in eo falsi Gentilium sapientes, quod *Mortem & somnum* ab eadem matre Nocte producunt. Nam illa peccati pœna, hic naturæ munus est. Docet Tertullian. de Anima cap. 43. ubi cum *somnum* dixisset *esse recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, Medicum laborum*, &c. addit, *in publicæ & communis mortis effingi, exemplar.* Et mox: *cum evigilaverit corpus redditum officiis animæ, resurrectionem mortuorum tibi affirmat.*

CAP. XXXIV.

Claves Regni Cœlorum.

DAbo clavem Domus David *super humerum* ejus, Esa. XXII. 22. De Eliakimo inquit Dominus, cum eum Regium Oeconomum καὶ ταμείων, juxta LXX. vel ut Josephus habet, τῆς βασιλείας ἐπίτροπον fore promitteret. Quæ illa *clavis? cur super humerum posita?* utrunque video ab Interpp. perfunctorie tractatum. Clavis insigne fuit collatæ dignitatis, & potestatis. Sic apud Judæos *insigne Doctoratus fuit clavis cum pugillaribus*, ut docet Camero in Myrothecio ad Luc. XI. 52. Quæ cum quodam R. Samuele ferali loculo ad sepulturam reposita ferunt, quod filium non haberet, cui ista relinqueret. Hanc illi *scientiæ clavem* vocabant. Datione clavium tradi jus in rem, quæ illis obsignatur, vulgatum est. Sic deditionem facientes *claves* offerunt *portarum*, ut apud Ammian. Marcellin. l. XVIII. sub extrem. Quo alluſum puto, cum Dominus dixit habere se *claves Mortis & Inferni*, Apoc. I. 18. *Clavim consuetudo erat mulieribus donare, ob significandam partus facilitatem*, ait Pompejus Festus, sed a marito dabatur uxori, domum ejus intranti, ut insigne dominii in mariti res & familiam: quo fine repudiatis claves ademptæ, aut si ipsæ facerent divortium remissæ, *Dempsterus ad Rosin. Antiq. l. V. cap. 38.* Illustrat hæc Artemidorus, Vanitatis ille quidem magister, sed reconditæ eruditionis promus, de *Somn. Interp. l. III. cap. 54. Clavis*, inquit, *per somnium conspecta, ei qui uxorem ducere proposuit, fidelem eam, & domus custodem fore significat. Qui vero curare & dispensare res alienas volunt, his fidei & authoritatis significativa est.* Non dubitem igitur affirmare, Oeconomis Regum apud Judæos *clavim*, forte *auream*,

ream, in dignitatis & officii symbolon tradi consueviſſe. Quomodo Joſepho Pro-Regi Ægypti *annulus* a Rege traditus, puto *ſigillaricius*, qualis ille Darii, Gen. XLI. 42. Daniel VI. 17. ſive ille, pro veteri more, inſculptum haberet aliquod ſymbolum, de quo *Claud. Minoſ. in Syntagm. de Symbolis, ad Emblem. Alciati*; ſive adjunctam *clavim*, quales Romanorum fuerunt anuli ſignatorii, *de quibus Lipſius in Comment. ad Tacit. l. II. Annal.* Mitto alia id genus. De Clave ſatis: ſed cur *ſupra humerum?* Hic aqua hæret. Nec apud Interpp. ſpei vel rei aliquid, quos equidem viderim. An forte quia clavis ita magna & gravis? Nam & apud Homerum κλεὶς, & *clavis* apud Latinos *vectis* dicitur, Taubm. in Plauti Moſtellar. ad II. ſcen. 1. an quia mos ita ferebat, ut cui munus iſtud conferretur, clavis publice ſuper humerum portanda imponeretur, ut eſſet eo magis conſpicua? ut Job. XXXI. 36. an quomodo duos lapides Onychynos ſummi Sacerdotes geſtabant in ſuperhumerali, Exod. XVIII. 12. Sic iſti Regum ἐπίτροποι ſignum aliquod clavis aureæ in veſte? Cogita, qui literam S. textus penitius vis introſpicere. *Onus eſt non honos clavis iſta Regum*: Quanto gravius illa clavis Regni cœlorum, Regum Regis? *Grande eſt pondus Sacerdotii*, ait Gregorius Rom. l. 1. Regiſtri. Vere addit alius: *& Angelicis humeris tremendum!*

CAP. XXXV.

Αντικλεὶς & Clavis Laconica.

VÆ *Vobis Legisperitis, qui tuliſtis clavem ſcientiæ, ipſi non introiſtis & eos qui introibant prohibuiſtis.* Luc. XI. 52. Lis eſt inter Interpretes, quid velit verbum ἤρατε, *tuliſtis?* Beza ſecutus Theophylacti Scholia exponit, ἀπεκρύψατε καὶ ἀφανίσατε *abſcondiſtis & e medio ſuſtuliſtis*,

ſtuliſtis, ut nuſquam compareat: Eraſmus vero, cum quo facit Heinſius, ſimpliciter; *tuliſtis*, tanquam propriam vobis vendicaſtis, ut quæ Doctorale inſigne fuerit, de quo modo. Non dubito quin utramque ſententiam habuerit Dominus in mente, ex ambiguo repreliendens Legisperitorum *vanitatem*, qua clavi ſcientiæ ſe efferebant, & *Doctrinæ corruptelam*, qua neque ipſi τὴν θύραν τῆς ἀληθείας ingredi poterant, neque alios ingredi cupientes ſinebant. Quemadmodum in Gemara ad Sanhedrin *tres dicuntur eſſe claves, quæ miniſtro non ſunt datæ, Parturientis nempe, Imbris ac Reſuſcitationis mortuorum*; Ita cognitionis ac ſcientiæ clavem οἱ νομικοὶ per arrogantiam tum ſibi vendicabant, Heinſius. Ita pulchre locum hunc explanat Clemens Alexandrinus l. VII. Stromat. ſub fin. *Qui impiis imbuti doctrinis aliis præſunt, divinisque ſermonibus non bene ſed perperam utuntur, ii neque ipſi Regnum cœlorum ingrediuntur, neque alios deceptos ſinunt aſſequi veritatem. Sed neque ipſi clavem habent ingreſſus; verum falſam quandam, & & quam vulgo dicimus ἀνλικλεῖδα* [adulterinam, furinam, ad imaginem veræ alicujus expreſſam, noſtri vocant, ein Dietrich / & alias ein Diebsſchlüſſel.] *per quam non τὴν αὐλαίαν veſtibulum* [niſi mavis, τὴν αὐλειον januam veſtibularem] *aperiunt, quemadmodum nos per Domini traditionem ingredimur; quin potius παρόδιον oſtiolum perfringunt, parietem Eccleſiæ clam ſuffodiunt, & veritatis quaſi limen tranſiliunt*, &c. Obſtare debebat furibus noſtra vigilantia: Matth. VII. 15. Sed ingredi illis non liceret, niſi qui in domo Dei ſunt intus aperirent, *clavi* quaſi *Laconica*, oſcitantiæ, negligentiæ & contemtus divini verbi. *Hæreſes apud eos multum valent, qui in fide non valent.* Tertullian. de Præſcript. cap. 2. Nota hic: ædium, ut & hodie magnarum, duæ fuerunt januæ: ἡ μέσαυλος, quæ *in domum ipſam* intromit-

tromittebat, ἡ ἐν αὐλείῳ, quæ *in vestibulum*, Lysias Orat. 1. de cæde Eratosthenis: huic fere adjunctum θύρειον, ut dixit Clemens. Mos aperiendi a nostro diversus; nam *foras* exibant *in publicum*. Hinc exeuntes apud Comicos *pulsant fores* [ne improviso patefactæ prætereuntem aliquem, aut præ foribus stantem injurioſe impellerent] *quia non, ut apud nos nunc, ostia olim aperiebantur interius, introversum, sed adverso modo, Foras enim trudentes exibant, manu pulsantes prius, ut audirent, si qui ad fores essent, & caverent malo*, ita Helladius in Chrestomathia apud Photium. Nec puto aliter apud Hebræos; unde *Labia* oris *valvæ* vocantur *plateæ*, in plateam aperiri solitæ, per quas cibus ingreditur, quæque in mala ætate, sic enim senectus Salomoni audit, ut apud Latinos, deficiente appetentia, clauduntur Eccl. XII. 4. Ad aperiendum duæ serviebant claves, altera ὀπλὴ quæ ἔξωθεν, altera κρυπλὴ quæ ἔσωθεν: Hæc dicebatur *Laconica*; nam ut docet Theon, *non, uti hodie, extus erant claves, sed olim ut apud Ægyptios & Lacones, intus*. Sic Plautinum illud accipio: *Clavem mihi harumce ædium Laconicam, jam jube efferri intus: hasce ego ædes occludam hinc foris*. Nam utramque clavem apud se volebat habere furcifer Tranio, ut nemo vel ingredi posset, se invito, vel egredi, vide locum Mostellar. l. supra cit. & confer Taubman.

CAP. XXXVI.

Clavis Aurea & Lignea.

SUper *Cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia ergo quæ dixerint vobis servate*, Matth. XXIII. 1. Quomodo omnia? an cœcam exigit obedientiam? Absit. *Omnia*, inquit, *quæ legi Dei & mandatis non repugnaverint. Cavendum ergo erat fermentum Pharisæorum,*

id

id est, prava doctrina, & doctrina sana opere exsequenda, Barrad. Tom. III. l.8.cap.24. ex Matth. XVI. 6. Luc.XII.1. Recte! nam ut scite dictum est a Petro Ravennate Chrysologo: *Rationale obsequium vult Deus*, Rom. XII. 2. *Obsequium* inquit, *ratione calens fervor est: furor est, quod ratione non frenatur*, serm.109. Obediendum ergo ordinariis pastoribus,quamvis malis,quamvis occultis hæreticis, dum sana doceant. Nam ut eleganter ait Algerus, *aurum verum est in arca furis, sicut in thesauro Regis* l. III. de Sacram. Euchar. cap. 12. *Etsi fur sit ille qui seminat, terra tamen auctore Deo vires germinandis frugibus administrat. Licet sordida sit manus, aut leprosa quæ plantat, mundus certe fructus decerpitur, quum ad maturitatem plenitudinis pervenerit.* Petrus Damian. de Instit. Eccles. cap. 15. Augustinus tales *lapideis canalibus* comparat, per quos aqua transit in areolas, in illis nihil generans, hortis tamen plurimum fructus afferens: Item *spinis*, quas inter pendent racemi verbi divini. *Botrum*, inquit, *carpe, spinam cave!* vide Barrad. l. cit. Quid ergo indignius, quam quod sæpe usu venit, spernere etiam bonos doctores, vel eo solo nomine, quia minus diserti sunt? & celebrare pestilentes, quia facundi sunt? Sic seculum est. *Nunquid si quis aureo cochleari helleborum infundat, & alter non aureo, sed ex vilissima materia, apum laborem, hoc est, mel imponat, & sorbere jubeat, quod placuerit; numquis, materiam inspiciens, palmam dabit deterioribus? vel judicans recte utile noxio præferat, etiamsi in vilissimo proponatur vasculo?* ait Cyrillus l. VII. contra Julian. Sic Augustinus censebat, *perinde esse sapientiam & stultitiam, sicut sunt cibi utiles & inutiles: verbis autem ornatis & inornatis, sicut vasis urbanis & rusticanis, utroq; cibos posse ministrari*, lib. V. Confess. cap. 6. *Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea,*

ren, si aperire, quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est? Idem de Doctr. Christ. l. IV. cap. 11.

CAP. XXXVII.

Serpentes varii, Monstrum, Libycum, Melusina.

IN novissimo mordebit ut coluber, & sicut Regulus venena diffundet, Proverb. XXIII. 32. *Vinum* immodicum confertur 1. *Regulo*, *Basiliſco*, qui hominem, si adspiciat tantum, dicitur interimere, Plinius l. XXIX. c. 4. An vere dicatur? non disputo, vide Vossium l. IV. de Idololatr. cap. LVI. Eadem vis *Catoblepæ*; Apud Æthiopas Hesperios fera est modica, caput prægrave ægre ferens, id dejectum semper in terram, alias internecio humani generis, omnibus qui Oculos ejus videre confestim exspirantibus, *Idem Plin. lib. VIII. cap. 21.* De Gorgone similia refert *Alexander Myndius de quadruped. Libyæ, ea fera est*, avi silvestri similis, sola adspectu necans, si quis propius accesserit, quod Mariana contra Jugurtham expeditione ait esse compertum, interfectis aliquot ejus militibus, qui cominus essent congressi; tandem eminus jaculis confectam, pellemque Romam missam. Quæ illustrant, quod *de vini oculis* ait Salomo in h. l. vide lib. III. Ut vidi, & perii! 2 *Ceraſtæ*; sic enim habent LXX; *tanquam a ceraſte diffunditur ejus venenum.* Serpentes illi præferunt quadrigemina cornicula, quarum ostentatione velut esca illice sollicitatas aves perimunt, reliquo corpore de industria arenis tecto, Plinius l. VIII. cap. 23. Solinus cap. 30. Meminere Græca Scholia h. l. in Caten. Proverb. & explicant illicium callidæ bestiæ: *cornicula ad instar vermiculi subinde movere, avesq; ad prædam allectare.*

lectare. Quod de vino dixit Salomo: *itare ad rectitudines*, moveri indesinenter rectissime, juxta Tremell. Wann die Närrlein so in die Höhe springen / ut nostri dicunt, quod generosi vini ingenium est, ita vere ingreditur blande ut habet vulgata, gehet glatt ein / D. Luther. quia potanti quasi assilit & applaudit, dulcique, ut sic dicam, histrionia lenocinatur, tecto interim, quod intus alit, veneno. Ita dolosus vere luctator est. 3. *Viperæ*, aut aspidi, sticht wie ein Otter. D. Luther. vide Dn. Gejerum de vipera, cujus inter ceteros serpentes proprium mordere, in Proverb. h. l. ne prolixior sim: & de aspide nota mortem inferre celerrimam & leniissimam, quod periculo exploratum Cleopatræ, ut docet Ælianus, vide Voss. l. IV. cit. cap. 56. Quo respectum a vulgato, cum venenum dixit *diffundere*; habet enim ὀξύτατον, καὶ διαδραμεῖν ὦκιστον. 4. *Hæmorrhoidi*; sic enim Tremell. ut hæmorrhois punget. Ea nominis argumento sanguinem elicit, - *quacunq; foramina novit humor, ab his largus manat cruor*, &c. Lucanus lib. IX. Ita enim *sæpe de ebrietate ad arma consurgitur, calicibus tela succedunt. Pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderint*, ut ait Ambrosius de Helia & Jejun. cap. XII. Quæ omnia æque de voluptate dixeris. *Uno namq; modo vina venusque nocent.* Quo pertinet Dionis Prusæi λιβυκὸς μῦθος *de Monstro Africano*, corpore adspectus virginei, ut nec fingi potuerit, nec pingi venustius; at inferiora squamis horrent, totumque atrum desinit in serpentem: Quos venustate vultus allectavit, cauda irretitos, ore serpentino interficit. Nec absimilis nostrorum *de Melusina* fabella est, quæ octavo quoque die pubetenus in anguem mutari solita. Conradus Vecerius de Reb. Gest. Henrici VII. Imp. pingit specie aliqua veri: Recenseri eam inter Majores hujus Imp. exstare imaginem ejus, cupæ balneatoriæ insidentis, in Stemmatibus nobilium fami-

familiarum a Lucemburgo dictarum, & in hac ipsa urbe turrim ostendi ingentem, vetustate tamen bona ex parte collapsam, in qua rem contigisse per manus tradatur.

CAP. XXXVIII.

Magnes, Pantarba, Orpheus, Amphion, Arion, Eunomus, Hercules Ogmius, Templum Abrahami.

NEmo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit, traxerit illum, Joh. VI. 44. Tractum hunc *Gratiæ efficacis* licet comparare 1. cum vi tractiva *Magnetis*, cui inde lapidis Herculani nomen; *Quid ferri duritia pugnacius? Sed cedit, & patitur mores: atq; ut propius venit, assistit, teneturq;, & complexu hæret.* Plinius l. XXXVI. cap. 16. *Sola hæc materia vires ab eo lapide accipit, retinetque longo tempore, aliud apprehendens ferrum, ut annulorum catena spectetur interdum*, Idem l. XXXIV. cap. 14. ut Lucretius l. VI.

Hunc homines lapidem mirantur: quippe catenam
Sæpe ex anellis reddit pendentibus ex se, &c.

ubi digna observatu: *Ferri repugnantia*, de qua Lucretius l. c. quoque:

Fit quoq; ut lapide hoc ferri natura recedat,
Interdum fugere, atque sequi consueta vicissim, &c.

Lapidis efficacia, vires suas ferro communicantis, ut & ipsum cedat, *moresque*, an *amores*, ut apud Plinium alia habet lectio, *patiatur*, & aliud deinceps apprehendat. Sic enim gratia trahit, ut tracti & trahantur, & vicissim trahant, ut efficax Ministerii cooperatio insinuetur: Tractio-

ctionis *finis*, venire, teneri, & complexu hærere. Vide quæ dixi in Theologia Symbol. num. 185. ubi & *de Pantarba gemma* ex Brachmanum Philosophia, *ignis instar lucente, & luminis sui efficacia lapides undique attrahente, ut velut apum examen coacervati ei se subjiciant*, de quo Philostratus lib. III. vide Symb. dicta num. 192. De Magnete præterire non lubet, quod apponit Plinius: *ex eodem lapide Dinocratem architectum Alexandriæ Arsinoes Templum concamerare inchoasse, ut simulachrum hujus ferreum in eo pendere in aere videretur*, l. XXXIV. cap. 14. De Serapidis simulachro ad istum modum in sublimi pendente, in ejus Templo Alexandrino, *vide Suidam. in Magnete.* Similia alibi dabo. 2. *Clemens Alexandr.* in Proterpt. ad Gentes ex vulgatis fabulis tractum hunc explicat: *De Orpheo:*

Qui saxa cantu movit, & domuit feras,
Erebique tenuit impetus dulci mora.

Phædrus ad Eutychum. l. III. Fabul. Prologo. *De Arione Methymnæo*, qui Delphinem cantu traxit, ut se incolumem per medios fluctus in terram veheret: *De Amphione Thebano:* de quo Horatius:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet, de Arte Poët.

Quæ in vulgus nota. Non dubium, quin Muhammedistæ fabulæ suæ argumentum de Templo suo Mecchano hinc petierint: *Abrahamo divinitus mandatum fuisse, ut Templum pro remissione totius Mundi peccatorum exstrueret, in quo quicunq; veniam flagitaret, impetraturus esset: Posito igitur actutum fundamento, montes ipsos lapides & alia ad structuram necessaria comportasse, nec aliud laboris Abrahamo incubuisse, nisi ut manu Templi situm delinearet,*

nearet, &c. Denique *Eunomum* quoque *Locrensem & cicadam Pythicam* adducit Clemens noster. Nam cum in certamine Musico apud Delphos, repente Locrensi chorda fracta esset, harmoniam supplevit attracta cantu ejus cicada, citharæ jugo insidens, cujus rei exstabat monumentum Delphis, statua Citharœdi, cum cicada citharæ insidente, ut est *quoque in l. IV. Anthолog. Epigramm. & Cononis narrat. 5. apud Photium Cod. 186.* ubi Schottus & Scholion. Quæ quam scite & bene huc applicet Clemens Alexandrinus, apud ipsum videre est. Locus est prolixior, quam ut vacet exscribere. Satis sibi cavisse videtur, *ne Pelagio* præluderet, ut alibi fecit minus cautus. *Tractor* est *Cantor* ille cœlestis λόγος, ὁ γνήσιος, ἀγωνιστὴς, in universi orbis theatro coronatus, Johan. XII. 32. *Tractionis vis* in admirabilis harmoniæ modo, non Phrygio, Lydio, Dorio, sed plane novo, cui inest γλυκύπικρὸν ἀληθινὸν φάρμακον πειθῦς. *Objectum* sunt non feræ tantum, sed & lapides, sed & mortui, veræ vitæ exsortes. *Effectus* est, quod soluta acerba servitute τῶν τυραννούντων δαιμόνων, *ex feris homines facti sunt, ex lapidibus filii Abrahami*, Matth. III. 9. [quod venuste exponit de paganorum conversione, τῶν εἰς τὴν ἀλήθειαν λελιθωμένων, τῶν λίθοις πεπιστευκότων, *qui adversus veritatem lapidaverant, & lapidibus crediderant*] & denique ex mortuis vivi. Demum 3. *Hercules* Gallorum, quem illi *Ogmion* dixere, huc pertinet; cujus simulachrum describit Lucianus, Herculis Græcorum non absimile, nisi quod confertam hominum turbam trahit, auribus vinctam, catenulis e summa ejus lingua perforata exeuntibus, *de quo Alciati emblema* 180. ut & 137. & utrobique Claud. Minoëm in Comm. adi, si lubet.

(o)

CAP. XXXIX.

Ara Misericordiæ.

PROpitiatorium & Thronus Gratiæ, Rom. III. 25. Hebr. IV. 16. Celeberrima est Athenienſium Ara, *Misericordiæ* conſecrata, quam pulcherrimis verſibus deſcripſit Papinius Statius l. XII. Thebaid. ubi exponit 1. *ſitum:* Urbe fuit media. Nam in ipſo foro ſtabat, Pauſania teſte, in Attic. 2. *Ortum.*

Fama eſt defeſſos acie, poſt buſta paterni
Numinis, Herculeos ſedem fundaſſe nepotes.

Quod tamen quando evenerit, in obſcuro mihi eſt. Antiquiorem fuiſſe bello Thebano, quod Polynices & Etheocles geſſerunt, ante Trojam dirutam annis XXXVII. oportet, ſi Poëtam audimus. Unde conſequens eſt, tum exſtructam, cum Herculeam ſtirpem Euryſtheus exſtirpare conſtituiſſet, quo in diſcrimine Heraclidis receptus fuit urbe Athenarum, & confugium ad aram Ἀγοραίου Διὸς, ut Euripides docet in Heraclid. qui tamen Papinii noſtri rationes conturbavit, cum Heraclidarum ad Athenienſes adventum refert ad id tempus, quo patre *Theſeo defuncto* regnabat *Demophoon.* vide *Petavii Rationar. p. 1. Lib. 1. cap. 10. & 12.* Subjicit Poëta:

Fama minor factis: ipſos nam credere dignum eſt
Cœlicolas ſacraſſe loco commune animantibus ægris
Confugium, unde procul ſtarent iræq; minæque, &c.

3. *Uſus* fuit, ut eſſet aſylum omnium vim & injuriam patientium, aut alioquin adflictorum. Unde noſter:

Semper habet trepidos, ſemper locus horret egenis
Cœtibus, ignotæ tantum felicibus aræ.

Et

Et Claudianus de Bello Gildon. - - *si flentibus aram,*
Et proprium miseris Numen statuistis Athenæ.

4. *Effectus* miraculosi celebres. Ea enim, ut pergit Papinius.

Vicit & Oedipodæ furias, & funus Olynthi
Texit, & a misero matrem summovit Oreste.

ubi Luctatius vetus interpres: *Olynthus civitas est Athenis serviens; hæc se auctoribus Lasthene & Eutycrate Philippo tradidit, ob quam culpam placuit Athenienſibus, evertere civitatem, quo comperto ad aram Misericordiæ confugerunt*, &c. Reliqua in vulgus nota. Denique 5. *de cultu* simplici & minime sumtuoso hæc refert Poëta:

Auditi quicumque rogant, noctesque diesque
Ire datum, & solis Numen placare querelis.
Parca superstitio. Non thurea flamma, nec altus
Accipitur sanguis, lachrymis altaria sudant.
Mœstarumque super libamina serta comarum
Pendent, & vestes mutata sorte relictæ.

Et mox, quamquam alibi legere memini, imaginem Misericordiæ dedicatam, quæ oculis esset madentibus, & in dextra præferret cor vulneratum, sanguine.sq; adspersum guttulis; addit Idem;

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Deæ, mentes habitare & pectora gaudet.

Pulchra & quæ omnino sapiant majorem sapientiam, quam cujus ratio sola possit esse capax. Non dubito, quis quis aræ primus conditor fuit, fando aliquid *de Propitiatorio Mosaico* accepisse, nec humanitati tam, quam Divinæ Pietati eam consecrasse. Ea semper in medio, obvia & nulli clausa miserorum, ad quam litabiles hostiæ preces, & lachrymæ. Quæ diducere qui volet, facile poterit. Nobis ara Misericordiæ Christus est, in suo cuique dedicandus pectore. Turpi adulatione deleniturі Romani patres Sejanum,

num, qui apud Tiberium erat τὰ πάντα, *aram Clementiæ, aram Amicitiæ, effigiesque circum Cæsaris & Sejani, censuere*, Tacitus sub fin. IV. Annal. de quo more *Lipsius in Comment. ad 1. Annal. num. 75.* Nos grati ponimus memori *corde* aram Clementiæ, aram Amicitiæ, utriusque æterno Dei filii beneficio nobis partæ effigiesque circum, non auro aut marmore ductas, Patris, & Filii, & Spiritus S. addita inscriptione: *Deus est Charitas!* 1. Joh. IV. 8.

CAP. XL.

Columba unguentis delibuta.

TRahe me! *post te curremus!* Cant. I. 4. addunt LXX. & Vulgatus: *in odorem unguentorum tuorum*, de quibus sponsa erat præfata. Videtur autem his ipsis verbis Sponsum suum columbo comparare, qui eam vicissim toties columbam suam appellat. Nam & oscula columbarum nemo ignorat, unde Mecœnas, cujus *oratio æque soluta fuit, ac ipse discinctus*, ut ait Seneca, ausus fuit dicere: *labris columbari*, Senec. Epist. 114. & Matius in Mimjambis: *sinu amicam recipere frigidam caldo, columbatimque labra conserere labris*, apud A. Gell. lib. XX. cap. 9. & moscho, aliisve unguentis perfundere mos erat, ut ad Dominum libentius, *furtoque comitatiores*, redirent. Tradunt enim silvestres à domesticis adduci ἐὰν μύρῳ χρίσῃς, ut Didymus in Geoponic. l. IV. Meminit Anacreon, cui tabellaria fuit columba, de qua ejus hoc exstat:

Ἐρασμίη πέλεια
πόθεν πόθεν πέτασσαι;
πόθεν μύρων τοσοῦτον,
ἐπ' ἤρῳ θέουσα,
πνεῖς τε καὶ ψελίζεις;
Amabilis Columba
unde, unde pergis, aut quo?

Tot

Tot unde nunc odores,
Huc advolans per auras,
Spirasque depluisque?

Ut interpretatus est Henr. Stephanus. Nam quod internunciæ fuerint in rebus magnis; ut in obsidione Mutinensi, Epistolas earum pedibus annexas in castra consulum Decimo Bruto mittente, quod habet Plinius, & similia alia notum est. Quæ quam bene huic loco quadrent, nemo jam non intelligere poterit. Unxit Deus sponsum nostrum oleo lætitiæ præ consortibus, ut diffuso nominis sui odore traheret nos columbas silvestres, seductas, & *cor non habentes*, ut confertim ad columbarii cœlestis, Ecclesiæ suæ, fenestras advolaremus, Psalm. XLV. Ose. VII. Esai. LX.

CAP. XLI.

Scorpiones.

CUm Scorpionibus habitas, Ezech. II. 6. Schemate proverbiali dictum, quo & *periculum Prophetæ* describitur, ut caute sibi agendum sciat, ὅτι παντὶ χάρτῃ σκορπίος φωλεῖ λίθῳ. *Etenim sub omni lapide Scorpius excubat*, ut est in veteri Senario, de quo vide Erasm. Adag. & *ingenium auditorum depingitur*, *Phalangia, & Scorpii & Scolopendræ malos homines significant* in Onirocriticis, Artemidor. l. II. cap. 13. Idque si spectes *1. nocendi voluntatem.* Cauda semper in ictu est, nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni *ait Plinius l. XI. cap. 25.* Sicilli in omnem nocendi occasionem intenti, Mich. II. 1.

Muscipulæ ut tentæ, ac sublata Scorpius cauda,

Juxta Lucillium apud Nonium Marcell. *2. fraudulentam*

dolositatem; nam & obliquo ictu ferit, *recessim cedens*, Plin. l. c. ita illi *imitantur Nepam*, Plaut. in Casina: *Videntur Scorpii inter se sermonem conferre: itaque si uni non succedat ut iciat hominem, abit, plures adducit, connexique invicem instar catenæ, insidiantur*, ex Platone Clemens Alex. l. I. *Stromat.* meminit & Porphyrius *de Animal. abstinent.* Sic in Libycos lectos, quibus suspensis indormire mos est, metu hujus pestis, ex alto descendunt, alter alterius brachio suo caudam complexus, catena quasi facta, donec jacentem attingant, Ælian. VI. cap. 22. &c. Sic sceleſti illi, Esai. V. 18. Jam Deus ipse 3. indicat *frequentem copiositatem*: ut quod de *Alabanda Cariæ Urbe*, inter duos montes sita, ut asinum clitellarium referret, dictum olim fuit, de universo hoc mundo dici possit. *Esse asellum scorpionibus onustum*, iis enim locus ille abundabat, Strabo l. XIV. Adde 4. *infestam piis hostilitatem. In Scythia quidem*, ait Plinius, *interimunt etiam sues alioquin vivaciores contra venena talia. In totum autem nulli nocent, quibus non sit sanguis.* l. cit. Sic isti piis maxime insidiantur, quibus generosior sanguis, & ante omnes Dei servis: *In Latmo Cariæ monte*, Aristoteles tradit, *a Scorpionibus hospites non lædi, indigenas interimi*, Plin. l. VIII. c. 59. Nuspiam Propheta minus gratus minusque tutus est, quam inter suos, Matth. XIII. 57. Sic apud Trojanos.

— — *fatis aperit Cassandra futuris*
Ora, Dei jussu, non unquam credita Teucris.

Et Protogenes *absolutissimus pictor apud Rhodios: donec ei dignationem Apelles constituisset, sordebat suis, ut plerunque domestica*, Plin. l. XXXV. cap. 20.

Temnuntur propriis miracula semper in oris,
Et sine honore manent patria sub sede Prophetæ,

Juven-

Juvencus lib. III. confer. Hieronym. in Matth. l. c. Hinc tot martyria, ut fere huc quadret, quod *de Maximo* dixit *Sidonius: Exitus novus, celer, acerbus, quem cruentavit fortunæ diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum, ut scorpius, ultima sui parte percussit*, l. II. Epist. 13. Pauci, quod de aulis ille dixit, in Ecclesia consecuti *rem rarissimam, senectutem honoratam* puta, dignum operæ pretium. Sunt enim illi *Scorpionum Venatores*, ad parandam viam Domino, Esai. XL. 3. Luc. I. 76. Quales apud Persarum Reges, e Susis in Mediam proficiscentibus viam a scorpiis securam facientes, toto ante triduo venatu instituto, propositis a Regibus præmiis qui plures cepisset. *Aristot. in Mirab. Auscult.* Causas *hostilitatis* hujus si quæras, *immittens* est Diabolus, Apoc. IX. ℣. 1. 3. Venerorum artifex & sator. Sic *Psylli intulere Italiæ*, ut indicat Plinius l. XI. c. 25. *admittens* est caro, fœcunda monstrorum parens. Mizaldus Italo cuidam ex frequenti odoratu Ocymi hortensis, seu Basilicæ herbæ, natum fert in cerebro scorpium, qui vehementes & longos dolores, mortem denique attulerit, Cent. I. Memorab. n. 2. Notandumque ait *Ocymophilis*, quos interpretari licet opum & honorum avidos: ista enim inter maledicta, ut ocymum, fere seruntur, & lætius proveniunt. *Permittens* Deus, cujus providentia supra nos suas habet rationes: sic suos exercet, ut spernant mundum tam frementem quam blandientem. Quomodo *inter locustas*, quæ Musis sacræ habitæ, *scorpiomachus est, cui cum scorpiis perpetua pugna: is cum stridore tantisper circumvolat, usque dum scorpius aculeum avidius exserens amittat, & adeo exarmatum devorat*, Aristot. in Mirabil. - Tu contra audentior ito! Sic suis medetur: nam & venena sæpe vertit in remedia. Qua ratione *scorpium* docet Galenus l. XI. Simplic. *Vipera morsis convenire.* Sic Tyrannos sæpe exagitat, ut a Scorpiis suis infestati, rugire contra Dei populum desi-

nant. *Nam & leo*, Rex ferarum, *exiguo scorpionis aculeo exagitatur, & veneno serpentis occiditur*, Ambros. VI. Hexaëm. Denique in medio ejusmodi Scorpionum suos præstat illæsos, Marc. XVI. 17. ut, velut *capræ Coptiæ ad Isidis fanum, cujus illa in deliciis credita, & ideo consecratæ*, impune inter eos dormiant, Gesner. de quadrup. ex Æliano p. m. 321. Sic Scorpii innocui in Italia, circa Pharum in Ægypto, & aliis multis locis. Intra Siculi cœli regionem vivere non possunt, Plin. l. XI. cit. Pro remedio sit istis Saliva jejuni oris; *sobrietas*; aut cinis tosti Scorpii cum vino haustus, vel vivus crudusque contritus plagæ impositus; *cogitatio novissimorum*: aut oleo immortuus, quod præsentissimum est alexipharmacum; *consideratio gratiæ*, qua peccato mortui vivunt Deo. Masculo animo opus est; *Virginibus enim lethalis Scorpii ictus semper, & fœminis fere in totum*, Plin. l. cit. Ridiculum illud, ex eodem: *Si quis in aurem asino dicat, percussum se a scorpio, transire malum protinus.* Et sunt tamen tam stupidi asini, qui ne audire quidem sustineant, quæ a tot Scorpiis bonis Dei servis sufferenda sunt, & vel hac potissimum de causa ministerium hoc aversentur, digni clitellis suis. Finiam cum dixero justissima naturæ indignatione fieri, ut *& scorpii fœtum suum devorent, relicto uno solertissimo, reliquorum tandem ultore, qui postremo genitores superne conficiat*: Plin. l. cit. Ita semper scorpius scorpium ulciscitur. *Redit in auctorem scelus, suoque semper premitur exemplo nocens*, vide Sirac. XXVII. 29.

CAP. XLII.

Lucerna Symbolum Vitæ.

Lucerna impiorum extinguetur: tritum adeo est, ut inter proverbia fuisse non debitem, ut Job. XVIII. 6. & XXI.

& XXI. 17. Prov. XIII. 9. & XXIV. 20. &c. Sed sensus non æque in vulgus notus, variantque Interpretes. Pauculis facem præferre non erit abs re. Lucerna *vitæ symbolum est. Quid est homo? sicut lucerna in vento posita*, Epictetus in altercat. cum Hadriano. Sic Plutarchus explicans *morem Augurum lucernas gestantium, quas apertas esse decebat, nullo obditas operculo*, ait *Lucernæ corpus esse simile, animum lumini, quem non conveniat obscurari, ut Deorum fata possit perspicere.* Quæst. Rom. 72. Notum est pervulgatum illud: *Lucernam ne extinguito!* In Onirocriticis, *Candelabrum uxorem significat: Lucerna domus Principem, aut Spiritum ejus, qui somnium vidit*, Artemidor. l. I. cap. 76. Nec aliunde mos, cum lumen inferretur, dicendi: φῶς ἀγαθόν, aut cum extingueretur: χαῖρε φίλον φῶς, vel ut est in Lucillii Epigramm. in Medicos: χαῖρ' ἱερὸν φῶς! Sic Salomo, & postea Euripides, ἡδὺ τὸ φῶς βλέπειν, Eccl. XI. 7. Hinc fictiles lucernæ in sepulchris suspensæ, more ab Ægyptiis orto, de quo Kirchman. de Funerib. Rom. l. IV. cap. 4. quædam tanta arte, liquore instructæ inextinguibili. ut perenniter lucerent, qualis illa Olibii Plutoni sacrata, quæ post mille & quingentos annos ardens adhuc juxta Athesten municipium Patavinum, anno circiter salutis c1ɔ 1ɔ. eruta fuit, ut er Scardeonio refert Buxhorn. Quæst. Rom. cap. XI. ubi vide de *Lino Asbestino*, aurea Callimachi Lucerna, & alia in Templo quodam Veneris sub dio pendente, imbribus inextinguibili, vide Plin. l. XIX. cap. 1. Dalechamp. ibid. & Isidor. l. XVI. Etymol. cap. 4. Credo spem suam *de animarum immortalitate Gentiles testari voluisse.* Apud Hebræos *lucernas Sabbathinas* accendere fœminarum officium est, & ratio: *Quia per fœminam lux vitæ extincta, per fœminam viro junctam iterum accendenda sit.* Quod in conjugio fit, quamvis μυστικωτέρως accipi possit, de negotio

salutis; vide Buxtorff. Synag. Judaic. cap. 10. *Christus lucernam accendit, quia testam humanæ naturæ flammæ suæ divinitatis implevit*, Beda ad Luc. XI. & homil. de Confessor. Quod & Gregor. M. in homil. aliique dixere.

CAP. XLIII.

Eadem Lætitiæ Symbolum.

LUcerna *Lætitiæ symbolum* est, & felicitatis mundanæ, quam in voluptate ponunt, quibus anima pro sale, ne putrescant. Sed quomodo? an quia *lux usu Scripturæ læta omnia significat? ut nox contraria*, docet Cæsarius Frater Nazianz. Dial. 1. & notum est. *Lux splendida opulentiam egenis, ægris sanitatem, innuptis nuptias significat; obscura tristitiam, & ægrotis mortem*, Artemid. l. II. c. 9. - *Lux gratia solis, lux decus astrorum - requies lux omnibus ægris* &c. Dracontius in Hexaëm. Longe petitum est. An ergo ad funalia & lampadas conviviales allusum? putant aliqui, notusque est lucernarum & luminis iste abusus:

> — *aurea sunt juvenum simulachra per ædes,*
> *Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,*
> *Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.*

Lucret. de Lychnuchis. Mihi Lucerna impiorum, per Metonymiam signi, poni videtur *pro festivitate illa*, quam solennem agunt per totam vitam. Ut Seneca in Apocolocynth. dixit Claudium *Saturni mensem totô anno celebrasse*. Sed non semper Saturnalia erunt. *Foras Cares, non sunt amplius anthisteria, Floralia.* Lucerna vestra coronata fumum dat ex fulgore. Notus autem mos fuit, ut die læto *postes laureis adumbrarent, & lucernis diem infringerent*; Tertull. in Apolog. *honor Dei erat lucernæ pro foribus, laurus in postibus*, de Idololatr.

latr. *Janua Laureata & Lucernata*, ad Uxor. leg. II. &c. Qualis *Lupanarium*, ut idem, & ex eo Lipsius l. 1. Elector. cap. 3. pluribus, vide quoque Stuk. l. II. Conviv. Antiq. cap. 30. &c. Morem eum quoque apud Judæos fuisse vel ex profanis scriptoribus clarum est. Reprehendit Seneca quod *Lucernas Sabbathis accendant*, cum *nec Lumine Dii egeant, neque homines fuligine delectentur*, Epist. 95. Persius Satyr. V.

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ, pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat Thynni, tumet alba fidelia vino.

Sic accipio, quod comminatus est Deus, Judæis se ablaturum inter alia læta, *lumen lucernarum*, Jerem. XXV. 10. Quasi dicturus, quod apud Hoseam est: *cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, Neomeniam ejus, Sabbathum ejus, & omnia ejus festa tempora*, cap. II. 11. Transiit consuetudo ista, ut aliæ, in Ecclesiam.

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte dieque micant, &c.

Paulinus de Natali Felicis, 3 & mox:

Spargite flore solum, prætexite limina sertis.

Neque primo displicuit Vigilantio aut soli, apud Hieronym. adv. Vigilant. cap. II. *Sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi:* Reprehendit prior Tertullianus de Idolol. cap. XV. *Accendant quotidie lucernas, quibus lux nulla est: adfigant postibus lauros postmodum arsuras, quibus ignes imminent: illis competunt & testimonia tenebrarum, & auspicia pœnarum. Tu lumen es mundi & arbor*

arbor virens semper. Si Templis renunciasti, ne feceris Templum januam tuam. Minus dixi. Si lupanaribus renunciasti, ne indueris domi tuæ faciem novi lupanaris. Sed luceant, inquit, opera vestra. Objectio fuit, *paganam* superstitionem cerussa aliqua exornantium. Respondet scitissime: *at nunc lucent tabernæ & januæ nostræ: plures jam invenies Ethnicorum fores sine lucernis & laureis, quam Christianorum, ibid.* a princ. cap. Dehortatur ab isto, ut ait, ἑλληνικῆς ἐορτομανίας νόμῳ facundissime Gregorius Nazianz. Orat. 48. quæ est in Julian. II. sub fin. *Panegyres Christianorum ait, non corporis splendore, vestium mutatione & magnificentia, non comessationibus & ebrietatibus, quarum fructus sint cubilia & impudicitiæ, celebrandas: non floribus coronandas plateas, unguentorum turpitudine mensas: non ornanda vestibula, nec dandam operam, ut visibili lumine splendescant domus, & tibiarum concentibus, plausibusque omnia personent. Aliter honorandum nobis esse Deum, inprimis Lucernis Divini verbi totum Ecclesiæ corpus illustrantibus*, &c. Quibus interluceant lampades cordis fidelis, ne accidat nobis sponso appropinquante, quem in omnia momenta exspectamus, quod virginum fatuarum choro:

Sumens flammigeras ne quicquam sustulit hastas,
Emicat exiguus commoti luminis ignis;
Sed virtute carens, languentem lampada fervor
Deserit, & siccam percurrit flamma papyrum:

Alcimus Avitus ad Fuscin. Soror. v. 516. ubi egregia pictura lychnuchorum illorum quibus hodieque uti in processionibus & funeribus mos est.

CAP.

CAP. XLIV.

Iris, Arcus cœlestis, cujus Symbolum.

ARcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & terram, Gen. IX. 13. *De signo* Filii hominis in nubibus ante ejus novissimum adventum apparituro, Matth. XXIV. 30. varie sentiunt Interpretes. Vide Dn. D. Gerhard. de Extr. Jud. num. 101. Ego quid statuam, nondum expono; conjecturas aliquas, a vero, ut confido, non absonas, edo. Ac nunc quidem *de Iride.* Prima hæc *Dei signum* dici meruit. Nam quod Ambrosio de Noha cap. 27. Arcum istum negat esse, quem Irim appellant, *in quo colores diversi, tanquam radiorum Solis nunc rutilantium, nunc lumine lucentium clariore figurantur, unde & pluvia futura significatur, eo quod inconstantia quadam serenitatis, versicolora specie, demonstretur*, &c. Addita etiam ratione, *quod Iris neque noctu possit apparere, neque interdiu si obductus aër tetris nubibus fuerit, nisi forte cum graviores nubes se cœperint relaxare*; Origenicam sapit allegoriam, & merito rejicitur. David eum arcum vocavit *Dei testem fidelem*, Psalm. LXXXIX. 38. de quo multa docte Dn. D. Walther in Offic. Bibl. ad Genes. observat. 34. Hinc de Iride tot fabulæ Poëtarum, apud Natal. Comit. l. VIII. Mythol. cap. 20. Et illa inprimis, quod *Jovis & Junonis* [apud Cointum etiam *Palladis* ad Æolum ventorum ephorum l. XIV. v. 466.] *nuncia*, pervigil ad hujus thronum assideat, semper succincta, & calceata, exspectans ejus imperia, ex Callimacho. *Pingebatur Juno ut fœmina sedens in throno, sceptrum regium dextra tenens, caput nubes tenebant opertum, supra diadema,*

quod

quod capite gestabat, cui & Iris sociata erat, quæ ipsam per circuitum cingebat: Albricus de Imag. Deor. Sic Martianus Capella *Junonem* pingit *tecto capite, lacteo quodam calymmate* [sic enim lego, pro eo quod est in excuso exemplari meo, galumnate] *cui gemmis insitum diadema pretiosis. Nam neque Scythidis vireta, nec Ceraunorum vibrans fulguransque lumen, nec fluctícolor hiacynthi credebatur abesse profunditas: Sed totum illud sertum capitis fulgurantis Thaumantias obtulisse Reginæ Cœlitum ferebatur*, lib. 1. de Nupt. Philolog. Sic Poëtæ furto impio sacras Prophetarum visiones, Patrumque παραδοσιν, suas fecerunt. Sic Iris cingit Thronum Dei κυκλόθεν ipsumque Magni Angeli, Filii Dei, caput ut diadema, Ezech. XXVII. 28. Apoc. IV. 3. & X. 1. *pleno puta circulo*, etsi raro in terris spectaculo, & inter prodigia. Etsi negent unquam *majorem dimidio circulo* apparere Seneca Quæst. Nat. l. 1. c. 6. & Plin. l. II. c. 59. Visum tamen sibi Witebergæ affirmat D. Lutherus, integro orbe. Qualis, cum Apollonia reversus urbem ingrederetur Augustus, *circulus ad speciem cœlestis arcus orbem Solis ambiit, liquido ac puro sereno*, Sueton. in Augusto. Sed ille *halo* fuit, Latinis *corona* dictus, ut habet Seneca l. cit. cap. 2. aut quomodo Sp. Posthumio Paulo & P. Mutio Scævola Cos. *Arcus interdiu sereno cœlo super ædem Saturni in foro Romano intentus*, Jul. Obseq. Lycosthenis cap. 66. Noctu quoque videri & a Luna fieri cum pleno orbe est, consentiunt, vide Apulejum & Aristotelem de Mundo, ubi definitur ἔμφασις ἡλίκ ἰμήματος ἢ σελήνης. Colores descripsit Capella modo tres, alii quatuor, ut Alcimus Avitus l. IV. v. 634.

Purpureum de nube trahit, de Sole coruscum,
De cœlo rutilum, de terra sumit & atrum.

Plures quidam, ut Ammian. Marcellin. l. XX. extremo.

Hic

Hic ipse signum fuit Christi. *Verus enim atque unus firmati fœderis arcus Ille Deum atque homines inter*, Alcimus l. cit. ℣. 643. ubi vide & confer D. Walther. l. c. &c. Ut & mox in deserto columna illa nubis, de qua Idem Alcimus lib. V. ℣. 433.

— *Qualis solem madidus cum viderit arcus;*
Tanta fuit pulchræ species oblonga columnæ.

Vide plura lib. VI.

CAP. XLV.

Lachrymæ electorum in Sacco Dei, & Fasciculus viventium.

DUlcissima est imago illa Dei, quam pingit David Psalm. LVI. *Pone lachrymas in utre tuo; an non in commentario, in rationibus, in numerato tibi?* Zehle meine Thränen in deinen Sack: ohne Zweiffel zehlestu sie. Vulgatus aliter: *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, sicut est in repromissione tua*, id est: *vidisti, exaudivisti*, Hieron. August. &c. Cur lachrymæ in utre? an quia pretiosæ quasi *gemmæ & margarita*, qualia in mantica ante se inque conspectu suo fert institor aut mango aliquis gemmarius, subinde cum studio recensens? *Providentia Dei est mantica, in quam conjicit Deus omnes nostras curas & lachrymas: quam non habet a tergo pendentem, sed a fronte præsentem*, ait Bartholom. Coppen. in Psalm. l. c. Certe *peccata* suorum projicit post tergum Deus, Esai. XXXVIII. 17. *lachrymas* vero ponit ante oculos suos. Suavissima meditatio. Et facit ad rem, quod in somniis

Οἱ Μάργαροι δηλοῦσι δακρύων ῥοόν.
Margaritæ significant lachrymarum flumen.

Astram-

Astrampsychus in Onirocrit. An vero quia hic oculorum nostrorum *census & tributum?* adferebantur illa sacculis aut fiscis condita, & summa in *rationario Imperii* referebatur, quale manu sua perscripserat Augustus, Sueton. cap. XXVIII. *Opes publicæ continebantur, tributa, vectigalia*, &c. Tacit. 1. Annal. cap. 11. Ea *Hippocomi* adferebant in solitis sacculis, lib. XII. Cod. de Cursu Publ.

Muli gravati sarcinis ibant duo,
Unus ferebat fiscos cum pecunia, &c.

Phædrus fab. 38. ubi vide Cl. Rittershus. Habet Deus autem noster quoque suos *Hippocomos*, de quibus Zachariæ cap. I. 10. An, quæ vulgata ratio est, quia *lachrymæ vinum* q. *& lac Dei & Angelorum?* Talia enim in utribus servata & gestata, quin & numerata: unde vetus illa superstitio, ut *quum primam vini urnam in culleum inderent, dicerent: multa.* Numerum enim palam proferre religio erat, *ne quis malus invidere posset*, ut Catullus ait, & docet ad eum Scalig. ad Epigramma 5. Certe vocabulum נאר, quo David usus, in S. literis sexies positum, ut observat Avenarius, semper ἀσκὸν ejusmodi significat, quo infumato prius & torrefacto recondi vinum, lac, oleum & id genus solebant: & hodieque in talibus utriculis venum deportari solent lac, butyrum & alia ab Asiaticis pastoribus, ut Bellonius refert. Antiquissimi in conviviis *utres vini primo: postea Tinas* ponebant, Varro apud Non. Marcell. in cupa. *Tales Pilascæ vasa vinaria ex corio*, Isid. glossæ: vel *Flascæ a Græco vocabulo dictæ*, Idem in Etymolog. l. XX. cap. 6. vide Judic. IV. 19. 1. Sam. XVI. 4. Matth. IX. 17. &c. De tali utre extat Symposii ænigma, 72.

Non ego continuo morior cum spiritus exit:
Nam

Nam redit assidue quamvis & sæpe recedat.
Nunc mihi magna meæ est animæ, nunc nulla facultas.

Sed venustius est illud Pselli, quod ex Græco obiter verto

Collum quidem mihi est, caput non est tamen:
Sum quadrupes, nec unicus pes est mihi:
Spiroque mortuus, sed ossibus carens.

Referrem ad eandem Metaphoram *fasciculum illum viventium*; de quo 1. Sam. XXV. 29. Res enim magni pretii diligenter colligare solemus, ne nobis excidant, ut ait ibidem P. Martyr: Et sane vocabulum quod ibi est, צרור *Zeror* nonnunquam loculum aut marsupium significat, ut Genes. XLII. 35. Hagg. I. 6. Sed veteres de fasciculo florum, apud Cornel. a Lap. aut potius viviradicum videntur accepisse, quod venustissimum sane est. Historia Scholastica de eo loco sic habet: *Erit anima tua custodita quasi in fasciculo viventium. Hebræus habet: in vinculo vitæ, id est, in collegio Sanctorum.* [Non male: nam *Zeror* LXX. συνδεσμὸν vertunt, & Hebræi putant ita dici *Solium Majestatis*, sub quo animas justorum ajunt in altero seculo quiescere. Hinc est etiam ut passim tumbis suis insculpant hanc sententiam: *Sit anima ejus colligata in fasciculo viventium*, Ita Munsterius in 1. Sam. l. cit. pergit vero Comestor historicus Scholasticus.] *Alia Litera habet: in fasciculo vitium*, q. d. *Sic custodiet Deus animam tuam ad multiplicandum; sicut fasciculus vitium custoditur in aqua ad transplantandum.* Nam qui vineam malleolis aut viviradicibus conserere volebant, cavebant ne semina succum amitterent, aut exaresceren, qua de re Columella l. III. sæpius.

CAP. XLVI.

Servitus Peccati & Manumißio Renatorum, &c.

DIem Viridium, seu Cœnæ Dominicæ, sic inter alia commendat Auctor & antiquus & eruditus libri de Cardinalib. Christi operibus, qui inter Cypriani opera reperitur: *Hodie patent carceres & damnati libertate donantur*, Serm. de Unct. Chrism. Solebant enim Christiani judices iis diebus, quibus æternam libertatem recuperavimus, *in Pietatis*, ut loquar cum Cassiodoro l. XI. var. Epist. 40. *domicilium deflectere*, & præfectis carcerum imperare, *ut reos de Averno suo victuros emittant, quo cella illa gemituum, tristitiæ domus, apud Superos Plutonis hospitium, locus perpetua nocte cœcatus, tandem infusione lucis albescat.* Et id quidem non modo *More* veteri Judæorum de quo Matth. XXVII. 15. sed & *Jure*, ut ait Cassiod. l. c. *ut ad Redemtorem omnium remissionis itinere pervenirent, aliisque remittendo sibi parcerent.* Quamquam nunc quidem nec laudem, nec vituperem. Pie factum nemo negabit, quod iis temporibus vinctis data libertas est, nisi si quos lex *pietatis gratia* non relaxaret, *ne asperrima facinora levigaret*, quibus fidelium una vox, unus jubilatus est: *Dirupisti vincula mea!* Psal. CXVI. 7. *Dirupisti!* ut non solvi sed dirumpi mos fuit, si quis injuste captus esset, cujus Josephus meminit l. V. de Bello c. 12. & exinde quoque Egesippus, ut & apud Durant. Casell. l. 2. variar. cap. 13. legere est. Injusta autem & Tyrannica est peccati in nos potestas, *βίᾳ καὶ τυραννίδι nos in vinculis habet, ut inviti quodammodo & nolentes peccemus*, ut Dorotheus Doctrin. 1. de Renunc. ex Rom. VII. 19. scripsit, nempe *propter irregenitorum*

[quam

[quam tamen & renati quodammodo adhuc sentiunt, unde luctа & luctus Rom. VII. 24. Gal. V. 17.] *necessitatem peccandi*, quam *immutabilitatis* vocant, ex dominio peccati ortam; quæ Libertatem arbitrii non tollit, D. Gerhard. de l. . Arb. §. 60. D. Meisn. Anthrop. Dec. III. disp. 1. quæst. 8. unde Chrysostomus verbis non sensu contrarius, peccati potestatem ex Rom. VI. 12. *regiam* esse dixit, quia peccemus ὑ βίᾳ ϗ ἀνάγκῃ puta *coactionis*, sed voluntarie. hom. XI. in Epist. ad Rom. *O miserabilis servitus!* exclamat Augustinus tract. 41. in Johann.

Qua mens carnalis, nimium dominante Tyranno,
Tot servit sceptris, dedita quot vitiis!

Prosper in epigramm. Gratia sit Patrono nostro unico Jesu Christo, qui vincula nostra injusta dirupit! Jer. XXX. 8. vide Levit. XXVI. 13. Psalm. CVII. 14. & ut *Filius* æterni Patris nos manumisit, Joh VIII. 34. non quidem *censu nostro*, sed *Testamento & festuca sua crucis*, inflicta quasi gravi Mosis manu *alapa* Ex. XVII. 12. & seria conversione *circumactos*, de quibus ritibus vide Alex. ab Alex. l. IV. Genial. cap. 10. Fit ista manumissio quotidie *in Ecclesia*, Cod. de his qui in Eccl. manum. ubi Dominus & Patronus noster *manu* sua capiti peccatoris resipiscentis *imposita*. Apoc. I. 17. *hunc*, ait, *hominem liberum esse volo*, Luc. VII. 48. at *prætor* & judex Spir. Sanctus Joh. XVI. 8. *vindicta* crucis leniter caput tangens; *ajo Te*, inquit, *liberum jure & more Cœli Quiritium!* Tunc refertur *nomen in acta*, Rævard. l. 1. varior. c. 9. Luc. X. 20. Peccati servus *natalibus restitutus fit ingenuus*, id est, servus Dei, nam *Deo parere libertas est*. Seneca de Beata V. cap. 15. *caput raditur*, Plaut. Amphitr. Scen. 1. act. 1. quod fit per quotidianam renovationem, ut docet Paulin. epist. IV. ad Sever. *Pileus capiti imponitur* Plaut. l. c. Esai. LXII. 3. *jus aureorum anulorum*

confertur Lipſ. in XIII. Annal. Novell. 78. &c. denique *Patroni hæreditatem adire jus & fas eſt.* Inſtit. l. 1. Tit. 6. §. 2. vide Luc. XV. 22. Epheſ. I. 13. 14. Rom. VIII. 15. 17. Sic enim, puto, libertas aut manumiſſio Chriſtiana cum Romana non inſuaviter comparari poterit. Noſtrum erit, tenere tam ingens bonum, & cavere ne bis ad eundem offendamus ſcopulum. *Nam & pecora ipſa vitare norunt, quæ ſe læſiſſe cognoſcunt: itinera illa non repetunt, ubi in foveam corruerunt:* ut ait Caſſiod. l. c. apud quem alia ejus generis plura legas.

CAP. XLVII.

Eccleſia Roſa inter Spinas.

FLoralia celebrabimus, ſed ſacra! *Sicut roſa inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*, ait Filius Dei Cant. II. 2. Vox *Soſannath*, unde *Suſam*, ut *Rhodon* a roſis, *Florentiam* a floribus dictam certum; an roſam ſignificet, an lilium, Grammaticis diſceptandum relinquo. Id agere inſtitui, ut demonſtrem, quicquid ferme de roſa jucundum legatur, Eccleſiæ ad unguem convenire. Si ortum ſpectes, roſa Veneris flos eſt, non τῆς Παυδήμε ſed Uraniæ, - *cui Dædala flores ſubmittit tellus.* Lucret. l. 1. princ.

Ipſa juſſit, mane ut udæ virgines nubant roſæ,
Fuſæ aprino de cruore, deque amoris oſculis,

Catull. in pervigil. natam enim fingunt roſam,

Dum Dea commendat felicibus oſcula glebis;

Acidal. in Roſa; & purpuratam ejus ſanguine, cum Adonidi opitulatura nudos pedes ſpinis roſeti cruentaſſet, Aphthonius eleganter exponit fabellam in Progymnaſm. Denique totus μακαρῶν θεῶν ὅμιλος *cœtus Deorum immorta-*

mortalium operam contulit, ut nasceretur, affuso quisque nectaris sui poculo, idque eodem tempore, quo Venus amorum mater mari, & Minerva sapientiæ Præsul e Jovis capite emersit, juxta Anacreont. Jam ut *Amor* ortum dedit, ita *Gratia* servat. Elide in foro templum fuit & simulachrum Gratiarum, quibus corpus e candidissimo marmore, vestitus fuit aureus, prima gestabat rosam, altera talum, tertia myrti ramum. De nobilitate & pulchritudine quid dicam? Si floribus Jupiter regem dare vellet, rosam daret, ut cecinit Sappho: Est enim

Rosa honor, decusque florum,
Rosa cura amorque veris,
Rosa cœlitum voluptas! Anacreon.

Odor præcipuus est.

Quicquid nudus Arabs metit in bene olentibus arvis,
Imbellesque Syri, quicquid Gangeticus ales
Congerit in nidum, suavi rosa vincit odore.

Passerat. de rosa. Ingenium mirum: nam translata fit grandior, odore tamen & specie inferiori. Tales Philippis *Centifoliæ* tralatitiæ e vicino Panchæo monte, teste Theophrasto. Cupido, cum lasciviens alis nectareum calicem evertisset, effuso eo in rosarium, odoris auctor fuit. Auctor Geoponic. Cæpis adjuncta fit odoratior. Pallescit afflatu sulphuris. Efficacia summa, ut si quis Medicis adimeret, vel ex anno sit sublaturus, imo solem e cœlo! Amant apes; odore necat scarabæos, nempe e stercore nascentes, inque eo vitulantes. Radix, auctore Democrito, torquis modo aptata collo, contra venena scorpionum & serpentum amuleto est. Ros inhærens pinna munda lectus, lippitudini medetur, & si quis oculos tribus nascentis rosæ alabastrulis detergat, in

rubo tamen relinquens, oculorum dolores, ut prodit Zoroaster, toto eo anno non sentit. Quid multa?

Sumta rosa humanam juveni cum voce figuram
Reddidit, in turpem fuerat qui versus asellum,

Passerat. ex Lucian. & Apul. fabula aurea.

Vis ἀπόδοσιν audire? Ecclesiam amor & sapientia produxit, tota Deitas nectare sui Spiritus rigavit, Christus sanguine suo purpuravit, felici osculo Cant. I. 1. in florem induit, ut esset bonus odor fecit, gratia servavit,

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Quem mulcent aurae, firmat Sol, educat imber!

Quid odor? nonne per orbem diffunditur? Quid indoles? *multiplicatis fidei populis, fides imminuta est, & crescentibus filiis suis mater ægrotavit.* Salvian. l. 1. contr. Avarit. Cetera quoque non adeo obscura sunt, ut Delio natatore opus sit. *Cepæ* sunt Tyrannicæ persecutiones; *sulphura*, falsæ doctrinæ, ut Apoc. IX. 2. *apes*, boni: scarabæi, Epicuri de grege porci: *Ros* verbum, & *radix* timor Dei Deut. XXXII. 2. Sir. I. 25. Denique omnes hominum cœtus, Judæorum, Gentilium, omnium, cedunt Ecclesiæ.

Puniceis humilis quantum Saliunca rosetis,

Qui contulerit, idem *rosæ anemonem*, aut *spinis Paliurон acutis.* Nascitur quidem inter spinas, sed *armat spina rosas*, ut ait Claudian. non lædit, vereque dixerit, ex hist. Apollonii Tyrii antiqua, Ecclesia:

Per sordes gradior, sed sordium conscia non sum:
Sic rosa de spinis nescit violarier ullis.

Si ergo magni fit rosa a Pont. Rom. quotannis Christiano, Principi donata, Platina in Vit. Pont. p. m. 271.

Si

Si Turcæ humi jacere non ſinunt, natam ex Muhammedis ſui ſudore perſuaſi, Busbeq. Epiſt. 1. Quanti facienda nobis hæc roſa eſt? a Chriſto donata? ſudore ejus cruoreque procreata? Et ſunt tamen qui cum Mindyride Sybarita queruntur, *ſe in duplicatis roſæ foliis infeliciter ac inſuaviter cubare.* Seneca de Ira l. II. c. 25. Heu! quam vereor, ne ſinat Deus in ſteriliſſimis noſtris rubetis, alibi renaſcituram defloreſcere, ut etiam

Exiguo durat roſa tempore, quam modo quærens
Eſſe rubum invenies, quæ fuit ante roſa.

CAP. XLVIII.

Animalia immolabilia.

DE quibus aliquid paucis dicendum. Nam qui caput 1. Levitici enarrant, pluribus exſequi ſolent. Adfero autem tantum, ex Philonis de victimis libello, unicum locum paucis illuſtrandum. Sic ille orditur: *Animalia quæ in Sacris mactari ſolent, aut terreſtria ſunt, aut volucria.* Habes ſpecies immolabilium animalium. *Cur de piſcibus ſacrificium ſibi noluerit fieri Deus?* cauſam interrogati interpretes, reſpondent: Deum noluiſſe ſibi immolari peregrina, paratu difficilia, quæ non eſſent in immolantium poteſtate, quæ viva raro & vix ſine negotio Deo ſiſti ac a Sacerdotibus mactari poſſent. Non nemo putat ad innocentiam piſcium reſpexiſſe, alii ad ignaviam, aut ἐχεμυθίαν, vult enim Deus cordis & linguæ ſacrificium, qui ſacra ſua noluit eſſe muta ſpectacula, tacitas cerimonias. Iisdem de cauſis *Pythagoras a piſcibus abſtinuit, ſuosq; abſtinere* juſſit, Plutarch. in Sympoſ. l. VIII. q. 8. ubi Sylla de Ethnicorum ſacrificiis dixit: ἰχθύων θύσιμον οὐδεὶς, οὐδὲ ἱερεύσιμός ἐστι, *Piſcium nullum immolabilem, nullum ſacrificiis idoneum eſſe.* Quod de

prisco sacrificantium ritu forte intelligendum, nam in universum non esse verum Athenæus multis docuit, vide Stuk. de Sacrific. pag. 47. b. De *speciebus* satis, ad *numerum* venio, de quo Philo pergit. *Volucrium species cum sint innumeræ præteritis ceteris omnibus, duas selegit Moyses Legifer: quoniam columba inter natura mansuetas & gregatim volantes est mitissima, turtur vero inter solitarias cicuratu facillima. Terrestrium quoque innumeris gregibus omissis, tria præcipua secrevit genera, boum, ovium, caprarum, ut mitiora, mansuetioraque.* Ubi duo observare commodum. 1. *Qua de causa sibi tantum ista elegerit animalia Legislator?* Non a vero nimis aberrant, qui dicunt, eo factum quod obvia essent magis, in communi omnium usu, adeoque in promptu. Noluit esse preciosa sua sacrificia, ut consuleret egentibus. Ita & in novo Testamento *in Sacramentalibus speciebus non quæsivit dignitatem, sed aptitudinem*, ut Algerus de Sacram. Euchar. l. III. cap. 4. docet, *nam in suis beneficiis nostram abstulit expensam, ne gravaremur, suam contulit incomparabilem gratiam, ut hilarius juvaremur*, 2. Ibid. Agnovit Zaleucus Locrensium Legislator, ὑ θεος δαπανας, inquit, *Deus non vult coli magno sumtu, sed virtute, & studio bonorum sanctorumque operum.* Hinc.

— — *pauper acerra.*
Principe digna Deo, nostro placitura Tonanti.
Mente litat pura, votis exorat honestis!

ut canit Britannus Poëta, qui Daretis Phrygii historiam carmine reddidit, & sub nomine *Cornelii Nepotis* vendidit l. III. v. 11. de Bello Trojano. Hæc causa non displicet, sed potiorem dat Philo, dum docet; respectum fuisse ad mite & mansuetum ingenium. Mites, humiles, obsequentes, spontaneas hostias vult Deus. Retinuerunt hoc

hoc dogma ex Patrum traditione Ethnici; itaque maximo opere observabant, *ne jugularent victimam, nisi immolata annueret.* Plutarch. Sympos. l. c. unde notatum; *Vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare, sicut nec claudicante, nec aliena hostia Deos placari, nec subtrahente se ab aris.* Plinius l. VIII. cap. 45. Tunc rebantur boni ominis & propitii Numinis indicia præberi, si victima sponte ad aram acceleraret, ictum placide susciperet, sanguinem confertim & uno quasi impetu effunderet. Hæc aliquando infamibus artibus & Diaboli ope procurata variis exemplis constat. Mirentur illi *Jovis capram* in Pedasia, Cariæ urbe, quæ in pompa Sacerdotem per LXX. stadia præcedebat sponte ad sacrificii locum, ut neque a spectatorum turba perturbaretur, neque a via declinaret, referente Aristotele in Mirabilib. circa fin. Nos mirabimur potius obsequentissimam Filii Dei voluntatem, per quam sanctificati sumus Hebr. X. 10. qui pro nobis oblatus est, quia voluit. Esai. LIII. 6. *Ecce*, inquit, *venio!* Psalm. XL. 7. Talem enim decebat pro humano genere tradi hostiam, nam & hic ἱλαρὸν δότην hilarem datorem, ut semper, dilexit Deus 2. Cor. IX. 7. qui in omni cultu suo, nil aliud magis considerat, quam colentium voluntatem.

Hæc facit ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat cæso non minus agna bove!

Ovid. III. de Ponto Eleg. 4. Prædicent illi & ebuccinent *bovem Chthoniæ* Hermionensis, quem cum ne decem quidem Palæstritæ potuissent adducere, vetula una cornibus exarmento ad aram traxerit sponte sequentem. Ælianus lib. XI. de animal cap. 4. Nam *bovem Tarentinum* quem Pythagoras ex efferatissimo insusurratis aliquot verbis, mansuetissimum reddidit, ut fabacea segete deinceps abstineret, &c. vide Politiani Læmiam; *Oves* quoque *Ve-*

neris Ericynæ lubens taceo, quæ se sponte ad ejus aram sistebant, pro voto sacrificantis, Ælian. l. X. c. 50. [quis enim oves miretur ad Veneris aram advolantes ? quas quotidie videmus ob oculos ambulantes. *Secutus est eam statim quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus*, ait de ejusmodi Salomon, Proverb. VII. 22. ubi LXX. sequutus est κεπφωθεὶς *in morem Cephi*, quæ est avis, ex fulicarum genere libidinosissima, spumis inhians, adeo stulta, ut sæpe piscatorum pueri manu capiant. Suidas & Didymus in Catena in Proverb. l. c.] Hæc in cœlum ferant Mirionesisti, quos Deus hujus seculi suis præstigiis excœcavit. Nos mirabimur oblationem Gentium acceptabilem ! Rom. XV. 16. & opus illud, ut docet Apostolus ibid. *divini verbi prædicationis* ἱερουργικὸν *Sacrificale*, Origen. ibid. l. X. Comm. quo *per machæram Evangelii*, ut ait Chrysostomus, ibid. hom. 29. ex Hebr. IV. 12. *Deo immolantur homines, ut mortui peccato & mundo vivant Deo !* Deus enim *non desiderat victimam, neque muti animalis, neque mortis ac sanguinis, sed hominis & vitæ.* Lactant. VI. cap. 24. Nos mirabimur vos, ô Apostolici sacerdotes ! Nam *quoties jugum legis cervicibus superbientium pervincula prædicationis adstringitis, tunc Tauros Deo spiritualiter immolatis. Quoties conscientiæ luxuriantis fœtore pollutos ad suaveolentiam pudicitiæ stimulis correctionis impellitis, hircorum vos obtulisse virulentiam Christus sibi computat &c.* Sidonis Apollin. l. VIII. epist. 14. hoc primum erat observandum. 2. *Quam longe a prima Dei institutione desciverint Gentiles ?* Nam ii & feras crudelesque bestias, aliaque immunda soliti sunt immolare, ut lupum Marti, cervam Dianæ, equum Soli, asinum Priapo, aprum Apollini Epicurio, canem Pani & aliis. Notum est Proverbium, *de Carica victima*, nam Cares canis exta offerebant Djs suis, quo quid fœdius ? abominabilius ? Denique Sus olim dicebatur θύτης a θύειν sacrificare, quia

a suil-

a ſuillo genere pecoris immolandi initium ſumptum videtur, ut ait Varro de re Ruſt. quod tamen falſum eſſe ex lege Dei, & profanarum gentium æmulatione conſtat.

Superſunt animalium immolabilium *requiſita*, de quibus Philo ſic ait: *Requiruntur autem hæc omnia integra, illæſa partibus omnibus, & maculis etiam nævisque carentia. Tanta enim cautela utuntur, in hoc negocio, & qui offerunt victimas, & ipſi Sacrifici, ut probatiſſimi ſacerdotum peritiſſimique ab extremis pedibus exorſi per totum corpus inquirant quæ ſunt conſpicua, ne ventre feminibusve celetur vel minima labecula. Adhibetur autem hæc cura non propter victimas, ſed ut ſine omni culpa ſint, qui eas mactandas offerunt. Submonentur enim his Symbolis, ut quoties accedunt altaria, vel nuncupaturi vota vel reddituri, nullum vitium, nullumque morbum afferant in anima, ſed conentur omnino nitidam & immaculatam in conſpectum Dei producere, ne viſam averſetur.* Hæc ille, notatu digna, 1. de ipſis *requiſitis*: De quibus Lev. XXII. 21. ubi docetur, quod animalia victimalia primo quidem generatim debuerint eſſe ſine *omni macula*, quæ in fonte dicitur מוּם *Mum*, unde μῶμος, quo vocabulo Græci ſæpe illud exprimunt, ut Lev. XXI. 17. 18. verſibus. Ne autem quis putet, omnia diverſicoloria animalia, quæ ſunt *maculoſo tegmine* - excluſa, & ſola unicoloria ſacrificiis apta fuiſſe, confeſtim, de quibus maculis, ſeu vitiis in ſpecie ſe velit intelligi, adjecit Legislator, nempe non eſſe ἄμωμον, ac ideo ad ſacrificia inidoneum, ſi quod eſſet cæcum, claudum, confractum, ſciſſum, verrucoſum, impetiginoſum, ſcabioſum, cauda aureve mutilum, exſectum, & ad generationem ineptum, &c. de quibus videndus Munſterus in Levit. l. c. aliisque Interpp. Nempe *hoſtiam, vivam, ſanctam, Deoque acceptam offerendam* eſſe monebat Rom. XII. 1. Ac eadem fere requiſita victimarum fuiſſe apud Gentes poſtea, vel ſola vocabula, quod iſtæ

istæ dictæ fuerint *Egregiæ, & Eximiæ*, indicaverint, de quibus vide Festum: Hinc Lex sacerdotum: *Quæ quoiq; Divo gratæ decoraq; sint hostiæ providento!* Sed & illud in Philonis loco observandum, 2. *de Cautione & examinatione* in eligendis hostiis. Nec dubito quin respexerit eo Apostolus cum juberet, ad sacram Domini mensam accessuros, seque Deo in obsequium oblaturos, prius sese probare & διακρίνειν, *dijudicare*, 1. Cor. XI. 28. 31. quod alias verbum est sacrificale, ut apud Apollonium ἐνκρίνειν, & apud Homerum ἀπακρίνειν. Denique quod 3. *de fine* hujus cautelæ annotat, verum & rectæ rationi quoque consentaneum est, unde *lustrationes* ante sacrificia & *sanctificationes*, quæ etiam ante legem observatæ, ut ex historia Jobi constat cap. I. 5. mos etiam *excommunicandi ac sacris interdicendi* vulgatissimus, *-- procul hinc procul ite nocentes! -- claudatur porta profanis!* Sic apud Gratium de Venatione, *-- procul hinc extorribus ire*

Edito præsente Deo, præsentibus aris,
Queis scelus aut manibus sumtum aut in pectore motum est.

Sed hic finis quasi secundarius est, primario autem indicabatur sacrificium Salvatoris sanctissimum, & immaculatissimum Esai. LIII. 9. 1. Corinth. I. 30. 2. Corinth. V. 21. &c. Supergressus est seculi sui suamque nativam ingenii vecordiam, qui cecinit:

Casta placent superis, pura cum mente venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam!

Quanto magis danda nobis Christianis opera est, ut partam Christi sanguine, donatamque salutari lavacro munditiem tueamur, qui Sacerdotes facti sumus Deo & Patri nostro, ut nos ipsos immolemus in odorem suavitatis! Id quod, ne sine symbola & symbolo discedamus, monebit natura

natura magistra *Mus Armelinus*; Est ille candidissimæ & ideo pretiosissimæ pellis, animal de mustellarum genere, tantum in extrema cauda nonnihil nigricantium pilorum habet, veteres *Murem album aut Ponticum* dixisse videntur. Tantum illi tuendæ munditiei studium, ut si venator cubile investigatum luto fimoque circumdederit, mori, nedum capi, velit potius, quam pedes pollui. Visitur ejus imago Neapoli, supra portam Castelli novi, fuit enim pro symbolo Ferdinando, Alphonsi Filio, Arragonum & Neapolis Regi, unde & Petrarcha epigrammate celebravit. Vide Camerarii Cent. II. Emblem. 81. Ita etsi nemo sit adeo integer, mortalisque contagii purus, ut non aliqua parte nigricet, nam

-- vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est,
Qui minimis urgetur;

Innocentiæ tamen puræque conscientiæ major quam vitæ habenda est ratio. ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι, ait ille apud Sophoclem, in Ajace. *-- aut mors, aut vita decora!* Otthonis M. Imp. Symbolum fuit.

CAP. XLIX.

Asinus panibus coronatus.

Cibaria & virga, & onus asino! Sirach. c. XXXIII. 25. Cibaria χορτάσμασι pabula fœni, hæc enim asinorum deliciæ, stramenta, ajunt proverbio, malit asinus quam aurum. Romæ *Vacunalibus* in honorem Vestæ asini coronabantur panibus, quod asinus rugitu suo Deam excitasset, cum Priapus contra æternam ejus pudicitiam obscœnam spem capiens, noctu nefas moliretur. Hinc illa,

Ecce coronatis panis dependet asellis
Et velant scabras florida serta molas.

&

& iterum deinceps:

Quem Tu Diva memor de pane monilibus ornas,
Cessat opus, vacuæ conticuere molæ.

Ovid. VI. Fastor. Sed & Deus noster ipse asinos aliquando voluit feriari. Deut. V. 14. Qui & bovi aratori vetuit os obturari, in tritura, Deut. XXV. 4. At at! *nunquid de bobus, de asinis cura Deo?* nunquid non majori curæ ei asini illi, quibus Christus inequitat? Date veniam o servi Dei, quotquot in Ecclesiastico aut Scholastico pistrino desudascitis! Qui vos contumelia affecerit, dignus est, qui ex Apulei pyxide gustet, ut fiat avis *asinus* juxta Proverbium: cumque rosas vestras odisse oporteat, nemo eum superum aut hominum *exungulare* vel ausit vel possit! Tamen vere dixerim vos *asinissimos esse asinos.* Est enim asinus non modo *patientiæ & laboris exemplar*; unde cum Heraclides Lycius Ptolomæo Regi obtulisset πόϱϱ ἐγκώμιον, jussit ille scribi sublata prima literula, ὄνϱ: Sed & *disciplinæ* apud Hebræos *typus* apud Aldrovand. notusque vobis *Asinus ille Ammonii* Scholasticus, Magni Origenis condiscipulus, qui cum scholas Philosophicas & Poëticas frequentavit, tam diligens & assiduus, ut & pabuli sæpe oblitum ferant. Nec Cleanthes Ὄνϱ cognomen erubuit, *asinus*, inquit *sum*, *sed qui Zenoniam portare possim sarcinam.* Quid David ipse! nonne se *asinum* Dei professus est? Psalm. LXXIII. 22. Quam celebris illa in Vitis Patrum boni senis vox: *Ego & asinus unum sumus!* Ea lege in ordinem hunc receptos vos putate, qua Jacobonus a Fratribus Francisci: *Si inter nos vis vivere, asinus fias oportet, ut quasi asinus inter asinos degas?* Sensit ille vim dicti, & quasi cum asinina pelle ingenium quoque asini induisset, manibus pedibusque reptans; *En*, inquit, *fratres, asinus sum, asinum inter asinos admittite!* refert in Sirac. l. c. Corn. a Lap. Denique ne diu-

diutius vos morer, conveniunt quoque cetera, Onus & virga! Intellexit magni nominis Theologus ille, qui concionatori cuidam recens ordinato his gratulatus est: *Gaudeo te factum Christi asinum. O quantis plagis & verberibus exagitabitur hic asinus!* apud D. Bak. ex Herbergero Dom. 1. Adv. *at ubi cibaria?* ô inficetum seculum! Equi Diaboli omnia præcerpunt, fitque quod dici solet: *ignavissimi equi optima avena Saginantur!* At si vel maxime mererentur, tamen asellis aridum fœni manipulum negare quæ invidia? Quanto æquiores Romani, qui in *Consuabibus equos* coronabant, *sed non sine asinis!* Agite, agite ô magni Patres familias, Ecclesiæ nutricii, date asinis Dei & pabuli, quod satis sit, & aliquid otii. Sua enim & Musis Vacunalia sunt.

-- -- Grajo Schola nomine dicta est,
Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis,

ut est apud Ausonium. Denique si grati estis etiam mortuis, qua licet & fas est, rependite aliquam gratiam. Naupliaci asinum lapideum dedicaverunt in perennem memoriam, quod beneficium putationis vitium ab asino didicissent. Natal. Com. l. V. c. 13. ex Pausan. Corinth. unde & apud Romanos, ut in numis, in tricliniis & alibi videre est, frequens emblema, *capita asinorum inter pampinos.* Addamne & cœlum meruisse asellum Sileni, quod Gigantes, inclinata jam Deorum acie, Panico metu rudens in fugam conjecerit? sed hæc vel

--- loquacem delassare valent Fabium!

SACRORUM ANALECTORUM

LIBER VI. PROBLEMATICUS,

CAP. I.

An Moses Primus Literarum inventor, & primi Libri Scriptor?

AFfirmamus ratione, inductione, testimonio. *Rationem* præbet Mosis antiquitas. Tertullianus in Apologet. adv. Gentes: *Si quem audistis interim Moysen, Argivo Inacho par est ætate: Quadringentis pene annis, nam & septem minus, Danaum, & ipsum apud vos vetustissimum, prævenit: mille circiter cladem Priami antecedit. Possem etiam dicere quingentis amplius & Homerum, habens quos sequar*, cap. 19. *Multo antiquior Moyses etiam Saturno nongentis circiter annis, nedum pronepotibus ejus*, idem de Anima cap. 28. Lactantius itidem asserit, Trojanum bellum *nongentis fere annis*, Moysen *antecessisse*, l. IV. cap. 5. Secutus non Porphyrium, ut Thomasius putavit, sed Tertullianum, & quos ille? Puto inprimis Ptolemæum Mendesium, ex quo Apion Grammaticus cognomento Plistonices, & hinc Tatianus, ac Clemens Stromat. 1. docuerunt *Mosen tempore Inachi floruisse, a quo usque ad Agamemnonem Trojæ eversorem Argivorum viginti Reges numerentur.* Vide Josephum contra Apion. Eusebium de Præpar. & in Chronico, &c.

Qui

Qui calculos accuratius posuerunt, Trojæ Halosin retulerunt in annum *ante Christum cIↃ C. XXXII.* ut Salianus, aut IV. ut Petavius, &c. Fuit is a morte Mosis *CC. LXXXVIII.* Anno *ante Christum M. CCC. XXX.* regnabat in Latio Janus, ad quem profugus venit Saturnus, id est, anno post obitum Mosis. C. XL. Verissime igitur affirmarunt doctores nostri, Mosen omnibus Græcorum non modo sapientibus, sed & Diis ipsis fuisse antiquiorem. Sed neque ullus alibi Gentium nominari potest Scriptor, qui Mosis ætatem præverterit. Non *Thaautus* Ægyptiorum, quem Mercurium Trismegistum vocaverunt, *eo quippe tempore, quo Moses natus est, fuisse reperitur Atlas, ille magnus Astrologus, Promethei frater, maternus avus Mercurii majoris, cujus nepos fuit Trismegistus iste Mercurius*, Augustin. l. XVIII. de C. Dei cap. 39. Non *Sanchoniathon*, qui Judaicam historiam scripsisse, & dedicasse fertur *Abelbalo Regi Berytio*, Theodoret. ex Porphyrio, serm. 2. de Cur. Græc. affect. *Abelbal* porro, aut *Abibalus Hirami*, Salomonis nostri amici, *pater fuit*, ut ex Menandro Ephesio de Tyri Regibus ostensum a Josepho l. contra Apion. Et quas ille Judæorum res scripsisset ante Mosen? Quæ de columnis inscriptis [ut illis *Sethianorum* apud Josephum l. I. archelog. cap. 3. quas non minus fabulis deputo, quam illam *Noëticam de Diluvio* fictitii Berosi; aut & iis quæ *Semiramidi*, *Osiridi* & aliis tribuuntur; si vera] traduntur, *ignorabilibus literis* consignatas fuisse putandum est, qualibus Ægyptii olim utebantur, ut mox exponam. Nam quod *librum Henochi*, *librum Justorum*, *de Bellis Domini*, & ipsum *Jobi*, in quo literarum librorumque mentio fit, cap. XIX. 23. forte aliquis objiciat, frustra est. Actum non libet agere: vide Dn. D. Walther. Offic. Bibl. de Libris deperdit. Magorum, Sabæorum, Saracenorum, hæreticorum quisquilias non moror. Scripta ipsa eorumve fragmenta Scriptoris ætatem

tem & Genium loquuntur. *Mali corvi malum sunt ovum.* Venio ad *inductionem.* Literas *Evander* attulit ad Italos Aborigines ex Arcadia, ad quos annis LX. ante Trojæ eversionem, regnante Fauno, adpulit, post Mosis obitum anno CC. XXVIII. *Demaratus* Corinthius multo recentior est, nec in antiquitatis rationibus ponendus. *Cadmus* Agenoris, Thebarum Græcarum conditor, primis Judicum Hebræorum temporibus computatur. Denique quicunque literarum inventores celebrantur, Mose posteriores inveniuntur. *Testimonia* audiamus: omnia in eum tandem conspirabunt. *Alii apud Ægyptios, alii apud Syros repertas volunt: utique in Græciam intulisse e Phœnice Cadmum sedecim numero. Anticlides in Ægypto invenisse quendam nomine Menona tradit, XV. annis ante Phoroneum, antiquissimum Græciæ Regem. E diverso Epigenes apud Babylonios Is. CC. XX. M. annorum observationes siderum coctilibus lateculis inscriptas docet,* ut habet Plin. l. VII. cap. 56. *Ex quo,* inquit, *apparet æternus Literarum usus: in Latium attulerunt Pelasgi.* Tacitus vero: *Primi per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant. Et literarum semet inventores perhibent. Inde Phœnicas intulisse Græcæ: Cadmum classe Phœnicum vectum rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus auctorem fuisse. Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum* &c. *At in Italia Ethrusci ab Corinthio Demarato, Aborigenes Arcade ab Evandro didicerunt,* Annal. lib. XI. Multa in his manifeste falsa, omnia tamen eo redeunt vel Phœnicas vel Ægyptios esse literarum patres. De Phœnicibus Curtius: *Si famæ creditur, hæc gens literas prima aut docuit, aut didicit:* & Lucanus,

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Ægy-

Ægyptii certant. Lis facile componi potest. Phœnices a *Musis* accepisse gloriatos scribit Diodorus Siculus. Ægyptii ferunt, apud se inveniſſe *Thot*, Mercurium vocant, *Misoris filium*. *Herculem Nili filium* in Phrygiam attuliſſe, teſtis eſt Cicero. Sed & *Iſis*, ipſa Inachi filia, Ægyptiis tradidiſſe legitur, Auguſtin. l. cit. Quinam vero illi Mercurius Miſoris, & Hercules Nili? *Moſes & Joſua* ex Ægypto reduces, unde a Miſraimo & Nilo generati dicebantur. Quæ illa Iſis, artium & ſcientiarum præſes, quænam Muſæ? Ita Diabolus gloriam Filii Dei obſcurabat fabulis, qui in Lege duarum Tabb. conſcribenda illuſtre literarum fecit principium. Nihil igitur certius eo quod Eupolemus de Regibus Judæorum prodidit: *Moſen primum fuiſſe Sapientem, & Grammaticam primum tradidiſſe Judæis, Phœnices accepiſſe a Judæis, Græcos autem a Phœnicibus*, vide Clem. Alex. 1. Stromat. &c. Addo pro Epitheca locum Hygini ex Fab. 277. *Parcæ*, inquit, *Clotho, Lacheſis, Atropos invenerunt literas Græcas ſeptem.* A. B. H. T. I. Y. *Alii dicunt, Mercurium ex gruum volatu, quæ cum volant literas exprimunt. Palamedes autem Nauplii filius invenit æque literas undecim. Simonides quatuor*, ω. ε. ζ. φ. *Siculus Epicharmus duas*, π. & ψ. *Has autem Græcas Mercurius in Ægyptum primus detuliſſe dicitur: ex Ægypto Cadmus in Græciam: quas Evandrus profugus ex Arcadia in Italiam tranſtulit, mater ejus Carmenta in Latinas commutavit num. XV. Apollo in Cithara, ceteras adjecit.* Nihil hic certi, ſani denique nihil. Plura alibi notavi, nunc ad alia: vide locum notabilem Gregor. Naz. in Julian. 1.

CAP. II.

An Nomina dierum a Planetis indita usurpanda sint?

INter hæreses refertur a Philastrio, quod *nomina dierum Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni, a Deo ita fuerint ab origine Mundi, non hominum vana præsumptione nuncupata*; *Dierum enim numerus*, inquit, *primus, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus a DEO est appellatus, non in hac vanitate nuncupationis turpissimæ initio enunciatus aut traditus.* Browniſtæ in Anglia & Belgio, inter alias, causam suæ ab Ecclesia separationis hanc quoque proferunt, quod mos iste profanus non abolitus fuerit. Abolendum suadent vero hæc argumenta 1. *Dei Mandatum: auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum.* Hose. II. 17. &c. 2. *Inventoris probrum:* quis ille fuit? *Hermes Trismegistus* creditus Philastrio, quem ille alibi *Magum* dixit potius *quam Magnum* appellandum, qui *nomina hæc frivola & vanissima* primus confinxerit. Ita Dion lib. XXXVII. Histor. ab *Ægyptiis* fluxisse testatur, *ab Astrolatria Sabæorum* derivat Hottingerus Histor. Orient. l. I. cap. 8. &c. 3. *Numerationis commentum:* nam quæ causa ordinis? quæ ratio appellationis? hæc impia; illa vanissima. *Singulis diebus sui inspectores gubernatoresque Dii deliguntur*, ait Dion. l. cit. Sed quo ordine? 1. *Musico, harmonico*; Nam inter Saturnum & Solem, inter Solem & Lunam, inter Lunam & Martem apparet harmonia diatessaron. 2. *Physico, naturali:* Diei civilis, *qui tempus est, quod fit uno cœli circumactu*, Censorinus de Die Nat. cap. 23. Si quis horas 24. dividat in septem Planetas, exordio facto a Saturno,

turno, qui primus eorum est, deprehendet, primam horam secundi diei Soli, suo præsuli, tertii vero Lunæ deberi; quarti porro Martem, quinti Mercurium, sexti Jovem, septimi Venerem præsidem existere; Ita Dion ex relatu Ægyptiorum. 4. *Priscorum Ecclesiæ Doctorum testimonium.* Audiamus Hilarium Arelatensem: *Cupiditatis depravatio, mandati inimica transgressio, cibi interdicta præsumtio, superstitionis dominatio, erroris impressio, veritatis oblivio, ignorantiæ confusio, Stultitiæ longa persuasio, mortifera idololatriæ consuetudo, in tantum homines excæcaverat, ut Solis, Lunæ, Martis, atque Mercurii, Jovis, Veneris vel Saturni, & diversis elementorum, vel Dæmonum appellationibus dies vocitarent, & luci tenebrarum nomen imponerent: ut sub assidua diei commemoratione, honor falsorum Deorum nunquam ab eorum ore recederet. Quis nostrum tantum habet sollicitudinis circa memoriam Redemtoris?* Hom. 9. in Pascha. vide alia *apud Hornbek. Summ. Controv. l. X.* ubi de Brownistis, & confer *Schickhardi Astroscopium*, ubi optat, ut aliquis Siderum imagines, Ethnicismum respicientes, refingat & in Sacras transformet. Paganismi certe reos se faciunt Poëtæ, quibus mos est,

Ciere surdum Delphica Phœbum specu,
Vocare Musas Numina, &c.

Paulinus ad Auson.

CAP. III.

Vnde nomen Dei Sabaoth?

DIcuntur Creaturæ *Sabaoth* exercitus, aut militia Dei, ut Gen. II, 1. unde inter decem ejus Nomina, *Deus Zebaoth est*, de quo Flacius in Clavi, D. Glass. Gramm. Tract. 1. de Nom. cap. 4. &c. Innuit hoc nomen Creaturarum

turarum 1. *Originem*; a DEO sapientissimo & potentissimo excitas, in Phalangas, cuneos, turmas & globos, in alas, cornua, angulos quasi dispositas esse. Sic exercitus, sic acies ordinata de Duce testatur, qualis ille fuit apud Homerum Menestheus:

Nulla etenim huic similem mortalem protulit atas,
Ordine qui Martis turmas, equitemque locaret.

Legio bene instituta est quasi munitissima civitas, Veget. l. II. cap. 18.

2. *Armorum speciem*, quibus tum se & ordinem suum tueri, cum & Imperatori suo possint obsequi.

Tauro ferire cornu,
Equo ferire calce,
Lepori valere cursu
Natura dat, Leoni
Dentes hiante rictu:
Pisces docet natare,
Aves docet volare,
Prudentiam viris dat.

Anacreon. *Habet & musca splenem, inest & formicæ suæ bilis.* Nullum tam minutum est animal, quin lacessitum cupiat se ulcisci, ajebat ille a mure arrosus, cum manum in caricas misisset. Sic Locustæ & erucæ *Exercitus Dei magnus*, Joël. II. 25. *Piæ Ministræ Vindictæ*, Ambros. l. V. Hexaëm. c. 23.

3. *Multitudinem*: Regi Chinensium LXX. millionnes animarum sub ditione esse scribit Boterus in Amphitheatr. *Res magna*, inquit, *nec creditu facilis, cum Italia non habeat novem, Germania vix plures quam decem, aut si Belgas & Helvetios computaveris, Quindecim: quot & forte Francia: Hispania non tot quot Italia: Anglia tantum tres: Sicilia unum & amplius.* Xerxis numerosissi-

rosissimum exercitum celebrant Græci: *Terram & maria inter se commutata, Solem sagittis obtectum, fluvios defuisse bibentibus, urbes gentesque totas in prandium absumtas*, Aristides Orat. de Concordia Tom. II *Militiæ Dei non est numerus*, Job. XXV. 3. Sub ejus ditione omnes animæ sunt, quas æque facile est numero comprehendere, atque arenas maris, pluviarum guttas, Cœli stellas. Et putat tamen Æneas Platonicus Christianus in suo de Anima Theophrasto: *Si ad decem millia annorum mortalis vita hominibus propagetur, ne sic quidem animas humanas infinitum Angelorum ac Dæmonum numerum exæquaturas.* Ad hæc

4. *Pulcherrimum ordinem.* Nam *ut in exercitu Duces in prima acie fortissimos, minus fortes in extrema, ignavos in media constituunt*; Sic ait Aristides *Deum* θεσπιάν *dedisse Diis, Dæmonibus, Angelis volebat aut debebat dicere* τὰ δ' ἐν πεσ *hominibus: cetera in medio collocasse.* Tom. 1. in Hymno Jovis, &c.

5. *In parendo promtitudinem:* Mittet *fulgura & ibunt, & reverentia dicent:* ADSUMUS! Job. XXXVIII. 35. Idem respondent cetera omnia, quoties numerum & nomina recenset, & in expeditionem mittit. Habet enim in numerato, Esai. XL. 26. Quomodo *in Breviculis* militum nomina continebantur, Isidorus lib. 1. Origin. cap. 23. *Alexander Severus milites suos sic ubique scivit, ut in cubiculo haberet breves, & numerum & tempora militantium*, Lampridius in Alex. Sev. Ergo, Et canit Valer. Flaccus 1. Argon. ℣. 692.

— *Summi ad solium Jovis, omnia circum*
Prona, parata Deo, ventique, imbresque, nivesque,
Fulguraque & tonitrus, & ad hunc in fontibus amnes.

Nam cum tuba bellicum cecinit, milites clangore incensi, alius accingitur gladio, alius clypeum capit, ille se lorica induit;

duit; hic caput galea; ille crura ocreis involvit: ille equum temperat frenis, & loris jugales ad concordiam copulat. Protinus unusquisque competens capessit officium: Velites excursionem adornant, ordinibus Principes curant, equites cornibus prosunt. Ceteri negotia, quæ nacti sunt, agitant. Cum interea unius Ducis imperio cunctus exercitus paret, quem præfecerit, penes quem est summa rerum. Non aliter divinarum & humanarum rerum status regitur, quando uno moderamine contenta omnia pensum sui operis agnoscunt, curaque omnibus occulta, vis nullis oculis obvia, nisi quibus mens lucis suæ aciem intendit, Apulejus de Mundo. Denique

6. *Effectum & finem.* Militant prorsus omnia potentia non modo *activa*, sed *& passiva*, & ut vocant *obedientiali*. Ideo *quotieslibet in seculo videtur quasi contra naturam aliquid evenire, quodammodo non contra naturam est. Quia potissimum rerum Natura creatarum hoc habet eximium, ut a quo est, ejus semper obtemperet jussis*, &c. *Hinc pulchre a quodam Poetarum nostrorum dictum*

— *subditur omnis*
Imperiis Natura tuis, rituque soluto
Transit in adversas, jussu dominante, figuras.

Paschasius Rathbert, de Corp. & Sang. Dom. cap. 2.

CAP. IV.

An dentur Homines Marini?

TErram dedit Deus filiis hominum, Psalm. CXV. 16. Mira opinio fuit Anaximandri Milesii de ortu humani generis; videri sibi *ex aqua terraque calefactis exortos esse sive pisces, sive piscibus similia animalia: in his homines concrevisse, fœtusque ad pubertatem intus retentos,*

tos, tum demum ruptis illis, viros mulieresque, qui se jam alere possent, processisse, apud Censorinum de Die Natal. cap. 4. ubi plura id genus. Confer Fabulam de primo Homine Pisciformi, lib. IV. supra cap. 2. Sed non minus mira *Ludovici Vivis* sententia: *Sunt etiam homines*, inquit, *in mari, sicut in terra: quod pro indubitato est habendum, vivere homines integros in mari, sicut Plinius tradit. Quorum unus captus est ante annos duodecim in Batavia, quem viderunt plurimi. Etenim detentus est supra duos annos mutus, & incipiebat jam fari, quoad ictus bis pestilentia in mare est remissus, gaudens & exiliens. Sed isti quoque ex terrestribus sunt hominibus progeniti. Nam sunt in quibusdam locis maritimis homines maximopere dediti natatui, cui exercitationi adsuefaciunt pueros suos, ut diutissime possint durare sub aquis. Filii horum in aquis pene geniti, nati, educati, habitatione hujusmodi non aliter delectantur quam pisces. Ita quemadmodum alii homines in arido; Sic hi vivunt in mari: cujusmodi esse in illis extremis Oceani Insulis, locis calidissimis, ex iis, quæ relationibus nostrorum hominum accepimus, conjecturare licet. Raphael Volaterranus refert, fuisse in Apulia, ab hinc annos ducentos, juvenem quendam assuetum ab infantia in mari agere. Itaque inter marinas belluas complures dies versabatur, & convivebat illæsus, haut aliter, quam si una esset ex eis. Penetrabat maris intima & remotissima: revertebatur sæpe ad litus, & nautas de futuris tempestatibus præmonebat. Nicolaus primo dicebatur, postea Cola piscis*, hæc ille & alia lib. II. de Veritate Fid. cap. 1. de eodem Cola *vide Alex. ab Alex. l. II. c. 21. Genial. Dier. & de ejusmodi monstris l. III. cap. 8.* Qui argumentum hoc ludicrum, exercitii gratia, vellet tractare, posset his uti rationibus 1. Quia Oceanus omnium pater dicitur, 2. Quia homini etiam in marinas creatu-

ras concessum est dominium. 3. Quia experientia testatur dari Tritones & Nereides, de quibus vide *Münsteri Cosmograph. ex edit. Basil. 1614. lib. 1. cap. 7. Lignarii Oblectam. Acad. c. 40.* &c. 4. Quia visi etiam leguntur Marini Episcopi & Monachi. Scil. ne dubites de ejusmodi hominum salute, *vide Gesner. de Piscib.* 5. Neque hoc divinæ potentiæ impossibile; quæ Jonam in ventre Ceti, & Paulum, in ipsum profundum maris demersum, conservavit: quæ, si credere dignum est, *ad Clementis Romani sepulchrum peregrinantibus mare quotannis pervium olim fecit usque ad fundum, in quod ille anchora collo alligata præcipitatus fertur ad Tauricam Chersonesum*, referente Baronio, ad Ann. Dom. 102. &c. Rides? arrideo, & pro fabulæ condimento appono quod sequitur: *Ævo nostro narrabile est, quod ex vero in has oras literis evulgavit Johannes Vanderhoven; Ulyssipone 4. Febr. anno Dom. 1607. Octobri mense propter Mariam Allocutionis, quæ ab Ulyssipone proxime abest, abscessu maris destitutus est homo Pelagius in litore. Corpus propius erat carnem piscis quam hominis. Unius caudæ descretio fuit, quæ caro humana erat, cute, substantia, mollitie, numeris omnibus. Crura mostello inerant brevia, substricta, & sic cum pectore perpetua, ut coxas requireres. Brachia cruribus æqualia, & a cetero corporis modo fuere aliena. Digiti non homini indecores, aptique unguibus. Barbæ sedem & ciliorum subierant raræ squamæ, paullum elatiores, lineis rectis interstinctæ. Oculis erat mostellum micantibus, ac reliquis suis partibus absolutissimum, naribus, ore, lingua, auribus vultu toto. Porro ex tanta hominis specie impetu perquam laudabili, mulierculæ precibus votisque jacentis animam expiare sunt conatæ.* Ita Dausquejus in l. V. Quinti Calabri. Addit: *hoc viso eorum frangitur pervicacia, quibus quod visa id genus sint invisa, pro fabulis sunt, Tritones,*

tones, Nymphæ, Nereides. Eadem frangitur & Viatorum per Indiam narratibus, qui ad Tomorinum vivos captos, forma non dispari, utriusque sexus homines perseverant, at mulierum ubera lacte distenta. Mirum, ni impetum perquam laudabilem capiant, hos etiam Tritones suis in Liturgiis precibus publicis inserendi, qui purgatorium ignem succendunt!

CAP. V.

An Serpens Deceptor verus? organum Sathanæ.

PAucula colligo obiter, velut ex messe spicilegium. Serpentem Mosaicum Gen. III. 1. quidam crediderunt *non verum* sed *umbram veri & simulachrum* fuisse. Tribuunt cum Pererio Interpp. nonnulli eam opinionem Cyrillo, sed verba ipsa eum absolvunt. *Gnosticorum* fuit: *quod Ialdabaoth, quod interpretantur* Generans *Patres, cum filii ejus Angeli inferiores hominem elaborassent, sed rudem & quasi verm m reptantem, humi jacentem, ex semetipso ediderit similitudinem serpentis, cui Eva quasi Filio Dei crediderit, & qui generi humano scientiam bonorum & malorum contribuerit:* Tertullian. de Præscript. adv. Hæret. cap. 47. Secutus tamen est quoque Alcimus Avitus l. II. v. 121. locum Mosis citatum παραφράζων:

Forte fuit cunctis animalibus altior æstu
Æmulus, arguto qui callet pectore serpens:
Hujus Transgressor de cunctis sumere formam
Eligit, aërium *statim sibi* corpus *adaptans.*

Sed verum fuisse ipsa Mosis comparatio innuit: *Serpens erat callidior omnibus bestiis.* Nam cum comparatio omnis

omnis vel θελικὴ sit, cum medium est in utroque extremo: ut; Sol est Luna clarior: vel ἀναμφελικὴ, cum in neutro: ut; Scortatio melior est incestu, testudo celerior fuit quam iste Callipedes: vel mixta, cum in alterutro tantum; ut; vinum citius inebriat quam aqua: ut apud Laërtium est alicubi: Si in comparatione positiva nulla prorsus sit inter extrema proportio, ita ridicula est & inficeta, ut in seriis locum non inveniat: ut; homo disciplinæ capacior est omnibus asinis. Ita si dixeris: Diabolus callidior erat omnibus animalibus terræ. Alia non inculco. Certe exclusio illa, qua solus serpens præstitisse astutia dicitur inter animalia, inclusionem præsupponit. Sed ipsa techna illa, auctorem fuisse Diabolum, etsi tacente Mose, loquitur. De quo bene Eulogius Alexandrin. l. 1. contra Novatian. *Diabolum* ἀπὸ τῆς ἀλήθειαν *dictum, quod Creatorem apud creaturas sit calumniatus.* Nempe invidiæ ejus interdictum adscribens, Gen. III. 4 5. Ex illo nomen hoc merito obtinuit.

CAP. VI.

Diaboli primum peccatum, Angeli quando creati?

ABbas Serenus apud *Cassian. collat. VIII. cap. 10.* recte adserit, *initium prævaricationis Diabolicæ non fuisse invidiam*, de qua Sap. II. 24. Quod ex hac Mosaica narratione recte conficitur, sed non inde unde Serenus vult: *apertissime* inquit, *& serpentis vocabulum, & comparatio bestiarum, non sonat Angeli dignitatem, sed prævaricatoris infamiam.* Nam de vero serpente verba fiunt. Id firmius consequens est, non potuisse defectionis fieri auctorem suasoremque, nisi prius defecisset ipse, & ab Angelica conditione excidisset. Sed *quando conditus?*

Non

Non pauci crediderunt, Angelos creatos a Deo ante hunc adspectabilem mundum. Sic *Æneas ille Platonicus Christianus quoque in Theophrasto suo.* Ratio ejus: *Habere enim voluit, quibus faceret bene, idcirco spirituales creavit, supernasque virtutes, nullusque invidiæ locus est. Ita ante visibilium conditionem, non in otio perstitit. Cœlum vero, unde tempus initium sumit, ac terram, aëremque & mare, post priora illa condidit, aliasque aliud vi propriæ potestatis operatur, semper autem ipse operatur, materiamque præstat universo.* Addit & Testimonium: *Apollo consultus Dæmonas quoque factos respondit, atque ante homines ipsiusque mundi fabricam conditos, creatori ad hominum usus ministrare. Est autem Oraculum hujusmodi:* ἐκλήθη πρὸ ἡμῶν θείας πόσμε γονῆς, ἄφθαρτα πνεύματα εἰς ἡμελέσας χρείας. Possunt & alia probabilem facere istam sententiam: *Angelorum duratio non mensuratur tempore: Ergo ante tempus orti sunt. Tempora æterna sub ævo sunt, & hæc ad Archetypum mundum & Angelos pertinent, qui ante mundum esse cœperunt, & cum mundo sunt, & post mundum erunt*, ait Honorius de Imag. Mundi lib. II. cap. 2. &c. Hæc, ut soleo, quoniam alibi lecta non occurrebant, in adversaria conjeci. Exspectas ἐπίκλασιν; frustra: nolo *post Roscium prodire in scenam.*

CAP. VII.

Serpens Locutus est.

QUo *sermone? Naturaline? an prodigioso?* Nam prius asseverare ausus est Auctor Quæst. V. & N. Test. Augustino tributarum. Sed de ea opinione dixi in Theolog. Symbol. cap. 25. hic non repetenda. De Platone ait Clemens Alexandr. l. 1. Stromat. *Existimat rationis quoque expertium animantium esse certas dialectos, quas exau-*

exaudiant, quæ sunt ejusdem generis. Cum itaque in profundum cœnum ceciderit & clamaverit elephas, alius quod evenit præsens conspicatus, abit, moxque reversus secum gregem elephantum adducit, collapsumque servat. Ajunt & in Lybia scorpium, si ei non succedat, ut iciat hominem, abire & cum pluribus reverti: connexosque invicem alterum alteri instar catenæ, insidias moliri. Non quod tacito quodam nutu utantur ista bruta, aut habitu quopiam sibi innuant, & quod cupiunt significent, sed propria sua, ut puto, dialecto. Quin & alii ferunt, si piscis aliquis hamo tractus rupta linea evaserit, ejus generis piscem alium eo die, inque eo loco non compariturum. Sed de Sermone præternaturali Moses agit: Quali *Asina Bileami* usa *infruniti* Prophetæ magistra. Quali locutæ capræ illæ ἐπὶ μαντικὴν ἠσκημέναι, & corvi hominibus oracula dare ab hominibus adsuefacti, apud *Clement. Alex. Protrept. pag. 4.* Sic *canem locutum* in prodigiis accepimus, & *serpentem latrasse*, cum pulsus est regno Tarquinius: Plinius l. VIII. cap. 41. Sic in Domitiano Suetonius: *Ante paucos quam occideretur menses, cornix in Capitolio elocuta est:* ἔχω πάντα καλῶς. *Nec defuit qui ostentum sic interpretaretur:*

Nuper Tarpejo quæ sedit culmine Cornix,
Est bene, non potuit dicere: dixit, Erit.

Quod tamen casu & arte humana fieri potuit. Nam cornix humana vocabula solet imitari. Sic Livius *Bovem locutum* refert: *Roma cave tibi*, lib. XXXV. Et solent Poëtæ inter futurarum calamitatum portenta talia recensere, -- *pecudum faciles humana ad murmura linguas*, Lucan. l. I. *& attonito pecudes pastore locutas.* Claudian. I. in Eutrop. Multa alia ad rem *Vossius l. III. de Idololatr. cap. 44.* Facit ad illustrandum, quod alibi dixi, *de Regibus Sinensium*, vasto se serpentis simulachro in-

includentibus, cum Legatos audire, & responsa dare volunt magnificentius. *Theol. Symb. cap. 117.*

CAP. VIII.

Vox Dei deambulantis, qualis?

CUm audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso, abscondit se Adam & uxor ejus, Gen. III. 8. Explico ex 1. Reg. XIX. 11. ubi vox duplex, adventus Dei prænuncia, *gravis* & formidabilis, conjuncta cum Spiritu grandi & forti, quo montes subversi & petræ contritæ ante faciem Domini; *lenis* & placida, cum sibilo auræ tenuis. Priori modo solet Deus uti, quando procedit ad judicium: Sic veteres Hebræi dixerunt: *Deum e loco suo egredi & descendere, cum ex solio misericordiæ transit in solium justitiæ.* R. Salomo in Michææ cap. I. 3. & ibid. Hieron. ubi Propheta: *Ecce Dominus egredietur*, &c. *& calcabit super excelsa terræ, & consumentur montes subtus eum, & valles scindentur, sicut cera a facie ignis.* Eandem terribilem venientis majestatem pingunt David, Psalm. XVIII. 10. 15. Ezech. cap. XXXVIII. 18. 20. Nahum. I. 3. Quæ loca Poëtæ passim imitati sunt, ut vel hinc liqueat, sua ex S. literis furto sublegisse. Sic *Q. Calaber*, describit descensum Palladis ad submergendas Græcorum naves, *lib. XIV. Paralipom. v. 459.*

Corripit arma Patris, Magnum quæ nemo Tonantem
Præter, de superis ausit tractare, & Olympi
Ardua concutiens, nubesque & culmina montium
Confundit, terræ nox incubat atra marique.

Et mox addit: — *tremuere Dea subjecta furenti*
sub pedibus convexa, & circum immugiit æther:

ut obiter vertere visum fuit. -- *Tremere omnia visa repente*
Liminaque laurusque Dei, totusque moveri
Mons circum — Virgil. l. III.

Jam

Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, & claram dispergere lumina lucem,
Adventum testata Dei: jam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumque remugit
Cecropidum, &c. Claudian. de Rapt. Proserp. a princ.

Congessit talia multa ad hunc locum Claudiani *Barthius*, & dedit alia quædam *Ramirez. Spicil. Sacr. cap. XXXV.* quæ non exscribo. Nihil tamen tam grande sonant Poëtæ, quamvis magno hiatu, quod ad σεμνότητα καὶ μέγεθος Prophetica orationis posset aliquo modo accedere. Nec dubium mihi, quin Diabolus, ut est Dei simia, hac in re quoque Dei Majestatem voluerit æmulari, adventumque suum aliquando terrore tali prævio testari. Sic & contra deprecari solebant Deos suos, *ut placidi & sereni venirent.* Quomodo de Venere dixit Lucretius l. 1. v. 6.

Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila Cœli
Adventumque tuum, tibi suaves Dædala tellus
Submittit flores, tibi rident æquora ponti,
Placatumque nitet diffuso lumine cœlum.

De eadem Poëtarum Princeps

— *avertens rosea cervice refulsit,*
Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere: l. 1. Æneid. & de Æsculapio Serenus Sammon. in Prologo:

Qui quondam placida tectus sub pelle Draconis
Tarpejas arces, atque incluta templa petisti,
Depellens tetros præsenti numine morbos.

Nam sine beneficiis non venire credebant. Unde Lux illi Joëlis dicto: *Quis scit si convertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem,* c. II. 14.

CAP.

CAP. IX.

Adventus Dei an placidus ille, an formidabilis?

POtest in utramvis partem disputari. Sic venit ad judicium primum, quomodo venturus ad novissimum:

Ultima cum mundi senium consumserit ætas,
Cumque repentinus percusserit omnia fulgor,
Cœlorum clangente tuba, qua nuncius ante
Judicis adventum concussum terreat orbem,

Sic *Alcimus Avitus l. II. ℣. 43.* Sic legem promulgavit, Exod. XIX. Sic adversus rebelles solet egredi, &c. Et quomodo potuit Adam scire vocem Dei esse, si non terribilis illa fuit, & Deo digna? vide Corn. a Lap. Sed *lenem & placidum* venisse, Moses videtur significare, cum dixit, Deum auditum *ad auram post meridiem*, quo & *tempus* descripsit, nempe quo Sol declinans

Vicina jam nocte leves præmiserat auras,

ut habet Alcimus: & *medium*, quo vox Dei ad aures Protoplastorum delata sit. Finis quoque adventus gratiosum fuisse demonstrat, eoque ipso prænunciatum, venturum Dei filium mundo in vesperam prono ad nostram salutem. Terruit autem reos non horrendus aliquis fragor, sed Deum judicem adesse testans mala conscientia. Quæ quem cruciat

Hunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis,
Et motæ ad Lunam trepidabit arundinis umbram.

vide Levit. XXVI. 36. Job. XV. 20. 21. Sic *Leontius* Episcopus, verba Dei & Adami παρεφερίζων. *Adam ubi es?*

Non sunt hæc verba irati; sed misericordis: non repudiantis; sed miserantis: Ubi es? Mutatam imperii formam video, dignitatis alium ordinem. Vocem tuam audivi ambulantis, & abscondi me. Cur timerem satis erat vel pedum tuorum strepitus. Tanti enim judicis omnia clamant membra, & cum rem cum tali reo habeas, non habeo causæ dicendæ libertatem. Suscipe timorem, qui peccatum meum purget, excuset, *& qui sit Patronus tuæ justitiæ. Vincere te ostendi fugiens sententiam tuam: crimina fuga detexi, ostendens errorem defendi non posse: hæc ille* Serm. de Creatione & Lazaro Rediv. Tu hic expende obiter comites sceleris; & qualis sit contritio, nisi Evangelio temperetur, plena terroris, fugæ & desperationis, cum carnali præfidentia, peccatum excusante. Sic Protoplasti.

Protinus attonitis senserunt auribus ambo
Præsentem Dominum: tristi tum luce perosam
Expavere diem, detecto in crimine testem.
Tunc si illis specubus vastis se forte barathrum
Panderet, aut subitum tellus monstraret hiatum
Non pigeat prono trepidos descendere saltu, Alcimus.

CAP. X.

Verbum Domini, quid Chaldæo Interpreti?

UBi Moses ait: *Audivisse vocem Domini Dei*, Gen. III. 8. ibi Chaldæus Interpres, Jonathan Uzielis, ponit: *Vocem Verbi Domini Dei.* Qui Christum amant, sic dici ab eo censent τὸν λόγον τῦ θεῦ σωσαπικὸν, Judicem mundi, & in quo fideles suos salvare Deus ab æterno disposuit. *Salvabo eos*, inquit, *in Domino Deo suo*, Ose. I. 7. id est juxta eundem Chaldæum ibid. *in VERBO Domini Dei sui. Non autem salvat Deus nisi in Christo*, Novatianus de Trinitat. cap.

cap. XII. Frendere & oblatrare rebelles fidei, hostes Deitatis Filii, nec miror, nec moror. Indignor, in castris ejus esse perduelles, exploratores, & qui hastas ejus militibus ab ipsius Spiritu *amentatas*, e manibus cupiant extorquere. Ostendit dudum *D. Selneccerus libello de Meimar*, ita Verbum vocat Chaldæus, non prolativum, sed substantivum intellexisse: sive Mysterium hoc ipse agnoverit, sive expresserit, quomodo videmus, corvos quoque verba nostra conari. Idque manifestum fit: 1. *ex Chaldaicæ versionis collatione.* Loca illustria annotarunt *Galatinus l. III. cap. 3. & seqq. Franc. Lucas Brugens. de usu Chald. Paraphr. circa fin. Martinius de Ver. Div. Nat. &c. pag. 202. & confecit negocium D. Helvicus de Targumim, cap. 5.* Mihi in oculis, quod, nisi cursim prætervolantem illi fefellerint, præteritum est, illud in cap. XLII. Esai. ℣. 1. *Ecce servus meus Messias, applicabo eum: dilectus meus, in quo sibi complacuit Verbum meum: dabo Spiritum meum Sanctum super eum.* Pauca verba, multa mysteria. Loquitur *de Messia*, qua homo est, & complectitur Sacramentum SS. Trinitatis, Incarnationis, Unctionis: Verbi, Filii Dei hypostasin describens attributo personali, verbo illo: complacuit. 2. *Ex S. Scripturæ explicatione:* nam eo sensu a Prophetis, & ab Apostolis VERbum salutatur Filius Dei, loca annotarunt præcitati & alii passim. 3. *Ex Judæorum & aliorum testificatione:* vide *August. Steuch. de perenni Philos. l. 1. & 2. &c.* Sic Zeno *rerum Naturæ dispositorem atq; opificem universitatis* λόγον *prædicat, quem & fatum, & necessitatem, & Deum, & animum Jovis nuncupat* Lactantius libr. IV. cap. 9. Ὁμολογεῖ δὲ καὶ τοῦτο ὁ Μωάμεθ, καὶ πάντες οἱ Μουσουλμάνοι, ὅτι λόγος θεοῦ ἐστιν ὁ Χριστός, καὶ πνεῦμα θεοῦ, καὶ ψυχὴ θεοῦ, *consentiunt nobiscum hac in re Muhammed, & omnes ejus Musulmani, quod Christus sit VERbum Dei, & spiritus Dei & ani-*

ma Dei, ait Johann. Cantacuzenus Apolog. III. contra Mahumetan. Quæ e schedis meis huc libuit referre.

CAP. XI.

Pœna serpenti maledicto inflicta, qualis?

TRiplex denunciatur. 1. *incessus molestus:* nam ut Cicero in Arateis,

Torvus Draco serpit, subter supraq; revolvens
Se se, conficiensq; sinus è corpore flexos.

Talis siquidem natura est serpentis, cum pedibus carere videatur, costis tamen [quas totidem habet, quot mensis dies, Bustamant. l.1.de Reptil. S. Scripturæ] *& squamis, quas a summo gutture usq; ad imam alvum pariti modo dispositas habet, sic instruitur, ut squamis quasi unguibus, costis quasi cruribus innitatur*, &c. P.Orosius l.IV. adv.Pagan. cap. 8. docens, *ictu aliquo spina soluta, per quam costarum illi pedes agebantur, debilem fieri, ut cursum habere non possit.*2.Cibus *immundus*, pulvis panis ejus Esai.LXV. 25. unde illud: *pulverem lingent ut serpentes*, Mich. VII. 17. Cum alias lactis & vini ferantur serpentes appetentissimi. 3. *Inimicitia exitialis.* Omnibus, *invisus fies, gravis omnibus horror*, Alcimus Avit. l. III. Quanquam cum vulpe societatem colere, cum murænis etiam coire dicantur. Addit Josephus *voce in sibilum versa loquelæ usum amisisse, & veneno præterea infectum, ut eo magis ad exitium quæreretur.* Alcimus *carceri quoque per hiemem adjudicatum* cecinit, e quo vere demum adulto egressus senectutem exuit. Sed hæc perfunctorie. Pererius *nihil novi putat accidisse serpentis naturæ. Ut mors, a't, homini etiam ante lapsum naturalis fuit, post lapsum tamen peccati*

pœna

pœna exstitit: ita quod naturale fuit serpenti, postea pœnale factum esse. Sed reclamat, ut alia ne dicam, experientia, quæ serpentes testatur dari *alatos, pedestres: quadrupedes* in Calicut reperiri & Malabar ait Scaliger exerc. 183. Solinus refert *Arabicas paludes mittere examina pennatorum anguium.* Visæ etiam serpentes *anserinis pedibus*, Plinius l. XI. cap. 47. Nec ubivis gentium horrori sunt. Bigeronibus certe in Pyrenæis montibus in sinu foventur, ut catelli Militæi, vide Scalig. l. c. in Mesopotamia circa Euphratem *exigui sunt indigenis Syris placidi, infesti solis advenis*, Aristot. in Mirabil. Auscult. Nam & gratitudinem leguntur aliquando & jus hospitale coluisse. Vide quæ *de Thoante Arcade, a Dracone* alumno suo servato, ex Democrito; & quæ *de Ægyptia aspide*, catuli interfectrice, quod hospitis filium necasset, ex Philarcho recitat *Plinius libr. VIII. c. 17. & lib. X. cap. 74.* Et inter homines *non hospes ab hospite tutus?* nec erubescimus, si beneficia & feræ sentiant? *Seneca l. 1. de benef. c. 1.* Agatharchides *in Æthiopia esse magnitudine stupendos* scribit, *qui omnes vitæ nutrimenta ex venatu captent. Visum sibi XXX. cubitorum unum. Et tamen captos, fame ita mansuefieri, ut nihil nec mitius nec terribilius esse possit: illud placiditate, hoc adspectu*; cap. 41. de Rubro Mari. Reliquisse talia Deus videtur, ut vere punitum serpentem appareret, & exstaret supplicii exemplum. *Nam ut Deus invisibilis*, ait Procopius, *sui monumentum reliquit hominibus arborem visibilem: ita serpentem, quæ fuit organum inconspicui Diaboli, prosternit maledictione: ut quamvis homo Diabolum non videat, neq; sciat, quid passus sit, tamen cum noverit, serpentem antea erectum incessisse, nunc longum corpus per terram trahere, ex illa visibili pœna intelligat, pœnas dedisse Diabolum, qui per serpentem ceu organum homini illuserit*, in cap. III. Genes. Ad mores facit, quod ex Agatharchide dictum, nihil tam esse difficile, quod

non edoceat *Magister artis, ingenique largitor venter. Et labor ingenium miseris dedit*, Manil. lib. 1. Nec piget addere quod ad rem pertinet, ex Lampridio de Heliogabalo: *Ægyptios draconculos Romæ habuit, quos illi Agathodæmonas vocant.* Sic Suetonius de Tiberio: *Erat ei in oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine manu sua cibaturus, cum consumtum a formicis invenisset, monitus est, ut vim multitudinis caveret.* Quod notent, qui dracones in sinu quasi fovent, populorum sanguinem exhaurientes, quæ res sæpe Regum fortunas evertit; & respublicas statu suo movit. Quales fuere illi Roboami Consiliarii. 1. Reg. XII. 8.

CAP. XII.

Maria Evæ Advocata.

SIc audit apud Irenæum: *Sicut illa*, inquit, *seducta est, ut effugeret Deum; sic hæc suasa est obedire Deo; uti virginis Evæ Virgo Maria fieret Advocata*, lib. V. cap. 16. Triumphant hic *Mariolatræ*, quasi reperissent, non quod pueri in faba. *Obediens Virgo Maria, inquit D. Irenæus, inobedientis Evæ, & filiorum ejus, facta est Advocata. Et quis erit tam impius, qui credat aut asserat, ex ejus advocatione nihil aut parum boni ad nos descendere?* ait Adrian. Mangontius e Soc. Jesu, *Part. 4. Monit. 1. pag. 4.* Eo denique proventum est, ut jam & *spes nostra & corredemptrix* salutetur, *passaque cum Domino nostro non verbis modo prædicetur, sed & mutis statuis. Nam in cruce lapidea aut lignea, ubi Christi crucifixi & expansi imaginem proponunt, sæpe ab altera parte a tergo in eadem cruce Virginis imago adjungitur*, ut refert Gallasius *in annotat. ad Irenæi h. l. quem vide.* Quantillum abest, ut doceant, quod ille, quisquis est, cujus *sermo laudibus Mariæ Fulgentio* tributus, inter *Augustini de Tempore ex-*

stat

stat serm. 15. Venite *Virgines ad Virginem, venite concipientes ad concipientem, venite parientes ad parientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite juvenculæ ad juvenculam! ideo omnes istos cursus naturæ Virgo Maria in Domino nostro Jesu Christo suscepit, ut omnibus ad se confugientibus fœminis subveniret: & ut sic restauraret omne genus fœminarum nova Eva ad se venientium, servando virginitatem; Sicut omne genus virorum Adam novus recuperat.* Sed frustra sacrum Irenæi nomen prætenditur. Fit hic quod dici solet: *thesaurus carbones.*

Quomodo Evæ Advocata Virgo Mater? &si ipse se satis explicarit, tamen audi alios veteres: *Quia defenditur & purgatur mulier a muliere. Prima aditum & locum introeundi peccato dedit; hæc vero introeunti justitiæ subservivit, & ancillata est. Illa consilium serpentis amplexa atque secuta est; hæc vero interfectorem serpentis præbuit, & Lucis auctorem peperit*, &c. hæc Gregorius Nyssen. de S. Christi Nativ. p. m. 75. *Eadem Panoplia illa, qua Diabolus genus nostrum invaserat, & debellaverat, Christus, certamine contra illum inito, Diabolum vicissim pessum dedit. Quomodo? audi: Pro Eva, fuit Maria; pro ligno scientiæ boni & mali, lignum crucis: Pro morte Adami, mors Domini*, Chrysost. Orat. in S. Pascha. Ita Arator Diacon. l. 1. in Acta Apost.

— — *mala criminis Evæ,*
Virgo secunda fugat; nulla est injuria secus.
Restituit, quod prima tulit. Non voce querelas
Excitet, aut gemitu mœrentia corda fatiget,
Antiqua pro lege dolor: scelera ipsa nefasque
Hac potius mercede placent, &c.

Sic ergo patrocinatur Evæ Maria, ut sexus odio esse non debeat nobis, ut ne a malo quodam Deo productam

mulierem, in exitium generis nostri arbitremur, quæ *Saturnini Carpocratis* & similium, id ævi fuit blasphemia: cum per partum mulieris plus præstitum sit nobis boni, quam per peccatum mulieris ortum sit mali. Sic Hæreticos, salvatum Adamum negantes, vocat Irenæus *Advocatos serpentis & mortis* l. III. c. 39.

CAP. XIII.

Immortalitas primi hominis.

TUnc tantum erit vera immortalitas, cum nullus mori poterit. Prima hominis conditio fuit, posse non mori; cui propter peccati pœnam contigit non posse non mori: restat illa felicitate illud tertium, non posse mori, Alcuinus l. III. de SS. Trin cap. ult. Fuit ergo in Protoplastis potentia non moriendi, *eaque naturalis*, id est, *concreata*, ex voluntate & dispositione Creatoris, qui Spiritum vitalem corpori terreno quidem, sed, ut perenne animæ domicilium esset, præparato sic conjunxit, ut unio non posset solvi ulla vi, nisi peccato. Frustra objicitur illud: *Terra es, & in terram reverteris*, Gen. III. 19. cui consonant Eccl. XII. 7. Sirach. XL. 11. & XLI. 13. & illa Epicharmi vulgata: *Terra redit in terram: vel* ut Lucretius expressit:

Cedit item retro de terra quod fuit ante
In terras; & quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum Cœli relatum Templa receptant.

Quod & apud Euripidem est in supp l ib. Act. II.

Nam corpus unde quodlibet proficiscitur
Illo revertit: Spiritus Cœlum petit,
Corpusq; terram; nempe et matrem θρέψασαν αὐτὸ, &c. Et in collo Quirinali Romæ vetus inscriptio habet:

Vita

Vita subit cœlum, corpus tellure tenetur;
Omnia sic repetunt jura locosque suos.

Apud *Jacobon. de Gente Cæsia 153.* Infers: *ergo potentia moriendi inerat corpori secundum naturam, atque adeo mors non pœna fuit, sed natura:* sic enim Pererius. Respondeo: *Homo in terram carne non iret, si terra peccando non fieret*, cum Fulgentio de Incarn. & Grat. cap. 12. scite: non enim exprobat Deus homini, quod fecerat ipse, sed quod homo fecerat. Non ait, Terra fuisti, ergo in terram redibis: sed es Terra, culpa tua, non opera mea. *Sed*, inquis, *fieri non potuit, ut terra non in terram rediret. Inerat ergo corruptibilitas homini intrinseca, & ἀφθαρσία tantum extrinsecus supervenit:* Respondeo, ergo vel impotens Deus, qui vitium hoc, quod terram sequi vis, non potuit auferre: vel invidus, quod noluit: denique injustus, qui animam nihil commeritam putrido per se sepulchro, & carceri quasi incluserit, quod, Platonici propter vitæ ante corpus actæ crimina animabus esse statutum supplicium dixerunt, quod Augustinus cum illo Mezentii Tyrannico comparabat:

Mortua quia etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora.

Diserte & elegantissime Tertullianus de Resurr. Carn. cap. VI. *Phidiæ manus Jovem Olympium ex ebore molitur, & adoratur: nec jam bestiæ & quidem insulsissimæ dens est, sed summum seculi numen: non quia elephantus, sed quia Phidias tantus. Deus vivus & Deus verus, quamcunque materiæ vilitatem, non de sua operatione purgasset; & ab omni infirmitate sanasset?* & cap. 7. *Non es diligentior Deo, uti tu quidem Scythicas gemmas, & rubentis maris grana candentia, non plumbo, non ære, non ferro, nec argento quoque oblaquees, sed electissimo, & insu-*

insuper operosissimo, describes auro, vinis item & unguentis pretiosissimis quibusque vasculorum prius congruentiam pares [*cures*] *proinde perspecta ferruginis gladiis vaginarum adæques dignitatem: Deus vero animæ suæ umbram, spiritus sui auram, oris sui operam vilissimo alicui commiserit capulo, & indigne collocando utique damnaverit?* Inquis: *cur ergo mors naturalis dicitur?* Respondeo, non quomodo volebat Pelagius, cujus sententia erat 1. hominem etiamsi non peccasset moriturum, & 2. adeo mortalem fuisse, μὴ τῇ ἀξίᾳ τῆς ἁμαρτίας, ἀλλὰ τῇ ἀνάγκῃ τῆς φύσεως Concil. Carthag. Can. 110. vel ut Prosper habet, *mortem omnino fuisse oppeturum, qua carnem vita relinquit*,

--- quæ non peccato parta, sed ipso
Instituente Deo comes esset fixa creatis;

in quo posteriore capite manifestum est Pontificios πελαγιανίζειν; Sed naturalis mors dicitur, partim quia post lapsum *naturæ debitum* est, *est enim mors debitum: Hoc stipulata est vox Dei, hoc spospondit omne, quod nascitur*, Tertullian. de Anima: partim quæ violentæ opponitur: *Propria* Latine, ut Sext. Ruffus de Antonino Caracalla: *apud Edessam propria morte obiit.* Violenta, *purpurea* Homero: Spontanea si gladio peracta, *Romana decora, honesta*, ut Othonis Imp. qui ut ait Ausonius:

Hoc solum fecit nobile, quod periit:

Sin laqueo; *fœminea*, &c. vide Latin. Pacati Panegyr. pag. m. 267.

CAP.

CAP. XIV.

Resurrectio Mortuorum.

His diebus, anno scilicet Guntheramni Parisiorum Regis 29. qui fuit a Dominica Resurrectione 627. juxta auctoris calculum, *exstitit quidam de Presbyteris nostris Turonensibus, Sadducæa malignitatis infectus veneno, dicens non esse futuram resurrectionem*, ait Gregor. Turon. libr. X. histor. cap. 13. pluribus referens, quibus argumentis errorem hominis profligarit. Errabat ille ex ignoratione *Scripturarum & potentiæ Dei*: isti enim fontes hujus Sadducæismi a Domino ipso ostensi, Matth. XXII. 29. Loco hoc Geneseos nitebatur, qui sub manu cap. III. 19. Quod *Dominus iratus primo homini, quem manu sacra plasmaverat, dixerit*: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumtus es: Quia pulvis es, & in pulverem reverteris. *Quid ad hæc respondebitis*, inquit, *qui resurrectionem futuram prædicatis? cum in pulverem redactum hominem resurgere ulterius divinitas non promittat?* Deinde absurdum & impossibile esse disputabat: *a bestiis raptum, aquis immersum, piscium faucibus devoratum, in stercus redactum, & per secretum digestionis ejectum, aut aquis labentibus dejectum, aut terra computrescente abolitum, ad resurrectionem venturum.* Respondit Gregorius *ad prius*: Exstare passim Dei promissum, quod pluribus persequitur. Et habebat proxime in prima Evangelica concione, de benedicto semine caput serpentis contriturо. *Ad posterius*: scriptum esse in Apocalypsi: *Tunc reddet mare mortuos suos*: unde, inquit, manifestum est. *quia quicquid humani corporis piscis absorbuit, ales rapuit, bestia deglutivit, a Domino conjunctum in resurrectionem reparandum erit*: *Quia non erit ei difficile perdita*

dita reparare, qui ex nihilo non nata creavit. Hanc Dei potentiam reficiendi quod ex nihilo fecit, ex ipsa rerum natura denique adstruit. *Hanc enim resurrectionem & illa quæ cernimus elementa demonstrant,* ait; quod exemplo arborum vere quotannis renascentium, & seminum post mortem quasi suam cum fructu multiplici resurgentium comprobat. In hoc posteriore argumento differendo scite versatur *Nilus in Orat. Paschalibus:* Illustrat potentiam Dei exemplis a natura & ab arte petitis: *A natura:* seminum & fœtuum in utero materno formatorum: *ab arte,* qua confusa & mixta sæpe feliciter secernuntur. Accipe verba ex multis pauca: *Sepeliuntur in terra seminum grana, nam sulci satis sunt pro sepulchris: Ipsa seminibus acceptis imitatur monumenta, putrefacit granum, ut sepulchrum corpus; & accipiens vivum, mortuum reddit, medium ipsum grani putrefaciens corculum, ut & formicis ad escam jam sit inutile. Fit mater vitæ granis corruptio, & mors partus pater designatur, calamum spicis dat pro ossibus, pro pelle tenuem exterius adaptat pelliculam, radicem inferius vinculis quibusdam quasi nervis & venis cingit, pro unguibus addit aristas, quæ contra volucres certent. Quodque multo mirabilius est resurrectione, multa pro uno mortuo ad regenerationem grana profert.* Hæc satis diserte & venuste. *Ita formatur velut in sepulchro in utero, nondum existens infans, naturæ fasciis involutus, similis mortuo, fasciis sepulchralibus circumstricto. Matrix egregium fœtibus sepulchrum est, & sepulchrum quidem fœtoribus non carens, & tali fœtus formatus in sepulchro formantis nutum vocatus sequitur.* Hæc Orat. 1. Secunda pergit: Præfatus enim, quomodo Deus *corpus nostrum* [*vitiositatem quasi vasis ex peccato ortam non enim corruptibile id factum esse purgaturus*] *mortis* χωνευτηρίῳ *dissolvat, & denuo reformet? Tanta,* inquit, *Fictoris ars est in fingendo, ut*

& aquæ naturam in simulachra formet in utero. O artem, quæ ex aqua format simulachra! Et hoc non solum mirum est, quod aqua in animatum simulachrum exsculpatur, sed quod & fluctuans intus semen formetur. O pictorem in fluctuanti linteo secure pingentem! Sanguis enim undique bullitens, semenque quasi decumanis fluctibus agitans, quasi linteum subjacet formato fœtui. Fœmina pictoris quasi officina est, colorum materiam vir addit. Pictor in utero, ex uno colore compositam e multis pingit imaginem; Idque in obscuro: Amictus enim lumine sicut vestimento est, occultus fœtuum pictor. Hanc e gutta cogitans figlinam, de figmento e terra non ambigo. Nam si videam artificem, qui ex aqua possit statuam condere, multo facilius e terra facere posse, credo, &c. Eodem argumento Gamalielem usum ad confutandum quendam Sadducæorum Principem, in Thalmude legitur. Sed exempla *ab arte* quoque ex Nilo cape: *Existimatis, Deum corpus a piscibus comestum invenire non posse? facitis divinitatem inferiorem nostris artibus. Nos enim ex arena terræ, vitrum, aurum, æs, argentum, igni dantes scrupulos separamus & deterimus, tametsi nihil horum in lapidis natura apparuerit, & vinum aquæ immistum in propriam naturam discernentes utrumque restituimus.* Quod qua arte fieri possit docet Plinius l. XVI. c. 35. *Hederæ mira proditur natura ad experienda vina; si vas fiat, ex ligno ejus, vina transfluere, ac remanere aquam, si qua fuerit mista.* Sic Æneas in Theophrasto suo, *non*, ait, *incredibilis est materiæ in melius commutatio. Nam & apud nos, qui prudenter materiam callent, argentum stannumque assumentes, priori specie omnino deleta & in formam digniorem pretiosioremque traducta, aurum pulcherrimum & optimum faciunt. Arena itidem dispersa jacet, & nitrum fusum, verum humana ars ex hisce novum quoddam excogitavit,*

vit, atque lucidissimum vitrum. Arborum quoque mutationem atque insitiones celebrant rustici. Quid ergo creatorem hominum imbecilliorem hominibus imperitioremque arbitramini? Hæc spero non injucunda, nec verbi divini præconibus inutilia fore.

CAP. XV.

Vestis Pellicea Adæ, cujus coloris?

LUdebam aliquando, sed pie; roganti, *cujus coloris fuerit vestis illa prima, qua Deus ipse* pellifex, quicquid dicant Origenes, Rupertus, Calvinus, *Protoplastos*, jam in gratiam receptos, *texit?* Gen. III. 21. Dixi, *purpurei videri*; Quod ut probem, spero a non invitis datum mihi iri, Μηλωτὴν fuisse, innocentissimo pecori detractam, quod jam tum Deus ipse in sacrificia sibi destinavit, cultum hunc suum Protoplastos edocens. Qua de causa vestis illa & antiquissima, & sanctis frequentissima in usu fuit, 2. Reg. I. 8. Hebr. XII. 37. qui solebant, ut ait Lucretius l. V. *Pellibus & spoliis corpus vestire ferarum.* Admonebat enim ea vestis eos & *divinæ benignitatis*, de qua Irenæus l. III. c. 37. *& suæ fragilitatis*, de qua Origenes hom. VI. in Levit. & *futuræ redemptionis*, per occisionem Agni Dei, *qui molli vellere*, ut ait Ambrosius, *cunctorum operit vulnera populorum*, & cujus tecti justitia sic effugimus mortis illos παμφάγες ὀδόντας, quomodo Polyphemi Ulysses & socii ovillis pellibus tecti. Nunc argumenta edo sententiæ meæ: 1. *a Paradisi felicitate*, cui nihil puto defuisse, quod mundus omnis habet uspiam, venustatis. Erat enim *Theatrum* quodpiam, e quo *spectator ille rerum supernarum & terrestrium*, ut ait Cicero, *homo*, ut *quarum spectaculum ad nullum aliud animantium genus pertinet*, omnia contueri posset Dei & naturæ miracula. Erat

πάσης

πάσης ἡδονῆς ταμιεῖον & *dignum homine ad imaginem Dei condito* ἐνδιάιτημα. Damascen. l. II. O. F. cap. 11. At enimvero, ut docet Tzezes Chil. 1. hist. 18.

Oves χρυσόμαλλοα *alicubi ferre lanam*
Rheginus Hesigonum inducit scribentem.

Et tale fuisse, ait, Atrei illud χρυσόμαλλον ἀρνίον quod Simonides *purpureum* appellavit. Sic Asia rutili coloris oves educat, quas *Erythræas* vocant: *vide Gesner. Quadrup. 2. a vestis fine:* Jam prius *de foliis ficus* consuerant sibi perizomata infelices Protoplasti, Gen. III. 7.

Quosque aluit misero fallax insania pomo,
Vestivit folio; sæva quos arbore nudos
Reddidit, hos gravius tenui de cortice texit,

ait Alcimus Avitus l. III. ℣. 16. *inepta vestis, quæ non celabat pudorem, sed stimulabat*, ut loquitur P. Chrysologus serm. 106. quia folia fici asperitate sua feruntur pruriginem excitare, ut docet *Ramirez Spicileg. cap. V.* Quanquam *succinctorium* illud pro pœnitentiæ symbolo habeat *Irenæus, condignum inobedientiæ amictum vocans, quo Adamus corpus vexarit, retundens petulantem carnis impetum*, lib. III. cap. 37. Habet autem ficus folia ita aspera, ut lubricas quoque teneant anguillas, unde Proverbium: Θρίῳ τὴν ἔγχελον, *anguillam folio ficulno.* Credidit Alcimus cum aliis, eandem ficum & infelix pomum præbuisse, quo in mortem corruimus, & tegumentum. Sed decebat talis vestis & mortis reos; quia *ficus sepulchris solet* aliquando *innasci*, ut & alia τῶν ἀναιδεστέρων δένδρων, ut loquitur Clemens Alexand. l. 1. Stromat. & peccati auctores; *Quia primus homo Templum Dei, peccatum seu silvestrem ficum produxerat, quæ Deum impulit, ut Templum illud suum morte dissiparet, radicitus hac caprifico exscissa, demum rursus excitaturus,*

rus, ut venuste loquitur Epiphanius ex Proclo. hæres. 64. contra Origen. Indumento tam inutili, *ficulno*, substituit Deus *pellificium* suum. *Quo fine?* eo vel maxime, ut *peccata tegi non posse*, *nisi sanguine Agni sui*, jam tum intimaret, idque ipso novæ vestis colore sanguineo, quem & in ornatu Tabernaculi & Templi præ ceteris probavit, causam ob eandem, Exod. XXV. 4. & XXVI. 1. & XXVII. 16. Paralip. III. 14. &c. Deinde volebat Deus vestem hanc *pignus esse paternæ suæ benevolentiæ*, & redditi Protoplastis *regalis sacerdotii*, quo per peccatum exciderant, & denique *novæ* jam per fidem *desponsationis*. Conveniens igitur fuit, ut esset purpurea, aut cocco dibapho nativo tincta, quo colore Sacerdotum, Regum & Principum, quos ideo *purpuratos* dictos legimus, constitisse vestes, alias, quantum opus erit, ostendam. *Sponsalitias* simili floruisse, ex Jerem. IV. 30. & 2. Sam. I. 23. [ubi Sanctius non frustra colligit, *munificentia Regia novis nuptis*, *in conjugii honorem*, *vestes Coccineas*, *auro gemmisque insignes*, *publicitus præbitas olim in Judæa fuisse*] patet. Sic apud Synesium Sponsa procedit ἐν Φοινικίδι *aureis monilibus & gemmeo mundo adornata*, Epist. III. & apud Achillem Statium lib. II. Amor. *Vestis purpurea tota cum aureo limbo*, *aut inserta*, ut dicebant Veteres [Frugalitas inserta rumoris boni P. Syro] *Sponsæ præparatur*, ubi alia ejus ornamenta, confer Esai. LXI. 10. Sic *agnus*, *qui vellus in fronte purpureum habebat*, eadem die & hora natus, qua Antoninus Geta, *Imperii omen fuit*, apud Spartian. ut Diadumeno Macrini Filio *duodecim purpureæ oves*, *in agro patris natæ*, apud Lamprid. Quid? si *pugnæ* signum fuisse dicam vestem hanc, paulo ante indictæ, Gen. III. 15. quale apud Romanos fuit *coccinea chlamys supra prætorium expansa*? Plutarchus in Fabio Max. Quid? si *gratiæ* tesseram? Quomodo apud eosdem *purpuram*, *majestatis insigne*, trepi-

trepidis, ut desinerent pavere, Imperatores solebant porrigere adorandam, Ammian. Marcell. l. XXI. medio: confer Esther c. IV. 11. Denique 3. *a Testimonio*. Testem autem produco non arenarium, sed dignum, quicum mices in tenebris, Poëtarum Platonem; qui aureo seculo oves nativa purpura floridas fuisse, ex Sibyllinis carminibus, his versibus exsinuat:

Nec varios discet mentiri lana colores,
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto:
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.

Ridebit hæc aliquis severus Cato, sed mihi ludere cum dulci agnello meo Jesulo quis invidebit?

CAP. XV.

Theologia ex Libro Creaturæ & Scripturæ.

Maximus Tyrius Platonicus Philosophus & sub Commodo Imp. Senator Romanus. Dissertatione prima explicaturus; *Quid sit Deus?* Quod *unus Deus Princeps ac Pater omnium existat, cui multi deinde Dii Deorumque Filii in principatus administratione operam navent*; non obscure insinuat constare ex duplici Revelatione, *Naturali, Supernaturali:* Naturali vel ἐπικλήτῳ *acquisita*, vel ἐμφύτῳ *connata*. Naturalis notitia, ratione & experimentis acquisita, inprimis ex pulcherrimo Mundi spectaculo comparatur, quod hominis proprium esse voluit Deus. *Homo enim animal Deo proximum, & in contemplationem omnium, quæ mundo contigerunt, constitutum est*, Quintilianus Junior Declam. 260. Itaque in mundum ut in scenam & orchestram

producti sumus, *quasi spectatores rerum superarum & cœlestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet*, Cicero II. de Nat. Deor. Mundus ergo ipse Dei παιδευτήριον est, ut dixit S. Basilius. Mundus creatoris sui præco : cœli enarrant gloriam Dei! Psalm. XIX. 1. *Quomodo enarrant? vocem non habent, non os, non linguam, quomodo igitur enarrant? Tacet cœlum, sed ipsius adspectus vocem tuba clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens: vocem, quam & Scytha & Barbarus, & Indus & Ægyptius, & omnis homo super terram incedens audire potest & percipere*, Chrysostomus hom. IX. ad Pop. Antioch. *Mundus* Cithara Dei, & ut cœlum vocavit Varro - *mobilis Divum Lyra!* Quemadmodum *qui citharam belle fabricatam, ejusque concinnitatem compositionemque miratur, aut concentum audit, nihil aliud quam ipsius citharæ vel artificem, vel moderatorem citharœdum animo concipit, eoque tota cogitatione convertitur, etiamsi oculis eum fortasse non cernat. Ita & nobis seipsum prodit, illud quod & facit omnia, & facta movet & conservat, cum interim quid illud sit tandem, mentis nostræ angustiis nequeat comprehendi*, Gregor. Nazianz. l. II. de Theolog. Mundus *Liber* est mirabilis, *quem & Idiota & sapiens æque intueri potest, pauperi æque parabilis ac diviti, nec gravis peregrinantibus, nec onerosus circumferentibus*, Chrysost. l. citat. *Sic Musas, sic Sirenas insidere orbibus cælestibus: sic Sibyllam, Divinorum consiliorum enunciatricem, per omnia dispersam elementa* veteres dictitabant, *Macrobius II. in somn. Scip. cap. 3. Clemens Alex. 1. Stromat.* de quibus in Theologia Symbol. dixi. *Phidiam ferunt in clypeo Minervæ oris sui similitudinem colligasse: ita ut si quis artificum voluisset exinde imaginem seperare, soluta compage, simulac totius incolumitas interiret: ad hoc instar Mundi salutem tuetur Deus, apta & revin-*

cta

ta sui Numinis majestate, Apulejus de Mundo. Ergo ut ex *lineis accuratissimæ subtilitatis Apellem, summum pingendi artificem, agnovit Protogenes*; quam historiam recitat Plinius l. XXXV. cap. 10. Sic Deum ex operum suorum lineamentis licet intelligere, quantus sit opifex: Illis nempe, qui nondum scelerum suorum mole ἀπηλγηκότες, Ephes. IV. 19. Dei notitiam ex magnitudine & pulchritudine creaturarum ἀναλόγως contemplari sciunt, Sap. XIII. 5. colligentes ex ipsa pulcherrima rerum creatarum specie, quanto speciosior sit creator ὁ τῶν κάλλους γενεσιάρχης, ibid. v. 3. Etenim *quicquid pulchri est in hoc universo ab ipso fluit*, velut ἐκ πηγῆς ἀενάου ἡ ἀκηράτου, ut ait Maximus *noster l. cit.* Et *quantum ab eo participant singula, pulchra, firma, salva sunt; in quantum autem deficiunt, turpia sunt, dissolvuntur, intereunt*, Ibid. Satis de notitia Dei acquisita. *De Connata* testatur mirabilis ille & constans omnium in orbe nationum hominumque consensus. *Nam cum in ceteris rebus verissimum sit, quod dici solet, suus cuique mos, suum cuique velle est; nec facile videas in una aliqua re omnes adeo conspirantes*, & ut Maximus ait, πολὺ ψηφιζομένους τοὺς ἀνθρώπους: *Cum neque bonum omnibus idem neque malum, neque honestum sit aut turpe; Lex vero & jus fasque ἄνω καὶ κάτω ferantur distracta & divulsa: In tanto tamen sententiarum quasi πολέμῳ, una hæc omnium lata suffragiis Lex est: Esse Deum Regem Patremque omnium. Hoc & Græci ajunt, & Barbari; hoc & Insulares, & mediterranei; hoc & sapientes & insulsi &c. hæc omnia ille.* Nempe *ipsa anima Deo dicit testimonium, non illa, quæ Scholis formata, Bibliothecis exercitata, Academiis & porticibus Atticis partam sapientiam ructat; sed & simplex & rudis illa, & impolita, & idiotica, qualem habent, qui solam habent: quam domi & foris audimus pronunciare: Quod Deus dederit! si*

Deus voluerit! Deus bonus est: Benedicat te Deus: Deus videt omnia; Deo commendo: Deus reddet: Deus inter nos judicabit, vide Tertull. de Testimon. Animæ. Nec ideo negandæ sunt hæ κοιναὶ ἔννοιαι, quod quidam fuisse dicantur Athei, divinitatis contemtores, qui dixerint in corde suo: *Non esse Deum:* Nam ut recte respondet noster Platonicus: *Primo frustra opponuntur perpetuo omnium ubique hominum consensui per omnia retro tempora, duo forte aut tres:* Illique secundo *genus impium, Dei expers, abjectum, ac sine sensu: Verbo homines* ἄλογοι, ὡς ἄθυμοι λέων, ὡς βῶς ἄκερως, ὡς ὄφις ἄπερως. Et ut videas, hos quoque Deum non ignorare pure, sed ἐκ λαθίστως áddit tertio: *hos tamen ipsos Dei non posse non meminisse.* Ἴσασι γὰρ ἄκοντες, καὶ λέγουσιν ἄκοντες, *nam & inviti sciunt, & loquuntur nolentes: quanquam vel bonum ademerint ei, ut Leucippus: vel affectus addiderint, ut Democritus; vel naturam permutaverint, ut Straton; vel voluptatem concesserint, ut Epicurus; vel nullum esse dixerint, ut Diagoras; vel quædam ignorare voluerint, ut Protagoras*, &c. Hæc ille.

Enimvero ut *Natura* Deum esse testatur; sic quis sit, aut quid sit? sola docere potest *Scriptura* θεοπνευστος. Hinc votum nostri Philosophi: *O utinam Oraculi cujuspiam copia detur, sive illud Jovis, sive Apollinis sit, nequaquam dubia ac flexiloqua loquentium! non illos sane consulerem de Lebete, quemadmodum Crœsus Regum omnium stultissimus, & coquorum infelicissimus: neque de dimensione maris aut arenarum numero peterem: Mihi quidem aut ex Delpho de Jove respondeat Apollo; aut de se ipso Jupiter!* Et habere poterat ille verissimum Propheticæ ac Apostolicæ Scripturæ Oraculum, nisi spreviset, nisi maluisset ipse committere facinus id mentis parum sanæ, quod *Platonicæ Philosophiæ* contemtoribus exprobrat: *ut si quis sitibundus malit cœnum haurire ex lutu-*

lutulento lacu, πολαμῶ παρόντι καθαρᾷ, ἢ πολλῷ, ἢ ὀλίγῳ ὑδίσῃ, ἢ πιεῖν προσηνεσάτῃ ἢ θρέψαι γοιμωλάτῃ: Et ut si quis clarum Solis lumen aversatus, in tenebris scintillas ignium fatuorum sectetur. Ὁποῖόν φασι τὴν γλαῦκα πάσχειν, πρὸς μὲν τὸν ἥλιον ἀμαυρομένην, θηρεύσασαν δὲ ἐν νυκτὶ ἔμπροσθεν φῶς, *quale quid ajunt, noctuæ accidere, ut ad solem cæcutiens noctu obscuram aliquam aucupetur faculam.* Faciunt ad illustrandam totam hanc Maximi dissertationem hi aphorismi, ex *P. Orosii l. VI. adv. Pagan.* cap. 1. *Deum quilibet hominum contemnere ad tempus potest, nescire in totum non potest. Pagani, cum a nobis discutiuntur, non se se plures Deos sequi, sed sub uno Deo Magno plures ministros venerari fatentur. De uno Deo omnium pœne una opinio est. Huc usque humana scrutatio, etsi cum labore deliberare potuit: at ubi ratiocinatio defecit, fides subvenit. Nisi enim credideritis, non intelligemus. Ab ipso audias, ipsique Deo credas, quod verum velis scire de Deo.*

CAP. XVII.

Avaritia an proprie Idolorum Servitus?

GRavissima Apostoli dehortatio est; *Avaritia ne nominetur quidem inter vos!* Ephes. V. 3. *Subjectum* est, avaritia, πλεονεξία, *insatiabilis habendi cupiditas.* Estius h. l. cum Hieronymo interpretatur, non de opum aut pecuniæ, sed de ea cupiditate, qua quis insatiabilis & inexpletus, per omnium turpitudinum, lasciviæque genera transcurrit. Ratio ejus; quia inter immunditiæ peccata recensetur, ut Ephes. IV. 19. ubi ἐν πλεονεξίᾳ per Hebraismum ponitur pro adverbio πλεονεκτικῶς, *insatiabiliter.* Sed de avaritia tamen rectius explicant plerique

rique ex Coloss. III. 5. de quo mox: Rom. I. 29. Galat. V. 19. *Prædicatum*; ne nominetur quidem inter vos; proverbium sapit; quo & extrema flagitii turpitudo indicatur: Sic Petronius: *Quid dicis omnium hominum Deorumque pudor? nam ne nominare quidem te inter res serias fas est:* & Summum fugæ studium suadetur — *μηδ' ὄνομ' εἴη ne nomen quidem sit*, ut loquitur Theocritus.

Ratio dehortationis additur: *Quia omnis avarus est εἰδωλολάτρης. Rœstius Jesuita* in Apologia pro æde Lauret. *Quando*, inquit, *avaritia nominatur Galatica* cap. V. 10. [erratum μνημονικὸν] *idolorum servitus, impropria & metaphorica locutio est.* Scio sic & alios interpretari, *vide Thomæ Summ. 2. 2. q. 118. art. 5.* Sed obstat Apostolica explanatio Coloss. III. 5 ubi diserte repetitur, *avaritiam*, id est φιλαργυρίαν, Interpp. Commun. *esse cultum Idolorum.* Eam proprie speciem idololatriæ esse, & præceptum Decalogi primum violare, persuppositio, quod idolorum cultus alius sit *apertus*, quem litera, alius *occultus*, quem spiritus Legis prohibet, cujus generis sit avaritia, docente *Hesychio l. VII. in Levit. cap. 26.* probo ἐντέχνως *Ratione*, ἀτέχνως *testimonio ex Interpp.* Inter *Rationes* non illa præcipua est, *ab objecto*, de quo David Psalm. CXV. *Idola Gentium aurum & argentum*, quo alluisse S. Paulum putat Theophylactus. Sic Cassianus ait φιλαργυρίαν dici *idolorum vel simulachrorum servitutem, eo quod avari hominum figuras auro impressas pro Deo diligere malint & tueri.* l. VII. Instit. cap. 7. Qua ratione S. Chrysostomus h. l. *avaritiam adhuc pejorem idololatriæ scelere demonstrat, quod hæc 1. Dei creaturas colat; illa creaturam humani ingenii. 2. Ista quod colit, defendere aliquo colore ausit; at illa ne quidem fateri, tantam esse turpitudinem.* Nec, quæ *a pari* petitur, ratio pollentissima est, de qua Hieronymus h. l.

ut voracium Deus est venter; sic cupidiorum pecunia, &c. Sed potissimam duco *ab ipso idololatriæ formali*: quod est *Dei honorificentiam usurpare, & vendicare creaturæ*, Ambros. h. l. id quod fit ab avaris corde & opere. *Corde*; dum *frui volunt numo, uti autem Deo: quoniam non numum propter Deum impendunt; sed Deum propter numum colunt*, Augustin. XI. de Civit. Dei cap. 25. *Est enim frui, amore inhærere alicui rei propter se ipsam*, ut notum ex ejus I. de Doctr. Christ. cap. 4. Opere; dum *Mammonæ per omnia inserviunt, voluntatem ejus faciunt, denique sanguine humano litant, quo sacro* ἐδὲν ἐστι βακχικώτερον, *ut ait Chrysost. homil. XVIII. h. l. Testimonia* si petis; putat hic aurei oris Doctor, allusisse Dominum celebri dicto *de cultu Mammonæ*, eoque respexisse Apostolum, Matth. VI. 25. Drusius in Præterit. mavult ad id Oseæ XII. 8. *Dives effectus sum, inveni idolum mihi* &c. de quo quot capita, tot sententiæ. Forte respectum ad μίμησιν avarorum, amplexantium aurum suum, & blandientium: *Fiducia mea!* Job. XXXI. 24. Quæ verba fornicationem spiritualem clare exprimunt. Sunt enim illud ipsum meretricium & lascivum ζωὴ ἡ ψυχὴ, quo se perdite amantes solebant compellare, unde *a Juvenali* dicitur — *vox blanda & nequam*, Satyr. VI. Quid? si ad ipsum Gentium consensum provocaverit Apostolus? quibus inter Deos habiti *Plutus*, *Aurinus*, *Argentinus*, *& Pecunia ipsa*;

— etsi funesta pecunia Templo
Nondum habitas, nullas numorum ereximus aras.

Augustin. IV. de Civitat. Dei cap. 21. Juvenal. Satyr. 1. certe *Menandri*, cujus & alibi versu usus est Apostolus 1. Cor. XV. 33. celebris fertur sententia,

— χρήσιμους εἶναι θεὸς
τ' ἀργύριον ἡμῖν, ἢ τὸ χρυσίον μόνον,

---- *utiles duos Deos*
Esse unicos, aurumq; & argentum omnibus.

CAP. XVIII.

Cur Israelitarum sacra Cantica aure. quasi aversa spreverit Deus?

DUo hic mihi Prophetarum Oracula paucis enucleanda sunt; unum *Amosi V. 23.* alterum *Hoseæ VII. 14.* Prior locus sic habet: *Auferaame* מעלי *Mealai* desuper me, *tumultum* [המון *Hamon turbam*, Arias M. vertit: LXX. habent ἦχον *sonitum*, proprie multitudinem cum tumultu frementem significat, ut & Chaldaicum h. l. אתרגושת *Ithraguschet*, unde & Sanctius h. l. ait tumultum vocari rixantium, & frementium confusos & informes sonitus,] *carminum tuorum: & cantica Lyræ tuæ* (cantum Nabliorum tuorum Arias M. ad literam, LXX. ψαλμὸν ὀργάνων σε, Chald. pulsationem aut modulationem citharæ tuæ) *non audiam*, Posterior ita sonat: *Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis* (in lectulis suis, Chald. quos Hebræi proprie accipiunt, in quibus noctu in incumbentium malorum recordatione & sensu excruciati fuerint, vide R. AbenEsra & R. Kimchi: Hieronymus metaphorice intellexit de idololatricis conciliabulis, quæ quasi cubilia & ferarum lustra fuerint, inque quibus volutarentur in idololatriæ fornicationibus; quem sensum textus συνάφεια videtur exigere) *super triticum & vinum ruminabant* (proprie יתגוררו *Jthgoraru* congregationem aut conventum significat: Indicat ergo tantum gulæ & ventris causa cœtos sacros celebrasse. Vulgatus ostendere voluit eos jumentorum fuisse similes, exponente Hieronym.

nym. At LXX. legunt κατετέμνοντο *dissecabantur*, ut *Baalitæ* puta, qui se juxta ritum suum incidebant cultris & lanceolis. 3. Reg XVIII. in gratiam Dæmonum brachia & pectora dispungentes, *Theophylactus h. l. quod & Cyrill. Theodoret. Hieron. &c.* referunt) Hæc duo loca ostendunt 1. *Sacra apud Israëlitas Musicis concentibus condecorata fuisse*: quod ex divino instituto solemne fuisse docuit D. Franz. Scholæ Sacrif. Disput. III. thes. 56. &c. Eum in finem Deus ipse tubas duas argenteas fieri jusserat, Num. X. 10. Sic apud Ethnicos quoque *tubarum* fuit usus antiquissimus in sacris, primusque Romanos Numa.

Pacis opus docuit, jussitq; silentibus armis
Inter sacra tubas, non inter bella sonare.

Calphurn. Eclog. 1. de ceteris instrumentis musicis in Divino cultu adhibitis, eorumque tota ratione diligenter egit *Prætorius Syntagm. Mus. Tom. 1. p. 1. Membr. 4.* De usu musicæ in sacris Gentilium *Stukius de sacrif.* Quid ergo II. Causæ fuit, *ut* locis his *Deus se aversari ejusmodi musicam protestatus fuerit!* Non una! Nam si 1. *Personas canentes*, earumque spectare animum; impii erant idololatræ. Pulchrè itaque *cantica idolis servientium, non carmina in Deum, sed ululatum appellat*, Hieron. in cap. VII. Hos. cit. & mox de hæreticis ait: *Quicquid loquuntur & putaverint se in laudem Dei dicere, ululatus luporum, & Baccharum insanientium sonitus est.* Idem in Amos V. cit. *Non est pulchra laudatio in ore peccatoris: & hæreticorum composita laudatio, tumultus est Domino, &, ut ita dicam, grunnitus suis, & clamor asinorum.* Notum est in eam rem antiquum illud & non inelegans:

Non vox, sed votum, non musica chordula, sed cor,
Non clamans sed amans, cantat in aure Dei.

Quam multi sonant voce, & corde muti sunt? & quam multi tacent labiis, & clamant affectu? Augustin. in Psal. CXIX. *Organum quivis nostrum est, cum Deo mores suos & vitam probat, & hominum commodis aptus est.* Isidorus Pelus. l. 1. Epist. 364. 2. *Si objectum* considerarent catilenarum; etsi videri volebant illi, canere *Deo Jehovæ*, tamen non nisi *Baalibus* modulabantur, *& vitulis suis:* quod Hieron in Amos. l. c. observat, & Deus ipse interpretatur, ibid. ℣. 25. Templa & sacella eorum *cubilia* erant, in quibus animas suas impurissimis dæmonibus corrumpendas prostituebant. *Sic equis coëuntibus hymen canitur tibia, ἱππόθορον vocant musici. Sic cervi in laqueos fistularum cantu ducuntur.* Clem. Alex. l. II. Pædag. cap. 4. Si 3. *formam* ipsam exputaret: Assæ vocis modulamina nimis bruta fuisse videntur, nimis barbara: *Ululatus* erant, *ὠλολιζὸν muliebriter ululabant*, LXX. in Hos. l. c. quod ipsum in sacris Gentilium usitatum verbum est, de quo apud Stuk. multa l. c. p. 152. ubi Eustathius verbo: ὀλολύζειν γυναικεία ἐυχὴ λιγύφωνος, *ululatum esse fœmineam precationem canora voce.* Confer Cyrill. in Hos. l. c. Erant tumultus, & fremitus confusi clamoris, Ein Geplerr/ D. Luther. in Amos. Nec sine superstitione stulta, quasi Dj dormientes sic excitandi essent. *Deus non vocis, sed cordis auditor est, sicut & conspector. Dæmonium Oraculi Pythii: & mutum, inquit, intelligo, & non loquentem exaudio: Dei aures sonum exspectant?* Tertull. de Orat. cap. 13. Βοῆς δ' δεῖσθαι θεὸς, διαθέσεως δὲ μᾶλλον τῆς εἰς νοῦν ἢ καρδίαν, *Clamore non eget Deus, sed mentis potius affectu*, Cyrill. l. cit. Barbara ergo erant Israëlitarum cantica, quæ voce assa canebantur; at quæ fidibus aut tibiis ceterisque instrumentis Musicis nimis puto delicata, non ad pietatem, sed ad lasciviam excitandam comparata. Certe, quod de suo ævo conqueritur Saresberiensis Episcopus, 1. Policrat.

cap.

cap. 6. *Ipsum cultum religionis incestat, quod ante conspectum Domini in ipsis penetralibus sanctuarii lascivientis vocis luxu, quadam ostentatione sui muliebribus modis notularum articulorumq; cæsuris, stupentes animulas emollire nituntur.* Et mox: *Cum hæc quidem modum excesserint, lumborum pruriginem quam devotionem mentis poterunt citius excitare.* Eandem de Musicæ vocalis & instrumentalis in sacris abusu, antiquiores Ecclesiæ Doctores deplorarunt querimoniam. Sic Hieronymus in cap. V. ad Ephes. reprehendit, *quod ii quibus canendi in Ecclesia officium est, in Tragœdorum morem guttur & fauces dulci medicamine collinerent, ut in Ecclesia theatrales moduli audirentur, & cantica.* Addit elegans dictum: *Quamvis sit aliquis, ut illi solent appellare καν-φωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur* &c. Ejusmodi fuisse musicam sacrificam apud Israëlitas idololatras, conjectura colligo, dum 4. *Finem inspicio:* Quis ille? alius in *prætextu*, alius in *recessu:* Hic verus; ille fictus; uterque sceleratus. *Verus:* Super musto & tritico ruminabant, *ventricola* ut solent & pecora ventri nata; ubi *agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet*, juxta Tertull. de Jejun. adv. Psychic. cap. 17. Comedebant peccata populi, Hoseæ IV. 8. cum meretricibus conversabantur, cum effœminatis sacrificabant ibid. ℣. 14. Super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare, & vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui. Amos II. 8. Gulæ comes ibat libido. *Monstrum scilicet haberetur libido sine gula, cum duo hæc tam unita & concreta sint, ut si disjungi omnino potuissent, ipsi prius ventri pudenda non adhærerent*, Tertull. loc. cit. cap. 1. princ. Eo faciebant molliculæ illæ modulationes, Sirenarum quasi concordia, & fidium teretismata, & tibiarum moduli verticordes. Ita enim

enim fit. *Invenimus frequenter* ait S. Valerianus, *ita impudicitiæ viam muniri, atque ex hoc adulteriis fomenta administrari, cum hic agili plectro tinnientis citharæ sonos expedit, ille docili digito laborantis organi blandimenta componit.* Mox: *Sic frequenter videmus blandis sibilis aves decipi, & hebetes feras in laqueum mortis dulcedine vocis impelli, &c.* Serm. 6. Interea *in fronte* præse ebant religionem, & pietatis cerussa pingebant intercutem libidinis turpitudinem. Sic Deum coli putabant, sic placari, utrumque insanissime. Noluit se Deus ita coli. Non quod instrumenta musica omnino respuerit, sed quia voluerit, ut *in tympano & psalterio manus ita concinat voci, ut impleatur opere, quod ore cantatur*, Prosper in Psal. CXLIX. Sic accipio, quod in Amosum scribit S. Cyrill. *Deam cum festis & inutilibus sacrificiis repudiare* τὰς ὀργανικὰς εὐφημίας, *nolle a rebus inanimis gloriam suam celebrari, honorem hunc illis potius velle communicatum, qui ex pura virtute vocem emittant.* Denique addit hæc fuisse Ἰουδαϊκῆς ἀβουλίας εὑρήματα *inventa judaicæ temeritatis*, inde dici: *Psalmum organorum* tuorum *non audiam. Tantum enim non dicit*, non meum, *res enim extra legem est, & de istiusmodi instrumentis musicis nil præcepit Moses*, hæc ille. Stulte ergo illi præcipuum in eo Dei cultum ponebant, in quo nullus *per se* esse poterat, quod Dei præcepto & instituto careret, παρέργον ergo non ἔργον esse debebat colentium Deum, musica. Sed illud adhuc stultius, quod *persuasi erant his blandimentis moveri & capi Deum*, & ad mitiorem sententiam flecti. *Etiam Dii sertis coronis afficiuntur, & floribus? Etiamne aeris tinnitibus, & quassationibus cymbalorum? Etiamne tympanis? etiamne symphoniis? quid efficiunt crepitus scabillorum? ut cum eos audierint Numina honorifice secum existiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant? An nunquid, ut parvuli pusiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exter-*

exterrentur auditis; eadem ratione & omnipotentia numina tibiarum stridore mulcentur, & ad numerum cymbalorum mollita indignatione flaccescunt? ut hæc ex Arnobio huc exscribam, lib. VII.

CAP. XIX.

Filius Dei cur apparere solitus sit in Podere Sacerdotali?

QUi Johannem Evangelistam *manu* de more *imposita* N. Testamenti prophetam ordinavit, apparuit ei similis Filio hominis, *vestitus Podere Sacerdotali*, zona aurea alte cinctus, inter candelabra septem aurea deambulans, ut se Regium Pontificem Novi Testam. summum & unicum declararet, ad quem & cura candelabrorum in Ecclesia sua Exod. XXV. 31. & XXVII. 21. & orbis universi imperium spectaret. *Poderem* Isidorus l. XIX. Etymol. c. 21. sic describit: *Poderis est tunica Sacerdotalis linea, corpori adstricta, usq; ad pedes descendens: unde & nuncupatur. Podas enim Græci pedes dicunt. Hac vulgo Camisia vocatur.* Sequitur Hieronymum, cujus ad Fabiolam Epistola est, *de veste sacerdot. in Inventar. part. II. Tract. 1. Epist. 11.* Nec Suidas aliter: ποδήρης ἕως τῶν ποδῶν χιτών. Crediderunt ita dici *interulam lineam*, quæ Hebræis כתנת *Ketonet*, unde Græcum illud χιτών. Fuit Sacerdotalis tunica communis, Exod. XXVIII. 40. At qui diligentius rem expendunt, *Poderem* censent fuisse *tunicam exteriorem hyacinthinam*, sive coloris violacei, quæ summo Sacerdoti fuit, & מעיל *Mehil* dicebatur. Ea enim a LXX. Exod. XVIII. ut & a Sirac. cap XLV. 10. & auctore Sapient. c. XVIII. 24. *Poderis* dicta, de qua re disputat in Apoc. I. 13. Corn. a Lap. Isidor. sic ex Hieronymo depingit, l. c. *Machil est tunica talaris* (ποδήρης id est

est ποδηνεκὴς) *tota hyacinthina, habens ad pedes 72. tintinnabula, & totidem intermixta ac dependentia punica mala, cum Ephod, Epomide* Leibröcklein / *erat conjuncta, unde & tunica Ephod dicebatur, Ephod autem, super humerali* Vulgato, erat Θωρηκοειδὲς *simile thoraci*, in quo duæ gemmæ Sardonyches, hinc inde utroque in humero, fibularum vice, quibus duodecim nomina filiorum Jacobi insculpta; ut & pectorale adhærens, quod Græci λόγιον Latini *Rationale* dixere, in quo duodecim gemmæ, & celeberrimum Oraculum *Urim & Thummim*, de quo alibi, vide Riberam de Templo l. III. cap. 9. &c. Quid habitu isto sacerdotali significare voluerit Filius Dei, ordinans Johannem & quasi consecrans, aliter atque aliter exposuere Interpp. Ego observo, quod nescio an alius ante observârit: Sic apparere solitum, *cum se universi Dominum & Ecclesiæ inprimis suæ patronum & patrem vellet demonstrare.* Sic enim visus fuit Alexandro, Macedonum Regi, in Dio Macedoniæ Urbe. Nota *ex Josepho* historia est. Alexandro infenso animo expugnata Tyro Hierosolymam cum exercitu petenti, Jaddus divino monitu cum reliquis Sacerdotibus, solenni cultu sui ordinis, subsequente populo, albatis vestibus, festivum in morem exornato, occurrit, coronata urbe, apertis portis, excepturus. Quo spectaculo animi mutatus Alexander, DEI nomen, quod *in tiara capitis aureæ lamine insculptum* præferebat Jaddus, demisse adorat, sacerdotem amice salutat, stupentibus Syriæ Regibus, & cum exercitu omnibus ducibus. Parmenio familiariter interrogans; quid ita, cum ipse adorari soleret ab omnibus, nunc Judæorum Pontificem tantus Rex adorasset? hoc tulit responsi: se non Pontificem; sed Deum illum, cujus hic esset Pontifex adorasse. Hunc enim, inquit, in hoc ipso habitu, cum adhuc in Dio Macedoniæ essem, vidi, qui me, quomodo Asiam subigerem deliberantem, bono esse animo

mo

mo jussit, hortatus, ut sine mora exercitum trajicerem: ipsius me ductu Persarum imperio potiturum &c. *Hæc Josephus l. XI. Antiq. cap. 8.* Imitatus est Leo R. P. Jaddi exemplum, Attilæ occurrens eodem modo, Romam petenti, eventu non absimili. Nam Tyrannus ille immanissimus percunctantibus postea suis, cur precibus & monitis Pontificis flecti se passus, urbi pepercerit? vidisse se respondit, adstantem ei virum quendam senili canitie, forma augusta, habitu sacerdotali venerabilem, qui gladio evaginato mortem esset interminatus, ni petitis Pontificis obsequeretur. *Recitant historiam Centur. Magdeburg. Cent. V. capite 13. pagina* 1489. Eundem Tyrannum Lupus Episcopus Trecensis in Gallia ab urbe sua amolitus est, simili processione ei occurrens: Nam cum gravitate verenda interrogasset Attilam; quis esset, qui terram ita dissiparet & conculcaret? Respondisseque is, esse se Dei flagellum; jussit Episcopus illico portas urbis aperiri, Attilamque solemni salutatione: *Salve flagellum Dei!* exceptum, introduxit, quem cæcitate percussum transisse sine cujusquam injuria perhibent historiæ. *Ibid. Cent. V. c. 10. pag.* 1370. Habes parallelum *Cent. 13.* Episcopi Thomæ, qui Ratiboriæ obsessus ab Henrico Duce Uratislaviensi, quo exul confugerat, ut exitium ab urbe hospita averteret, sacerdotali ornatu, cum quibusdam Sacerdotibus, exilii sui comitibus, infenso Duci se objecit. Qui a longe venientem conspicatus, e papilione exiliens, ad pedes se ejus abjecit, culpamque deprecatus in integrum eum restituit, vide cap. 3. pag. 23. Atque eo spectat quod Sap. XVIII. 24. est: *In podere fuisse ὅλον τὸν κόσμον universum mundum, & Patrum gloriam in lapidum sculptura πετρασίχῳ, & ipsam denique Jehovæ μεγαλοσύνην in Diademate capitis.* Quod *Philo* explicat *l. II. de Monarchia*, non longe *a princ. & Josephus l. VI. de Bello cap. 6. ut & Hieronymus ad Fabiol. l. cit.* sensu tamen non omni-

no

no pari. Hieronymus *cur summi Sacerdotis vestis mundi imaginem præferret*, hanc ait ab Hebræis causam commemorari; quod justum sit, *ut Pontifex creatoris non solum pro Israel, sed & pro universo roget mundo.* At Philo hanc esse causam docet; ut admoneretur *Pontifex, quo sacris operando totum mundum deprecatorem alleget.* Decet enim ut Patris Sacerdos *Filium* hunc ejus Mundum ad preces votaque adhibeat. Vidit forte veram causam, sed in caligine & tenebris, quas nimium Platonicæ Philosophiæ studium offudit. Exploratissimæ enim veritatis est, Summum Vet. Test. Sacerdotem personam & imaginem Filii Dei, unici μεσίτου ἡμῶν ἱκέτου nostri, sustinuisse, cujus *regia & sacerdotalis vestis* quasi est τὸ πᾶν totum hoc universum Psalm. CIV. 1,2. *Mala Punica* regna mundi sunt. [LXXII. Tot enim linguas & populos esse tradiderunt, vide Interpp. in Genes. X. 32. & Deut. XXXVII. 8.] *Tintinnabula* harmoniam & consensum Mundi partium Philoni significant: verius concentum omnium per orbem fidelium, Evangelii voce ad Regnum Christi vocatorum: aut ipsam illam omnium regnorum totiusque universi in Dei gloriam symphoniam, de qua supra cap. 16. ex Psal. XIX. 1. 2. 5. Rom. X. 18. Ita Cyrillus Alex. *urbes ac provincias in malis granatis* considerat, *in tintinnabulis Doctores ac Magistros.* l. XI. de Ador. in Spir. Clemens Alexand. quoque docet vestem Pontificis talarem sensilis Mundi signum esse: *Tintinnabula* vero, quæ putat fuisse numero DCLXVI. [vel CCCLXVI. verius] *tempus annuum* denotare. Prosper numerat solum *quinquaginta*, hæc ex Lorino in Sap. XVIII. Quæ apud suos auctores quærat, qui volet. Mihi ad alia festinanti non libuit. Constare puto, Dominum sacerdotali isto habitu indicare voluisse: *Datam sibi ut Filio hominis omnem potestatem in cœlo & in terra!* Matth. XXVIII. 18.

CAP.

CAP. XX.

Principatus Meßiæ quomodo in ejus humeris?

EX iis, quæ proxime attulimus *de ſacerdotali ornatu* lucem accipit pulcherrimum illud *Eſaiæ* de Chriſto Oraculum; *cap. IX. 6.* Chaldæus ſic παραφραζει: *Parvuius natus eſt nobis, filius datus eſt nobis: & ſuſcepit legem ſuper ſe, ut ſervaret eam: & vocabitur nomen ejus a facie Admirabilis, conſilii Deus, vir permanens in æternum, Chriſtus, cujus pax multiplicabitur ſuper nos in diebus ejus.* Reliqua nunc non excutio: Quid illud; & erit המשרה *Hammiſra, id eſt* ἀρχὴ LXX. *principatus* ejus; [*Aquila* verbi ambiguitate deceptus μετρον *menſuram* interpretatus eſt, quæ Hebræice & Latine eodem appellatur nomine משורה *Meſura*, Hieron. in h. l.] *ſuper humerum ejus?* variæ ſententiæ. Chaldæo *Lex* Principatus Meſſiæ eſt, ſive quia Regni ejus inſtrumentum, ſive quia quaſi ſceptrum eſt. Sic David: *Virga Regni tui, virga æquitatis*, Pſalm. XLV. 6. confer Pſalm. CX. 2. Eſai. II. 2. 3. Ita quod Heſiodus cecinit de Minoë: *Jovis ſceptrum habuiſſe, quo civitates rexerit:* explicat Plato. *Sceptrum Jovis nihil aliud dixiſſe eum, niſi Jovis doctrinam, qua Cretam omnem moderabatur*, in Minoë ſive de Lege. Hieronymus vero ait: *factum dici principatum Meſſiæ ſuper humerum ejus; vel, quod crucem ſuam ipſe portaverit: vel per humerum oſtendi brachii fortitudinem.* Principatus ergo ejus crux, quia ejus inſigne. Morem autem fuiſſe, *ut quædam poteſtatis inſignia in humero, ut loco omnibus conſpicuo, circumferrentur*, docet *Philippus Presbyt:* Hieronymi diſcipulus *in Job. cap. XXXI. 36.* vide Eſa. XXII. 22. Quod tamen negat Tertullianus:

Quis omnino Regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliquam propriam vestis notam? Sed solus novus Rex seculorum, Christus Jesus, novæ gloriæ & potestatem & sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet, ut secundum superiorem prophetiam, exinde Dominus regnaret a ligno, adv. Judæos cap. X. At si posteriorem Hieronymi expositionem eligimus, ut *humerus* positus sit *pro forti brachio*, possit ἡ ἀρχὴ intelligi vel de regno *potentiæ*, vel de *gratiæ*. De priore, ut Hebr. I. 3. Colos. I. 16. Psalm. XCV. 4. Actor. XVII. 28. Sic apud Eusebium pingitur *Dei aliquod simulachrum* ἀνθρωποειδὲς *complicatis pedibus, & in capite ferens pilam, veste talari aurea* l. III. Præpar. cap. 3. de posteriore D. Lutherus Tom. V. Witteb. Germ. p. 267. Quia 1. semel nos nostraque delicta in se suscepit, Esa. LIII. 4. 2. Semper suos succollat, ut aquila pullos Deut. XXXII. 11. ut mater liberos Esa. XLV. 3. & LXVI. 12. ut pastor agnos Esai. XL. 11. Luc. XV. 5. Hoc est quod *mala punica* in extrema poderis fimbria *circum pedes* jacent; at nomina XII. Patrum *in pectore* fixa hærent, *in humeris* gestantur, Exod. XXVIII. 33. & ℣. 9. ibid. Sic septem stellæ in manu filii hominis, Apoc. I. 13. 14. In humeris sedes ponebatur olim *Genio*: unde ex humerorum repentino subsultu divinatio fuit, *Salis satio* dicta, Joh. Saresber. l. 1. Policrat. c. 12. *& apud Ægyptios vicatim aliis dexter humerus Deus fuit, aliis e regione siniſter*, Lucian. in Jove Tragœdo. Iidem humeri *fortitudini* dedicantur, ut oculi prudentiæ, aures obedientiæ, pectus consilio &c. Hinc illa: *Rempubl. universam humeris suis sustinere*, Cicero pro Flacco: τὰς ἁπάντων φροντίδας κατωμαδὸν ἀρόμενος φέρει, *omnium ille curas humeris susceptas fert*, Synesius in Epist. *Bellorum inundantium molem humeris suis vehens, scindebatur in varias curas*, Ammian. Marcell. Ita apud Poëtas

— *ma-*

—— *maximus Atlas*
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Verus Imp. qua die adoptatus est, in somnis se *humeros eburneos* habere vidit, *Jul. Capitolinus in Antonin.* & apud Artemidorum est; *crassos & carnosos humeros fortitudinem & felicitatem portendere* lib. I. cap. 42. Regnum splendida servitus est!

CAP. XXI.

Melchisedech panem & vinum cur Abrahæ obtulerit?

VArias regii hujus facinoris causas adferunt Interpp: omnes examinare nunc non libet. *Geminum* Abrahæ *honorem* a Rege exhibitum observo, & quidem de more, contestandæ benivolentiæ. *Primus* is fuit, quod in locum, cui ab isto congressu, postea *Campo Regio* nomen mansit, gratulabundus *occurrit*. Datum hoc est Abrahæ *potentiæ*, quem Deus etsi exulem, Regibus tamen ipsis formidabilem fecerat; & *victoriæ*: Sic enim occurrere triumphantibus mos fuit; & *Sapientiæ*: nam & huic talis aliquando honor habitus. Exempla obvia sunt in sacra profanave historia. Sic excipit fratrem reducem Esau, non sine ostentatione opum, & regno non imparis potentiæ, quasi tenuitatem Jacobo exprobans, Gen. XXXII. 6. & XXXIII. 1. Sic triumphantibus virginum chori ibant obviam cum tripudiis & epiniciis, Judic. XI. 34. & 1. Sam. XVIII. 6. Sic, puto, Israelem jubet Deus sibi occurrere. Amos. IV. 12. quanquam non lætabundum sed supplicem, & humili cum deprecatione agnoscentem iterum, quem dudum spreverint, Dominum. *Sic Cæsari pacatis bellis civilibus obviam itum est quam longissime a coronatis tam Senatoribus, quam ce-*

tero populo, ut habet Appian. de Bell. Civ. lib. V. Triumphantibus id de more tributum, docet *Alex. ab Alex. Gen. dier. l. VI. cap. 6.* Id singulare, quod Vitellius Lugduni *universum exercitum occurrere filio infanti jussit, perlatumque & paludamento opertum, sinu retinens Germanicum appellavit, cinxitque cunctis fortunæ principalis insignibus*, Tacit. II. Histor. Denique ut antiquitatem moris vel inde discas, finxit Homerus Iliad. A. *Jovi domum repetenti, Deos omnes surrexisse obviam:* quodque *Sapientiæ* id honoris delatum aliquando diximus, Plinius celeberrimo exemplo it firmatum: *Platoni Dionysius Tyrannus, alias superbiæ, sævitiæque natus, vittatam navem misit obviam. Ipse quadrigis albis egredientem in litore excepit*, Hæc ille Lib. VII. cap. 30. *Alter honos fuit oblatio vini & panis quasi honorarii.* Sic enim *Hugo Victor. apud Pererium in Genes. cap. XIV.* hoc regium factum simplicissime & optime interpretatur: *apud priscos oblationem panis & vini venientibus ex bello, pacis & benivolentiæ Symbolum fuisse.* Quod & Hebræi apud Paul. Fagium testantur, & exempla, qua sacra, qua profana, confirmant, vide Deut. XXIII. 3. Jud. VIII. 5. 15. Nec dubium, quin mos inde a Romanis ad nostra usque derivatus tempora, hospites majoris fortunæ excipiendi *vino, frumentoque honorario.* De isto Isidorus l. XX. Etymol. cap. 3. *Honorarium vinum quod Regibus & potentibus honoris gratia offertur.* Cato de Innocentia sua: *cum essem in provincia legatus, quamplures ad Prætores & consules vinum honorarium dabant, nunquam accepi nec privatus quidem:* De hoc Cicero in Pison. *Qui modus tibi fuit frumenti æstimandi? qui honorarii? siquidem potest vi & metu extortum, honorarium nominari?* Sic Imperatoribus cum exercitu appropinquantibus, in benivolentiæ pignus, *commeatus in viam deferebatur*, quod ab Alpinorum castellorum incolis

incolis Annibali factum. *Livius l. XXXI. & Polybius l. III.* retulerunt. *Advenienti*, inquit hic, *obviam procedunt, florentes capite corollas gestantes, quod fere apud Barbaros pacis atque amicitiæ signum est, quemadmodum apud Græcos Caduceus*, &c. Ille vero: *Annibal*, ait, *nec temere credendo, nec aspernendo, ne repudiati aperte hostes fierent, benigne cum respondisset; Obsidibus, quos dabant, acceptis, & commeatu, quem in viam ipsi detulerant, usus; nequaquam, ut inter pacatos, incomposito agmine duces eorum sequitur.* Pertinent huc *Xenia* Provincialibus Magistratibus, eorumque comitibus data, & *Lautia* Legatis, *de quibus Plutarch. in Quæst. Rom. Stukius in Conv. Antiq. l. I. cap. 27. Paschal. de Legato cap. 35.* ubi, quæ huc faciant, plura.

CAP. XXII.

Dei Imago similis Jaspidi & Sardio.

MIra apud *Johannem Evangelistam cap. IV. Apocal.* ℣. 3. visio est, qua Dei Patris, decreta voluntatis suæ, per Agnum Dei, filium suum, Ecclesiæ revelantis, majestas adumbratur, paucis explananda. *Ecce*, inquit, *sedes posita erat in cœlo, & supra sedem, sedens. Et qui sedebat, similis erat adspectui lapidis Jaspidis & Sardii.* Varias variorum Interpretationes qui volet apud Corn. a Lap. legat, quas in rem fore putavero, mox allegabo. Non dubito autem, quin eadem imago fere reperiatur *apud Ezechielem, cap. VIII. 2.* quam & Alcasar confert cum hac nostra. Sic autem ille: *Et vidi, & ecce similitudo quasi adspectus ignis: ab adspectu lumborum ejus, & deorsum ignis; & a lumbis ejus & sursum quasi adspectus splendoris, ut visio electri.* LXX. sic habent: *Et vidi, & ecce similitudo viri*, ὁμοίωμα ἀνδρὸς &c. reliqua consonant. *Virum Hebræus sermo non continet*, ait Hieronym.

ronym. l. III. Comm. in Ezech. Addit: *& hoc considerandum, quod non ipsas videat veritates, sed similitudinem ignis: & mox; pro splendore*, inquit, *qui in Hebraico dicitur* זוהר *Zohar*, auram *Theodotio transtulit; ut in supernis Dei refrigeria demonstret.* Chaldæus ita: *& vidi, & ecce adspectus ignis, adspectus gloriæ, quam oculus non possit videre, neque contemplari in illam*, &c. Confero 1. *visionis objecta.* Vidit Johannes aliquem in throno sedentem, utique aliqua specie hominis, Regis & Principis, qualem situs iste requirit, cui & dextram pingit cap. V. 7. Faciem tamen totiusque imaginis lineamenta colorum luce abscondit. Nec aliam vidit effigiem Ezechiel, quod LXX. exprimunt, cujus etiam manum appinxit, ν. 3. Per vocem דמות *Demut*, non dubito, quin significet hominis imaginem, *ait Calvinus in Ezech. XI.* Objectorum *colores*; & quidem partim eorum *species*; vidit enim Ezechiel *speciem ignis*, supra tenuioris, cujus color exit in flavedinem, qualis apparet *in electro*, sive succinum ita dicas, ut Philemon *apud Plin. l. XXXVII. cap. 2.* sive aurum, ex argenti quinta portione admista, subpallescens, *ut idem Plin. lib. XXXIII. cap. 4.* subtus vero densioris, atque ideo *rutili* & vere ignei: Non admodum differunt colores, quos vidit S. Johannes, Nam & inter *Jaspidum* varia genera, *XVII. numerat Isidorus lib. XVI. Etymol. cap. 7.* est quædam *aerizusa*, aëri similis, ut ait Plinius, aut cœlo autumnali matutino *lib. XXXVII. cap. 8.* viriditatis nempe dilutæ, ac in pallorem abeuntis; quomodo *apud Hippocratem Galenus* χλωρὸν interpretatur ὠχρόν. Idque ait in usu loquendi fuisse apud Asianos, ut *viridem pro pallido* dicerent. Scaliger Exercit. 325. Sect. 16. *Sarda* autem rubra & sanguinea fere gemma est, laudatissima in anulis signatoriis, quod & sculpturæ non resistat, & de cera nihil soleat retinere. *Plinius XXXVII. cap. 7. Epiphan.*

phan. de Lapid. &c. Hebræis אדם *Odem* dicitur, a rubore; prima in pectorali Aaronis, Exod. XXVIII. 17. etsi alii *Rubinum* vertant, alii *pyropum*. Differentiam tamen aliquam in visione agnosco utraque. Quia in Novo Testam. lux clarior quam in veteri. Ab ejus excessu visorium lædente, & suborienti inde caligine fit *color flavescens*; viridior, *igneus*; sanguineus, puniceus. Nam ex flavo & nigro fit viridis. Et nigra igni addito φοινίκεον *punicea evadere*, ait Theophrastus apud Scaliger. l. cit. Utrumque colorem pingit ingeniosissimus Poëta in Regia Solis, quæ illi

Clara micante auro, flammasque imitante pyropo.

Nec alia de causa quidam *nivem purpuream*, & *cygnos purpureos* dixere, quod oculis luce nimia offensis ita appareant. Sed & belle convenit S. Johanni cum Ezechiele, si *situm* colorum comparemus. Nec enim imago visa illi colores istos habuit inter se confusos, sed omnino distinctos. At quomodo? Non dubito ita apparuisse lumborum tenus discretos, quomodo Ezechiel exposuit. Eum situm *& ignis exigit ingenium*, cujus partes densiores subsidunt, tenuiores alta petunt: illis color saturatior & plenior; his remissior, ac sensum fugiens & evanescens: & *rei ipsius mysterium*: Quam ob rem spectanda quoque III. *Mystica significatio*. Et sane, ut apud Ezechielem, putant *splendore electrino* Dei in supernis mansuetudinem: *igni autem flammeo* ejus apud inferos vindicem Zelum denotari; *vide Hieron. & Calvin. cit.* Sic adumbratam censent aliqui a Johanne, vel 1. *infinitam Deitatis præcellentiam*;

Auro quid melius? Jaspis. Quid Jaspide? virtus.
Quid virtute? Deus. Quid Deitate? nihil.

Notum enim, quod nescio, quo hominum calculo, cal-

culi isti *terræ minutalia*, prima rerum pretia sibi vendicaverint. Sed recte tamen observatum ab Areta, *ad pretia istorum lapidum non fuisse respectum.* Ratio; quia alias *cum Adamante potius, aut Opalo*, de quibus Plinius l. XXXVII. cap. 4. & 6. comparanda fuerat divina majestas: vel 2. *inexplicabilem virtutis eminentiam*; Galenus *jaspidem* experimento proprio docet juvare stomachum, ori ventris appensam: Dioscorides postquam varias ejus recensuit species, omnes, ait, esse *amuleta, & femoribus appensas accelerare partus.* Isidorus: *Volunt*, inquit, *quidam jaspidem gemmam & gratiæ & tutelæ esse gestantibus, quod credere, non fidei, sed superstitionis est.*

Caste gestatus febrem fugat, arcet hydropem,
Appositusque juvat mulierem parturientem:
Et tutamentum portanti creditur esse,
Nam consecratus gratum facit atque potentem.

canit *Marbodeus Britannus Poëta, Episcopus Redonensis, circa annum 1150. apud Balæum.* Aretas hæc habet in Apoc. h. l. *Jaspidem viridem significare sempiternam vitæ productionem* &c. dici quod τῷ ἀσπίδος veneno *aspidis sit similis, & ei congruat. Sardium* terrorem denotare, quia sit igni similis: *terrori quoque esse belluis atque monstris, & vim habere curandi: Mederi enim tumoribus applicitum, & vulneribus*, quod testimonio Epiphanii probat. Eadem legas *apud Andream Cæsariensem Episcop.* Sed in Græco textu, *cura Sylburgii edito*, mutila. *Vide Jungnitium in Apocal. & D. Joh. Cluverum h. l.* Nullam equidem video rationem, quæ me inducat, ut talia S. Johannem nobis voluisse adumbrata credam. Itaque alii 3. statuunt exprimi *clementem & justam Dei providentiam*, ut de Ezechielis visione prædixi. Sic Andreas modo citatus *Jaspide* vult denotari τὸ ἀεθαλὲς

λὲς ἢ τροφῆς χορηγὸν τῆς θείας φύσεως: *Sardio*, τὸ φοβερὸν τοῖς ὑποπνεύμοσι, quod Aretas, ut vidimus, exinde delibavit. Nec longe abeunt qui sic disputant: *Jaspis aquatici*; *Sardius ignei coloris est*. Indicata ergo *duo Dei judicia universalia*: quorum unum jam consummatum in cataclysmo per aquam; aliud autem consummabitur per ignem, *sic Victorinus, Rupert. &c.* Non respuo istam sententiam, sed addo significari inprimis, tum illic apud Ezechielem, quod me Chaldæus interpres docuit; cum hic apud Johannem. 4. *Invisibilem & incomprehensibilem Dei essentiam ac gloriam*, quæ primo quidem ut ignea lux oculos ferit; Sed si acrius intendas, *& a pedibus sursum adscendas* ad contemplandam Dei faciem, sic sensim elabitur, ut tandem omnem conspectum frustretur. Hoc est illud tritum: *Deum esse tenebras, post omne lumen, sola mentis ignorantia agnosci.* Et quod *Damascius* dixit: τὸ ἓν πάμφεγγον, *Unum illud omnia producit, unum colitur silentio: unum, ut Sol, eminus videtur obscure; & quo propius eo obscurius; proxime vero omnem omnino apprehensionem tollit.*

CAP. XXIII.

Mulieres quare propter Angelos jubeantur velare capita?

MUlier *potestatem* ἐξουσίαν id est κάλυμμα *velamen habere debet in capite propter Angelos.* 1. Cor. XI. 10. Morem antiquissimum, & apud plerasque gentes receptissimum fuisse, ut mulieres non prodirent in publicum nisi capite obvelato, multis docent *Stuk. l. II. Conviv. Antiq. cap. 28. Baronius ad ann. LVII. num. 84. Kirchmann. de Funerib. Rom. l. II. cap. XVI. Dieteric. Specim. Antiq. Biblic. p. 1. pag. 79. &c.* Sic *Hebræa* ab ipsis gen-

tis suæ incunabulis. Gen. XX. 16. & XXIV. 65. Dan. Fragm. XIII. 32. Sic *Spartanæ* Hebræorum consanguineæ 1. Macc. XII. 21. Plutarch. in Lacon. Apophtheg. *Arabissæ* unum liberabant oculum, ut dimidiam lucem fruerentur, Tertull. de veland. Virgin. cap. 16. *Romanis*

Lutea demissos velarunt flammea vultus,

Lucanus II. Martial. Epigramm. 79. Valer. M. l. VI. cap. 3. Catull. in Epithalam. Sic *Persicæ* Joseph. XI. Antiq. cap. 9. Sic *Turcicæ*, *Flandricæ*, *Hollandicæ*, hodieque &c. Eum pudorem commendat Corinthiis Apostolus variis de causis, inter alias & propter Angelos, Sacris Ecclesiæ interesse solitos. *Sed quare propter Angelos?* an, ne iis oculorum istiusmodi offensiones laquei fiant, & sagittas ab ista arce sua spargat impudicæ Veneris puer, quibus & Angelis, ne dum hominibus, cor effodiat? Crediderunt, qui Angelos a fœminis inescatos, natosque ex isto commercio Gigantes, ortumque inde Cataclysmum, Gen. VI. 1. Quasi diceret: *Debet ergo adumbrari facies tam periculosa, quæ usque ad cœlum scandala jaculata est.* Tertull. de Veland. Virg. cap. VII. *Fuit ea multorum antiquitatis, doctrinæ ac sanctitatis laude præstantium virorum sententia; Filios Dei, quos Moses narrat mixtos fuisse, cum filiabus hominum, Angelos fuisse*, ait Pererius in Genes. l. c. Disput. 1. ac observat (quod meminisse decet cum Patrum antiquissimorum vota sæpe numerantur potius quam ponderantur) *vel hinc manifestum fieri, quantos Ecclesia Christi, ab eo tempore ad hanc diem, in Sacrarum literarum scientia rerumque divinarum cognitione progressus fecerit? Nam multa quondam vel doctissimis viris aut obscura & dubia, aut etiam incognita, nunc vel mediocriter eruditis perspicua, indubitata, explorataque percepta sunt*, hæc ille. Ansam errandi dedit fabulosus *Liber Henoch*, ut indicat Ter-

Tertull. de Hab. Muliebri cap. III. E quo fabellam ad hanc rem recitat *Auctor Testamenti XII. Patriarchar. in Testam. Ruben*; nam postquam Ruben retulisset, quo pacto Balam incestu polluerit, Gen. XXXV. 22. nempe absente patre Jacobo, *Bala*, inquit, *erat ebria, & dormiens revelata jacebat in cubiculo, & ego ingrediens, & videns nuditatem ipsius, operatus sum impietatem*, &c. hæc subnectit: *Fugite ergo fornicationem filii mei, & præcipite mulieribus vestris & filiabus, ut non ornent se in capitibus, & visus earum castigent. Quoniam omnis mulier dolose agens in his, in punitionem seculi reservata est. Ita enim seduxerunt vigiles ante diluvium, & illi continuo videntes eas, affecti sunt desiderio ad invicem, & conceperunt mente operationem, & transfigurati sunt in homines, & in coitu virorum suorum apparuerunt eis, & illæ considerantes mente imaginationes eorum, pepererunt gigantes. Apparuerunt enim eis vigiles usque ad cœlum pertingentes* &c. Sed hæc de lapsu quorundam Angelorum fabula, ut ut antiquitatis lenocinio multis Ecclesiæ Doctoribus, ne dicam *Judæis & Mahummedi* ejusque assecłis arriserit, jam olim pastoritia fistula excepta & explosa est. Quid ergo? forte *de Angelis malis* locutus est Apostolus? nam ut eos quoque sacris conventibus intervenire certum est, Job. I. 6. Luc. VIII. 12. &c. Sic testis est experientia, *omnibus Faunis & Satyris esse salaciores*. Quod præter innumera Jovis, Martis, aliorumque adulteria, præter sceleratissima, quibus Ceres, Bacchus, aliique istiusmodi Cacodæmones celebrantur, mysteria, *de quibus apud Clem. Alex. in Protrept. Arnob. in V. adv. Gent. &c.* recentiores historiæ in aprico ponunt, *de incubis & succubis*, de quibus vide *Hondorff. Promptuar. in l. Præcepto, de Potestate Satanæ, Delrii disquis. l. II. Quæst. XV. & inprimis Strozzi Cicognæ Magiæ omnifar. l. III. cap. 3.* Respuit hanc Apostolici dicti expo-

expositionem *Guil. Estius*, sed non iis argumentis, quibus vero vincat: Ego vero non dubito, si Diabolos voluisset Apostolus hic cavendos monere, quorum hæc summa voluptas foret, si *Ecclesiam possent in Lupanar* convertere, non eos honesto aut certe medio nomine *Angelorum*, sed ad majorem horrorem incutiendum suo proprio, vocaturum fuisse, *cum Camerone in Spicileg. ad h. l. 1. Cor. XI.* Ergo præstat simpliciter accipere monitum hoc Paulinum, hoc sensu vulgato: *Omni in angulo reverentiam habendam suo Angelo*; cavendumque ne invereçundia, impudentia, lascivia, luxuria offendantur purissimi quasi illarum Mentium oculi, ubi illæ cum Deo Christoque Rege suo præsentes in omnium actus gestusque intendunt. Sic Nilus ad Anastas. Episcop. scribit, *Chrysostomum, tempore S. λειτουργίας vidisse non semel Angelos e cœlo descendentes, stolis indutos splendidissimis, magna cum reverentia demisso vultu circumstantes altare, moxque Episcopis & Presbyteris* τὴν χάριν παιμένοις τῦ σώματος καὶ τῦ αἵματος *in exhibendo Domini corpore & sanguine adfuisse.* Nisi mavis, fœminas ideo in capite debere signum præferre suæ erga viros subjectionis, quod ejus *in paradiso sancitæ testes fuerint Angeli*, &c.

CAP. XXIV.

Evangelium an ab Apostolis aut viris Apostolicis Americano orbi prædicatum?

QUod Apostolus ait, *exiisse sonum Evangelici præconii in omnes fines terræ*, Rom. X. 18. prædicatumque esse Evangelium *omni creaturæ quæ sub Cœlo est*, Col. I. 23. Id quomodo accipiendum sit interpp. pugna est.

Hyper-

Hyperbolen quidam esse contendunt, ut *Estius* in utrumque locum: *D. Quistorp. in Annotat. ad Coloss.* sequutus est, & explicat ex Rom. I. 8. & XVI. 19. ubi similis tropus sit. *Prædestinationis* patronis arridere hanc expositionem, memores non monendos duco. At nostri argumentis demonstrant, Deum omnium vocationem & serio decrevisse, & per præcones Apostolicos decretum suum exequutum fuisse, qua de re ex *D. Hopffneri Comment. in Psalm. XIX. D. Cundis. in Not. ad Comp. Theolog. Hutteri Loc. XIII. Quæst. 19.* ne alios innumeros dicam. Respondent illi: nunquam in novo orbe, ante nuperam hujus partis terræ detectionem, prædicatum Evangelium, certo constare. Hinc illa præfixa Quæstio. Ad quam breviter expediendam, nam materiæ amplitudo Iliadem exigat, dico; vel Apostolorum temporibus habitatum fuisse Novum orbem illum; vel non habitatum. *Si habitatus* fuit; non consequens est, ex eo quod ignoretur a nobis Apostolicæ profectionis modus, non profectos illo fuisse Dei viros, quos absit contemti mandati Dominici Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 16. &c. & sanguinis tot Gentium ac populorum, Ezech. III. 18. reos agamus. Itaque non dubitant nostri affirmare etiam in America sonuisse tubas Evangelii. 1. Quod ea jam tum non ignota fuerit, frequentata jam olim Regum sapientissimo, prædicata Midæ a Sileno, *apud Ælian. III. var.* celebrata a Platone & aliis, ut est *apud Lansium Consult. contra Hispan. p. 514.* 2. Quod præter Apostolum antiquissimi Ecclesiæ Doctores affirment, nullum exstare genus mortalium, quod nomen crucifixi Jesu non inaudierit, *sic S. Martyr Justinus in Dialogo cum Tryph. Tertullianus adv. Judæos c. 7. Arnobius l. II. ut Hilar. Chrys. Hieron. aliosque silens prætermittam.* 3. Quod vestigia quasi pedum Apostolicorum, multa quidem barbarie obducta quasi & obliterata, adhuc apud Ame-

Americanos exstent, Quo in loco primas tenent *Jucatanensium cruces*; quod insigne, ajunt, sibi a formosissimo homine in sui memoriam relictum, apud *P. Martyrem Decad. IV. cap. 1.* Iidem baptisinum administrabant post annum tertium infantibus, ut Græci & Asiatici, vocabantque regenerationem: Infantis parentes ad eum pie celebrandum parabant se precibus, jejunio, castimonia, *Hugo Grotius Dissert. 1. & 2. de Orig. Gent. American.* Addit, apud eosdem fuisse unctionem in fronte, peccatorum confessionem in morbis, honestam sepulturam, *ex Herrera.* Sed & qui Cumanam incolunt inter idola potissimum venerantur *Crucem decussatam*, quam credunt sibi præsidio esse adversus dæmones nocturnos, & collo infantium appendunt, *refert Lætus Antverp. de Orig. Gent. Americ. Observ. VI. pag. 192.* Mitto alia. Sic quidam ex nostris Americam quoque vestigiis Apostolicis tritam fuisse conjiciunt. Ego, quoties istam rem cogito, non induci possum, ut credam, iis temporibus Americam hominibus fuisse frequentatam: puto *Colonias Gentium, non ante, sed post Salvatoris tempora in remotiores a continente Insulas, inque hunc novum orbem, sive mari iis adeundus fuerit, divulsus a nostro, sive pedestri itinere, aut freto aliquo non lato, traductas:* Ita moderante divina providentia, ut, quæ non ante Turrim Babelicam & *confusionem Linguarum* in orbem habitabilem, vicinioresque insulas iissent dispersæ, nec ante prædicatum *labio electo* Jesum, nec ante perfide spretum, in tam longinqua mitterentur exilia, ubi qui Dii quasi mortales esse noluissent, homines quoque exuerent. Firmant conjecturam hanc varia, quæ ut aliud agenti, ἔργῳ intento non παρέργῳ, obiter in mentem venere, communico 1. A conditu Mundi nullæ fuere frequentiores Gentium transmigrationes, quam post promulgatum Evangelium, cum totus Septentrio, quem

quem ut Scanziam Insulam *Jornandes de Reb. Goth. officinam Gentium & vaginam Nationum* vere dixeris, divina quasi agitatus manu, immensum mare evomuisset barbararum Gentium, in vindictam calcati Evangelii & abjectæ salutis. 2. Invenio in historiis ab illo tempore demum, Insulas a Continente longius absitas, aliaque loca ab hominibus occupata, ante vasta & inculta jacuisse. *Japonia*, tam late diffuso spatio, tam non inclemente cœlo, regio non infœcunda, si cultura accedat, tot hodie urbibus, imo & regnis habitata, sexcentesimo abhinc anno, & quod excurrit, primos incolas accepit, exules e Sinarum solo ejectos, ut *Xaverius* prodidit, *qua de Varenius in Descript. Japon. p. 1. cap. 3.* Ea tamen ab urbe *Liampo*, quæ Sinarum regnis in ortum limes est, ad summum distat sexaginta Leucis, *ibid. cap. 1. Islandiam* Norwegorum coloniæ primum occupavere anno Dom. DCCCLXXIV. ut *Arngrimus Jonas refert.* Gronlandiam primus reperit, vocavit, coluit *Ericus Ruffus*, anno Dom. DCCCCLXXXII, *Idem apud Lætum l. cit.* confer tamen *Grotii Dissert. alter. pag. 7. & 8. ubi Herrera:* auctores gentis Mexicanæ mare transiisse circa annum Dom. DCCCXX. Postea novem populos distinctis temporibus venisse e Septentrione &c. Eodem facit, quod primus Peruanorum Rex, *Mancocapacus* dictus, conditor urbis Cusco, quadringentis circiter annis ante Hispanorum adventum regnasse feratur, *Laet. p. 67. &c. Georgius Hornius Origin. American. lib. IV.* docet tres Gentium migrationes factas in Americam, antiquissimam *Phœnicum*, quæ conjecturis nititur: alteram *Scytharum*, & tertiam *Sinensium*, quarum utraque adventu Dominico & prædicatione Evangelii recentior est. Accedit 3. quod non magna necessitas ante natum Dei filium videatur fuisse exeundi ex orbe nostro, aliumque molesto ac periculoso quærendi itinere, cum interiora

hujus

hujus passim adhuc colonos desiderarent. *Germania* mihi vel sola testis sit, cujus quæ Taciti ævo facies fuerit, ex ipso clarum est. Quis dubitat Norwegos, si eos aliqua coegisset necessitas, patrio Solo cedere, non maluisse propinqua Germaniæ invadere, quam incerta Americanorum Septentrionalium indagare litora? Idem de aliis judicium feras. *Dn. Piccartus Orat. de ortu German.* disputat, primos majores nostros *Persarum* fratres fuisse, Saxones dici quasi *Sacarum Sones*, id est, Filios, migrasse ex Asia post mortem Alexandri, &c. Sic *Mysos* cum *Tyrigetis*, id est Getis ad Thiram fluvium colentibus, circa annum Dom. CC. erupisse, & post varios errores Misniam a se dictam tenuisse, refert *Reiner. Renecc.* **vom Herkommen der Meyßner.** Sed de his accuratius cogitabunt, quibus ingenii plus est & otii. Mihi Ecclesiastica aurem vellunt, & jubent, Hoc agere!

CAP. XXV.

Religionem paganam quibus notis veram defendat Zosimus?

Zosimi Comitis & exadvocati Fisci Historiam Novam, quam sex libris ab Augusto Imp. usque ad occidentalis imperii occasum fere deduxit, qui mecum vel cursim, & ut canis e Nilo delibat, hoc facile, vel me non monente deprehendet, fuisse eum Scriptorem eorum quasi antesignanum, *qui tempora illa ob hoc solum, quod credebatur Christus & colebatur, idola autem minus colebantur, infamabant*, ut P. Orosius loquitur *præfat. lib. 1. Historiar. adv. Paganos*: quique *defectum Romanæ Reip. Christi doctrina invectum, calumniabatur*, ut Gennad. in Catalogo *in Orosio*, qui Augustino auctore contra ejusmodi blaterones paganos styli arma expedivit. Hoc ille Zosimus negocium suum sic agit per totam

totam historiam, ut paganismum aperto Marte defendat, certisque notis, eam solam verissimam Religionem esse, demonstrare laboret. Quas ut in transcursu observavi, obiter consignare operæ pretium esse visum fuit. Nititur autem in demonstranda Paganismi veritate.

1. *Nota antiquitatis*, cum *amplitudine maxima & splendidissima* Regum Pontificumque Maximorum *successione*, conjunctæ. Hinc impietatis temeritatisque accusat Theodosium Imp. *Templorum*, inquit, *per Orientem & universam Ægyptum & ipsam Alexandriam fores occlusit, sacrificiaq; ab omni ævo recepta, cum omni patrio cultu submovit; quæ autem ab eo tempore huc usq; Rom. Imperio acciderint, ipsarum rerum commemoratio monstrabit*, &c. l. IV. pag. 75. Eadem pag. cum *de Pontificum* nominis origination dixisset, *prima Deorum simulachra in Thessalia facta esse, & cum delubra nondum essent in ponte Penei fluminis dedicata*; addit: *Primum Pont. Max. Numam Regem fuisse, ab eo semper Reges isto honore mactatos; ut & postea ab Octaviano Aug. omnes Impp. Simul enim atq; summum Imperium quisque accipiebat, amictus ei Sacerdotalis a Pontificibus offerebatur, & Pontif. Maximi titulum usurpabat: Nec restitisse honorem eum vel Constantinum vel sequentes Christianos Impp. primum aversatum esse Gratianum, non sine malo omine; nam cum relata esset in Collegium Sacerdotum Pontificalis stola, aliquem eorum, dignitate ceterorum Principem, prædixisse, quod post evenerit, ut a Maximo vita & Imperio exueretur.* Si Princeps, *inquit*, non vult fieri Pontifex Maximus, brevi fiet Maximus Pontifex. *Idem sub finem l. IV. refert* Theodosio Senatum Rom. exhortanti, *ut, misso inolito errore, Christi fidem reciperent, quæ liberationem ab omni delicto & impietate polliceatur*; responsum fuisse: *Se patriis ritibus, quos inde usq; ab origine urbis accepissent, discedere nolle, quibus ob-*

 serva-

servatis, jam mille ducentis propemodum annis urbem invictam incoluissent, cum quibus si commutarent alia, quid eventurum esset ignorarent.

2. *Oraculorum & Miraculorum crebritatem* jactat. *Seleuciæ*, quod est oppidum Ciliciæ, Templum Apollinis erat, quem *Sarpedonium* vocant, & in eo Oraculum. Dare solitus erat ille Deus invocantibus contra locustarum illuviem *aves Seleuciadas*, quæ terram ab ista calamitate quam ocyssime sæpe liberabant, *donec*, inquit, *nostra ætas divinum istud beneficium repudiavit.* Oraculum vero hoc Palmyrenis, an Orientis Imperium habituri essent, quod invaserant, sciscitantibus, respondit:

Fallaces, pravique domo discedite nostra,
Qui nimis usque graves Dis immortalibus estis!

Sic ille pag. 16. lib. 1. statim subjungit: juxta *Veneris Aphacitidis*, [est autem Aphaca inter Heliopolim & Biblum,] ædem, lacum fuisse cisternæ similem, statisque temporibus, quibus Panegyres ibi haberentur, ignem passim circa apparere solitum; donaria ex auro & argento, byssinas item lineasque vestes, in lacum abjecta, si accepta essent, omnia statim subsediisse, sin respuerentur, mergi non potuisse ulla. Mox pag. 18. Quo tempore *Probus Imp.* ad Rhenum castra haberet, in summa commeatus inopia, ait pereundum fuisse exercitui, nisi de cœlo fuisset subventum imbre frumenti, tam copioso, ut passim acervi starent &c. Sic l. IV. recitat *Peloponneso totaque Græcia* terribilibus terræ motibus quassata, quibus complura corruissent oppida, Athenas & totam Atticam regionem salvam evasisse, quod Nestorius quidam sacrorum Antistes, somnio monitus, *Achillem* publicis honoribus esset veneratus. Ita lib. V. narrat, quomodo idem Heros *Alarichum* Athenis repulerit, cum Peloponneso tota ferrum & ignes hostiles circumferret. Nam ad Urbem

cum

cum omnibus copiis accedenti, obtulisse se *Minervam* in muro, & ante portam *Achillem*, ut, iis spectris territus, pacem per Legatos sponte dederit, cumque paucis suorum ingressus, mox tota urbe & regione decesserit. Eodem libro pag. 98. recitat, quomodo, cum post S. Chrysostomum Constantinopoli pulsum, quidam ignem Ecclesiæ injecissent, quo & Senatus Templũ conflagrarit, cum omnibus ornamentis, variisque statuis, *sola Jovis Dodonæi & Minervæ Lindiæ* simulachra, post, cum locus eruderaretur, reperta fuissent sarta & tecta, vimque omnem & ignis, & plumbi, quo tectum erat constratum, liquefacti, & tantæ ruinæ, evasissent. Denique, ut alia mittam, eod. lib. p. 106. explicat fuse, quid trepidantes Romani, ab Alarico obsessi, a Diis nuper spretis & violatis, desperata ope humana, & exspectarint & quæsiverint auxilii. Nam cum e Thuscia quidam retulissent, quomodo oppidum, *Nevein* dictum, *præsentes Deos* sensisset, in extremis patrio cultu iis exhibito, ut ingentibus tonitruis & fulminibus hostes abegerint; *Pompejanum urbi præfectum*, permittente *Episcopo Innocentio*, qui opinioni suæ salutem urbis præponeret, similia Sacra publice instauraſſe, quæ tamen irrita fuerint, quod nemo particeps esse auderet. *An vere?* non disputo: Novi tamen ex Jovio, sub Hadriano VI. P. Max. Sacra similia ad arcendam pestem, *a Demetrio Mago* Romæ publice in Theatro facta, & quidem impune, *vid. hist. ejus l. XXI.* Oracula si quis cetera quærere apud Zosimum volet, videat pag. 22. 26. 34. 37. 46. ubi videbit, quam ille se isto *Prophetiæ dono* jactet, & arroganter quasi circumspiciat? His adde jam

3. *Sanctitatem doctrinæ juxta & vitæ*: Doctrinæ; exemplo manifestam facit, quod Constantinus Crispo filio sublato, extincta conjuge Fausta, multorum sibi aliorum scelerum conscius, *ad Flamines* accesserit, admissorum *lustrationes* poscens. Illis respondentibus non esse

modum traditum, quo tam fœda piacula possent elui; desperatione actum Sacra Christiana suscepisse, quod audivisset, ea quodcunque peccatum abolere &c. *lib. II. pag. 31.* Ita doctrina de justificatione & regeneratione jam ævo Apostolorum offendebantur, qui eam interpretabantur januam esse projectæ in omne nefas audaciæ, Rom. VI. 1. *Vita* autem sic in apricum producit, ut suos Reges Principesque, quin & *confessores & martyres* [vide l. IV. de sævitia Valentis in Philosophos pag. 65. & l. 5. de Generido] cum nostris Regibus, Julianum cum Valente, Theodosio, Arcadio, &, qui eum præcesserant, Constantino ac Filiis; cum nostris Episcopis & Monachis p. 97. l. 5. componat, & palmam cui deferendam putet, lectoris judicio permittat. Superest

4. *Nota felicitatis* quamdiu quidem patrio ritu Numina culta fuerint, & infelicitatis, quotquot ea oppugnarint. Eo pertinet digressio illa lib. II. a princ. *de Ludis secularibus*, quos Sibyllæ Romanis tanto studio commendaverint, quibus observatis incolume semper fuerit imperium Rom. neglectis ad barbariem redactum sit: confer p. 16. 25. 61. &c. Sic *male* periisse *Ablabium l. 2. p. 35.* propter insidias Sopatro structas Philosopho, de quo Eunapius. *Male Stiliconem*, quod laminas aureas foribus Capitolii Romani deripuisset, sub quibus scriptum quidam invenerint: *Misero Regi servantur! lib. V. p. 105.* Sic laqueo elisas cervices *Serenæ* conjugis, quibus Rheæ mundum sacrilegio injecisset, simulachro Deæ detractum, ibid. pessimeque cecidisse Romanis, quod pacem ab Alaricho redimere coacti, Diis ornamenta detraxerint, statuasque ex auro vel argento factas conflaverint. ibid. p. 107. &c. Pestem, bella, famem, ruinam Imperii huic uni culpæ imputat pag. 7. 57. 115. &c. Quæ qui volet, diducat & conferat *Hottingeri Histor. Orient. l. II. cap. 5.* ubi videbit iisdem Notis Mahumedismum propugnari.

Tu

Tu ergo secutus consilium quod Autolyco *Theophilus Antiochenus dedit* l. 1. circa fin. ἔντυχε φιλοτίμως ταῖς προφητικαῖς γραφαῖς, *ea tibi viam manifestissime demonstrabunt*, qui ad Ecclesiam veram perveniens possis, ut cum eodem dicam, ἁγίασον ἡμᾶς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου ἡ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστιν. *Sanctifica nos Deus, in veritate! Sermo tuus est veritas!* Joh. XVII. 17.

CAP. XXVI.

Vxores multivirae.

QUæritur: quo sensu dixerit Apostolus: *Episcopum esse oportere* μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, 1. Tim. III. 2. 12. & Tit. I. 6. Respondemus: non loqui *de Polygamia successiva*, sive interpretativa, sed *de simultanea*: Ratio, quia loquitur de connubio vitioso, & cum crimine, ac publica reprehensione conjuncto, quale fuit, si quis plures simul duxisset uxores. *In Polygamia* autem *successiva*, nullum fuit nisi apud hæreticos Montanistas & similes, crimen. Objicitur: Sic accipiendum esse, quod *de Episcopo unius uxoris marito* dixit Apostolus, quemadmodum quod idem *de vidua Ecclesiastica*, quæ quoque debebat esse *unius viri uxor*; *at nunquam & nusquam in usu fuit, ut una mulier plurium virorum simul esset uxor*, ait Bellarm. l. 1. de Cleric. cap. 23. *Ut una mulier plures simul maritos habeat, nulla gentium consuetudo, nulla lex unquam permisit aut permittit*, ait Estius in 1. Tim. V. 9. Confidentiam! De argumento istiusmodi nil dicam, *vide D. Quistorp. in Comment. ad 1. Tim. V. l. c. & D. Gerhard. de Minist. Ecclesiast. num. 304. &c.* Tantum annoto 1. Cum exigit Apostolus, ut Episcopus sit *unius uxoris maritus*, vidua fuerit *unius mariti uxor*, utrinque describere legem veri & ἐννόμου conjugii, cui contraria sunt omnia ἄνομα connubia. 2. *Multivirae* itaque fiunt mulieres variis

modis; *adulterio*: ut Claudii Imp. uxor Maſſalina, quæ Lyciſcæ nomen mentita

Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et laſſata viris, nondum ſatiata receſſit;

nobiliſſimam unam ex proſtitutis ancillam die & nocte *quinto & viceſimo coitu* ſuperaſſe legitur, &c. *Superinductione*: quæ vario fiebat modo. Notum, *apud Spartanos* legitimum fuiſſe, ut juvencula uxor deſponſa ſeni admittere poſſet in maritalem thalamum juvenem, e quo liberos pareret ſeni ſuo, non ſuos. *Britanni* deni duodenique unam ducunt, fratres cum fratribus, parentes cum liberis; filii ejus ſunt, a quo primum virgo ducta eſt: unam & *Arabes* conſanguinitate juncti, apud quos ex alieno genere adulter eſt: Quinque viris nubit fœmina *apud Medos*, qui montes incolunt, ait *Alexand. Sardus l. 1. de Morib. Gent. cap. 2.* De Britannis vide Chalcocondylem lib. 2. *Camulenſes* in Tanguth, provincia Magno Chamo ſubjecta, morem habent, ut hoſpitibus ſi qui forte ad ſe venerint, domum & uxorem commendent, tanquam patribus familias, ipſi interim alio abeunt, & cura rei domeſticæ ſe abdicant. Magnus Tartarorum Cham edicto prohibuerat: illi vero legatis cum muneribus miſſis *inſtantiſſime rogarunt*, ait M. Paul. Venet. l. 1. rer. Orient. cap. 46. *ut tam grave revocaret edictum, & traditionem illam, quam a ſuis ſenioribus velut per manus acceperant, non aboleret*, &c. *De Caniolenſibus* eadem refert lib. II. cap. 38. *De Dogziis* in Syria paganis refert *Benjamin Tudelenſis Itiner. pag. 59.* Certo quodam anni feſto, quo omnes viri fœmineque ad convivandum conveniunt, uxores ſinguli alii cum aliis permutant. Sed, inquis, iſti ritus inter eas gentes fuere inauditi & inuſitati, quibus Apoſtolus monogamiam ibat commendatum. *Reſp.* Supereſt modus itaque uſitatiſſimus, Græcis, Romanisq; legibus

gibus permissus, ut fierent multiviræ mulieres *repudio*: Hoc digamiæ genus commune fuit tum viris tum mulieribus, *quibus æque apud Græcos & Romanos concessa divertendi licentia*, ait Justellus in Notis *ad Codic. Canon. Eccl. universæ pag. 194. quod pluribus probat. Nulla Romæ repudio erubescebat, cum illustres quædam & nobiles fœminæ non consulum numero sed maritorum annos suos computarent*, docente Seneca l. III. de Benef. cap. 16. *Adspicimus matrimoniorum singula momenta rixantia: mutant quotidie domos, & per amplexus lectulosq; discurrunt: placet etiam post liberos alius maritus, & unde deprehendas omnium scelerum facilitatem, possunt non amare viventem.* Quintilian. Declam. II. Res ex Epigrammatum scriptore Martiali, & Satyricis notissima, quæ adeo profundas egerat radices, ut nullis legibus, nulli disciplinæ Ecclesiasticæ concesserit diu, & quadringentis post Apostolum annis *Augustinus* ex Canonibus Conciliorum exclamarit ad Competentes: *Non vobis, viri, licet habere uxores, quarum priores mariti vivunt; Nec vobis fœminæ, habere viros licet, quorum priores uxores vivunt. Adulterina sunt ista conjugia, non jure fori, sed jure cœli! Nec eam fœminam, quæ per repudium discessit a viro, licet vobis ducere vivo marito &c.* Serm. 49. L. Quinquag. serm. Qui alia & plura volet legere, adeat Justell. l. cit. Est igitur triplex observanda Polygamia. 1. *Successiva*, solo nomine Polygamia, nam qui tres aut & plures duxit successive, defunctis prioribus, semper tantum unius fuit uxoris maritus.

2. *Simultanea*, eaque νόμῳ ἀνθρωπίνῳ ut Justinus Mart. ait in Apolog. vel ut modo Augustin. *jure fori licita*, qua viro licebat uxorem, & uxori virum dimittere, ac postea alia inire conjugia. Sic Martialis l. VI. Epigram. 7.

Aut minus aut certe non plus, triceſima lux eſt.
Et nubit decimo jam Theleſina viro:

3. Fuit etiam Romanis legibus *vetita* Polygamia, ut non liceret binas ſimul ducere uxores, *Cicero 1. de Orat. Agell. X. cap. 23. Macrob. 1. cap. 6.* etſi legem ferre voluerit Julius Cæſar, *Sueton. cap. 52.* Primus Romanorum Antonius duas habuit. Valentinianus lege lata id omnibus permiſit, *vide plura apud Briſſon. de jure Connub. & Schild. in Sueton. l. cit.* Judæis tamen uſitatam fuiſſe etiam poſt Chriſtum, *Juſtinus ad Tryphon.* teſtis eſt, de quo vide Juſtell. l. cit. de Tartarorum & Turcarum aliorumque Polygamia res in vulgus nota eſt. Hanc prohibebant jura fori; illam jura Dei & Poli, & de ea Apoſtolum præcipue loquutum indubium eſt.

CAP. XXVII.

Quinam Zijm, Iim, & Ochim?

QUibus locis horrendam ſolitudinem & vaſtitatem denunciant Prophetæ, iis terribiles inducunt habitatores, *quos Zijm, Iim & Ochim* appellant, ut Eſa. XIII. 21. & XXXIV. 14. Jerem. L. 39. Quinam illi? Pro *Zijm* Græci aliquando, *ἰνδαλματα, δαιμόνια, θηρία*, quin & *δίβιοπας* poſuere, ut Pſalm. LXXII. 9. Pro *Ochim* viverras, feles, dracones; pro *Iim*, onocentauros, ululas, & Jerem. l. c. *Faunos* legas, vel *Fatuos*, cum epitheto *Siccarios*, quos Maldonatus in Scholiis ibid. ait eſſe *genus dæmonum, quod Galli appellent Foleis ſive ſtultulos, & ſiccarios dici a locis aridis.* Apud Hieronymum tamen eod. loc. *& Iſidor. l. VIII. Origin. cap. 11.* *Ficarii* dicti ſunt, qui vulgo *Satyri, & Incubones*, &c. Nihil hic certi, ut Dn. Lutherus, Interpp. Alpha, aliquando ipſa Hebræa vocabula retinuerit, alibi ungeheure Thier und Vögel verte-

verterit. Ac nomina quidem ipsa tam feris, quam hominibus, inprimis autem dæmonibus convenire possunt. Sunt enim ציים *Zijm* proprie aridorum & desertorum locorum incolæ: איים *Iim*, insulares: אחים *Ochim*, terrifico ululatu vociferantes. Sed apud Prophetas puto spectra dæmonum sic dici, 1. *Quia Seirim*, Satyri hirciformes eis fere conjunguntur. 2. Quia sic exposuit S. Johannes Apocal. cap. XVIII. 2. Adhæc 3. Quia & fama & res est, deserta ejusmodi juxta Lucretium,

- - - - capripedes Satyros, Nymphasq; tenere:
Quorum noctivago strepitu ludoq; jocanti
Affirmant vulgo taciturna silentia rumpi.

Benzo l. III. Novi Orb. cap. 17. Gorgonam insulam describit, horrendis semper tempestatibus subjectam, quam, cum navarchus præter spem appulisset, dæmonum terram vocaverit. Tales *Satyrides Insulæ* apud *Pausan. in Attic. Confer Plutarch. de Orac. Defect.* Faunos autem vel quod idem *Fatuos*, a φάσκω dictos, propter facultatem vaticinandi, iis tributam, apud Vossium 1. de Idololatr. cap. 12. *Ficarios* dici puto ab infami salacitate, unde & Panos nomen *Inuus*. Nam *Ficum* obscœno usu dici, nemini non notum. Unde vernaculum proverbium nostratium: *Ficum ostendere*. Quod fit eo gestu quo veteres *fascinum, aut turpiculum virile* effingebant. Nec fugit me in veteri *Onomast. Græco-Lat.* Ficarium exponi συκίβιον. Sic Bacchus Græcis *Sycites & Milichius*, & fabula, *ficum invenisse*, quasi dixeris *Ficarium*, qui libidinis incentor est, de quo Athenæus l. III. cap. 4. Nec alia de causa in Triumpho Bacchi

Bassaridas, Satyros, Panas, Faunosq; docebat
Ludere Silenus, jam Numine plenus alumni,

Hic enim Bacchi Magister creditus est, illi comites, ut est *in Sidonii Apollin. Burgo.*

CAP. XXVIII.

An Aqua Deo Libata?

EX eo, quod David *aquam* illam, quam ex fonte Bethlehemico hauſtam cum animæ periculo attulerant tres Heroës, *Jehovæ effuderit*, colligunt nonnulli, ſacra libamina Deo ex pura aqua fieri potuiſſe, præter legis præſcriptum, ut obſervat *Sanctius 2. Sam. XXIII. num. 69. Quod Gentes* (ſic Chriſtianos vocat) *ponunt in ſacrificio ſuo aquam*, [in cramate Euchariſtico] *non debet nobis inconveniens videri, quia etiam in Scripturis Sanctis invenimus de hoc exemplum, ſcilicet quod Deo fiebat ſacrificium de aqua, & fuit Deo acceptum*, ait Samuel Matochianus, in Paraſtaſi veri Meſſiæ cap. XX. Monum. Orthod. &c. Confirmat exemplo Davidis citato. Nota ſunt Gentilium Sacra νηφάλια καὶ ὑδροσπονδα. De *Effuſionis aquæ cerimonia* aliquando in populo Dei uſitata ex 1. Sam. VII dixi. Sed ex Davidico ſingulari facto non ſequitur, quod illi conficiunt. Libatio non fuit *vera*, ſed *interpretativa*: Quemadmodum & aqua illa tanto cum diſcrimine allata *ſanguis virorum fortium*, ut ipſe David interpretabatur, quod bene obſervat *Idem Sanctius*. Sanguinem autem bibere, Deo ſacrum ſoli, qui omnem ſibi ſanguinem ſanctificaverat in Lege, non impium modo, ſed & diri ominis erat. Merito itaque effuſa aqua illi, quam non poterat bibere David, niſi ſanguinem Heroum ſuorum ſitire vellet videri. Sed neque *libare* proprie poterat, ne videretur eundem ſanguinem Deo porricere, omine non læto. Solebant autem *litantes, libantesq; Deo tanto cum ſtudio cavere ſiniſtra omina*, ut & caput operirent.

Ne qua inter ſacros ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet:

Et

Et præcones voce juberent συνθιασώτας ceterosque adstantes εὐφημεῖν, & si quis inter Sacra effutisset βλασφημίαν maleque ominaretur facientibus, *de quo Plato Dial. VII. de Legib.* irrita ea fiebant. Unde & *Jon. apud Euripid. actu. 4.* cum ei senex quidam famulus in secunda mensa venenum miscuisset, illeque magnam phialam, libaminis plenam, manu jam tenens, audisset quendam ex suis βλασφημίαν dixisse, malum hoc omen ratus, effudit in terram, reliquosque convivas jussit simul ἐυφημεῖν. Sic in prisca Ecclesia *Diaconi* silentium indicebant populo, cum sacra mysteria peragerentur, & qui ad mensam sacram Pontifici adstabat, clamabat: *Ne quis contra aliquem, ne quis in hypocrisi!* Clemens Rom. l. II. Constit. cap. 61. &c. Ubi & illud adverte, effusum ab Jone vinum a Poëta dici λοιβὴν θεῷ *libamen Dei*, cum tamen vere & legitime non esset, rite scilicet, & ut fas fuit, libatum.

CAP. XXIX.

Zachariæ volumen volans quale?

QUale visum sit a Propheta *Volumen volans?* cap. V. 1. 2. nescio an ex interpretibus satis possit intelligi. Scribere Deum quasi digito suo *in Acta sua* hominum peccata, suasque decretas pœnas, per se vulgo tritum est. Jupiter διφθέρων inspexit. *Deo feruntur adsistere Fata cum tabulis*, Latin. Pacat. in Panegyr. Theodos ubi Livineius in Notis *Euripidis versus allegat ex Menalippa*, qui huc faciunt, eleganter a se traductos? Simpliciter verto, & ad verbum:

Quid vos? putatis scelera pennis ad Deos
Volare, & illic in Jovis volumine
Scribi capaci, & intuentem vindicem
Inferre pœnas? Sed neque æther sat patet,

Pec-

Peccata si mortalium Deus velit
Inscribere, & pœnis nec ipse sufficit,
Lustrare si velit & rependere omnia,
Prope est & urget pœna; vultis cernere?

Deinde & illud manifestum est ex textu, scripta fuisse in tam grandi volumine inprimis perjuria, fœdifragæ Gentis Judaicæ, cum diris illis in lege exaratis exsecrationibus, quibus ipsa caput suum devoverat, si Sacramentum Deo suo dictum perfide violaret. Neque id quærendum est adeo, *cur Volatile* viderit Propheta hoc *volumen?* quod ad celeritatem imminentis pœnæ fere refertur, *vide D. Tarnov. & Cornel. a Lap.* Bene quoque S. Chrysostomus: *Ex cœlo volare significat e superno tribunali judicium ferri*, hom. 27. ad Popul. Sed *quomodo volarit*, an alis additis, an alio modo ventis quasi explicatum, neminem video exposuisse. Dicam, quod sentio: Sic vidit volasse Propheta, quomodo vexilla si in prima hostili acie — *lateque videret surgere purpureis undantes anguibus hastas, serpentumque vago cœlum sævire volatu:* id est, quomodo dracones ficti pictique, signis militaribus additi, volabant per Romanorum exercitus, *irati stimulante Noto*, ut dicam cum Claudiano. Causam, quæ me permoverit, ut credam, edo *ex more*, quo perjuris fracta fides in præliis aut alias exprobrari, pœnæque debitæ denunciari solebant. Ediffero: *Perozas Persarum Rex, Jazdigerdis Filius*, movit in Hunnos *Hatthalitas*, regno exuturus eorum Regem *Aschanvarum*. Huic inter consiliarios fuit senex quidam, alter Zopyrus, qui manibus pedibusque truncatis abjici se jussit in via, qua Perozam transiturum cum exercitu sciebat. Ad eum adductus, de Aschanvari injuria & crudelitate in se exercita, quod Perozæ rebus studere visus esset, conqueritur, promittit per invia se ducem fore in regionem natura præmunitam: biduo posse inspe-

insperato supervenire hostibus adhuc imparatis. Credulos Persas tandem in abrupta duxit, ubi a fronte præcluso exitu, cum reditum hostium copiæ faucibus obstructis prohiberent, siti expugnati deditionem facere coacti sunt. Juravit Perozas & *publicis tabulis* consignavit fœderis formulam, nunquam se terminum, qui utriusque regni limes ponebatur, dum vita maneret, transgressurum. Liberatus eludit juramentum, *lapidem terminalem ne transiret, vehiculo impositum anteire exercitum jubet*, collectisque majoribus copiis revertitur. Occurrit Hunnus, manumque conserturus, *diploma, quo Perozæ jusjurandum erat conscriptum* præferri jubet, de summo Prætorii signo suspensum, ut & suos causæ bonitate ad fortiter faciendum excitaret, & hosti pudorem metumque perjurii vindicandi incuteret: Deinde ampla profundaque fossa ad pedes montium, in angustiis aditus, qua iter facturum Perozam noverat, ducta, equitibus præmissis ad velitationem provocat. Nec segnes Persæ invadunt, fugamque simulantes Hunnos equites, & caute circum fossam ad suos se receptantes, qui intra munimenta se continebant, forti impressione facta, persequuti, dum per acclivia in pronam vallem, qua cæca fossa latebat, invehuntur, cum equis & armis demersi incruentum hostibus triumphum reliquerunt, refert *Procopius de Bello Persico l. 1. & ex Patricide atque Elmacino Arabum Historicis Hottingerus V. Clar. Histor. Orient. l. 1. p. 120.* En vexillo suspensum & in prima acie volitans volumen juramenti perjurio violati! De Amurathe nota similis est historia, exprobrati Christianis perjurii, & divinitus puniti, anno cIↃ CCCCXLIV. clade nobilissima illa Varnensi. Sic Rex Illirii, qui se Turcis dediderat, vitam & regnum tributarium pactus, cum accitus paullo post *ad Portam* metuere insidias, in quas & incidit, *manu prætulit literas, quibus jusjurandum*

dum a Machumete Imp. datum continebatur: Fruſtra tamen apud eos, *qui ut neque in ceteris quidem rebus fidem colunt, ita regni cauſa juſjurandum violare, inter ludicras artes habent*, refert Laonicus Chalc. lib. X. &c.

CAP. XXX.

Scyphus Auguralis Joſephi, qualis?

SCyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet. Gen. XLIV. 5. Laborant interpretes, quo pacto abſolvant Joſephum, tum a *fraudulenta calumnia*, cum a manifeſto *mendacio*. Ac *prius* quidem facilius expediunt. Sic furti ſuſpectos habet fratres, quomodo & ante explorationis, cap. XLII. 9. Neutrum *aſſertive*, ſed tantum *tentative*, ut ajunt. Quod judicibus ſolenne, cum occultum crimen inveſtigant, ut veri confeſſionem eliciant. Vere enim rei erant fratres, graviſſimi plagii & parricidii, ipſe judex in eos ab ipſomet Deo in auctoritate conſtitutus. Poterat capitis arceſſere judicio, pœnamque exigere, ſed *ut ex Gregorio M. hom 11. in Ezech.* recte notat Janſenius h. l. *memor culpæ, & remiſſor injuriæ, mala fratrum nec reddere ſtuduit, nec ſine purgatione laxare.* Denique finis fuit, fratres ad culpæ agnitionem & deprecationem ſupplicii a Deo ſibi debiti adducere, quem & conſecutus eſt. Ipſa verba non *accuſationem* ſed *tentationem* præ ſe ferunt: Nam ſic habent in fronte: *Cur rependitis malum pro bono? annon hic eſt, quo bibit Dominus meus in eo? & divinans divinabit in eo?* quod vulgatus ſupplevit, non videtur vel dixiſſe Oeconomus, vel in mandatis dediſſe Joſephus. *Sed poſterius* magis exercet, & in divortia ſententiarum ſcindit, *vide D. Walther. Spong. Moſaic. ad Exod. I. 19.* Tritior via eſt. *Hiſtrioniam aulicam* eſſe, & impoſitam a fratribus

bus personam, *Magi Ægyptii*, sustinere voluisse Josephum, quod deponere eam etiamnum inconsultum videretur, fratribus scelus suum necdum serio agnoscentibus. Porro *per scyphum augurari* nec novum est, nec Ægyptiis fuit insolens, sed adduci non possum, ut credam virum sanctissimum *Diabolicum hoc & execrabile schema* suscipere voluisse, pravamque hanc de se opinionem fratrum animis, etiamsi joco, pie tamen ullo modo vel injicere potuisse, vel ante suspicione injectam confirmare. Quæ ratio egit plerosque doctiores interpretes in transversum, ut quidvis potius excogitarent. Quodnam compendium in hac communi via videar mihi invenisse, exponam. *Augurium* id est, *divinatio per scyphum* fieri potest vel *naturaliter* vel *præter aut supra naturam*. Natura vini est, *ut corda probet*, Sirac. XXXI. 30. de quo quæ dixi ad hunc ipsum Josephi scyphum *in Theol. symbol. num. 123.* non repeto. Hinc Aulæ artificium frequens - *torquere mero, quem perspexisse laborant.* Et eo usum fuisse Josephum putant *Cornel. a Lap. & Jansen.* aliique. Sed hæc mera κακοζηλία est. *Alterum* ergo & *proprie dictum* divinandi genus per scyphum, vel prorsus *damnatum* est. [Diabolica nempe *Hydromantia*: cujus variæ rationes fuerunt, ita singulæ comparatæ, ut manifesta dæmonum opera concurreret: sive illi responsa ederent, tenui cum sibilo, ex aquis in pelvim effusis, inditis laminis argenteis, magicis characteribus insignitis, quam rationem Assyriis, Chaldæis, & Ægyptiis in usu fuisse docet *Julius Serenus l. IX. de Fato*; *c. 18.* sive literas, nomina, figuras in aquarum superficie exhiberent consulentibus: quo augurio Andronicus successorem suum rescire volebat, apud *Nicetam Choniat. l. II. &c. de quibus Delrio l. IV. Disq. l. IV. Mag. cap. 2. quæst. 6. sect. 3. & Peucer. de Magia pag. m. 301.* sed profiteri Dæmonolatriam Josephus nec potuit, nec debuit. *Mandrogero*

drogero alicui conveniat hoc σπερματεῖον, in quo se scurra ille jactat *apud Gildam in Querolo.*] vel ad tempus in Populo Dei *permissum*, & crebro in indagandis occultorum scelerum reis usitatum, *per sortes consultorias, aut divinatorias*, exempla in historia *Achanis, Jonathæ, Jonæ* nota exstant. Hoc genus indicari puto, & moveor. 1. Quia licite illud profiteri poterat vir sanctus, quod similes sui exercuerant, ope divina eventu non frustrati. 2. Quia furti deprehensio eo genere fieri poterat, & solebat, ut Achanis. 3. Quia *calix* ad id adhibitus. Nam ut apud Homerum sortes conjectæ *in galeam*; apud Plautum, *in situlam*; apud Ciceronem, *in hydriam*, apud Virgilium *in urnam*; Beza ad Actor. cap. I. ℣. ult. sic *in scyphum* conjectas, quid vetet? & factum sane, non immerito colligitur ex Psalm. XVI. 5. *Dominus pars calicis mei:* quod de dimenso non libet accipere, quia sequitur: *Tu sustentans sortem meam.* Nec aliter puto Salomo dixit, *sortes cadere in sinum*, Prov. XVI. 33. sive situlam aut calicem illum aliquis *sinu* teneret, sive, quod nonnullis placuit, *calix ipse, vas concavum, sinus dicatur*, ut sinus currus 1. Reg. XXII. 35. quomodo Latinis *sinus cum vino, sinus lactis* dicitur, de quo vase *Varro & Non. Marcell.* Usi eo genere sortiendi, sed superstitiose, Franci capta Constantinopoli Imperatorem creaturi: *Positis enim, juxta Candidatorum numerum, quatuor sacris calicibus in altari, in quorum uno incruenta erat victima pro sorte, ei cessit imperium cui hæc obvenerat*, Nicetas Choniat. in Balduino Flandro. *Sed ususne hac sortiendi ratione Josephus?* non videtur, nec opus habuit homo, ἀνυθέω, etsi non videam, quid obstare possit præterea, cur uti non potuerit. Quomodo autem sine mendacio affirmat, *se ex calice illo augurari solere?* non affirmat, ludit *ex ambiguo: Nonne augurabitur in eo?* verissime hoc: nam conjectare & experimentum capere

capere volebat, quo essent in Benjaminum animo fratres, qui in se tam fuerant invido & infido. Deinde etiam *ex verisimili*: ea enim fratrum de ipso erat suspicio. Eamque poterat forte fovere calicis ipsius forma, magnitudo, ornamentum. Nam *Scythus magnum poculi genus fuit*, unde epithetum, τὸ μέγα σκύφος, & nomen ipsum *a Scaphide* vase rotundo, concavo, ad excipiendum lac & serum apto. Tales Scyphi Barbarorum fuerunt, Scytharum, a quibus & nomen aliqui derivant, &c. ut & heroum, apud Græcos; quos inter *Nestoris celeberrimus*, & quos Bœotii fabricati primum, argentei, Herculani dicti. Forsitan *Literis quoque Ægyptiis sacris & ignorabilibus inscriptus fuit Joseph.* Nam & id mos ferebat, ut nomen Dionysi, aut Διὸς σωτῆρος, aut versus aliqui, scyphis insculperentur: *vide de his Poculis literatis, & de reliquis dictis Athenæum l. XI. Dipnosoph.*

CAP. XXXI.

Christus quo pacto obsignatus a Patre? Ubi Panes signati, Mystici, Frumentatio.

Operamini cibo qui permanet in vitam æternam, quem dabit Filius hominis vobis, hanc enim ὁ παὶης ἐσφράγισεν, ὁ θεός, *Johan. VI. 27.* Notum illud, quod ἐργάζεσθαι βρῶσιν non sit *cibum efficere*, *sed circa cibum occupari*, & in eo comparando sedulam operam ponere. Sic ἐργάζεσθαι τὸ χρυσίον, Exod. XXXI. 4. & Apocal. XVIII. 17. τὴν θάλασσαν, qui in istis occupantur, dicuntur: Sic Agricolæ ἐργάζεσθαι τὴν γῆν. Sic *salutem operari* dixit Apostolus Philipp. II. 12. Sed quænam aut in quo sit illa *obsignatio Patris?* variant Interpp. sententiæ,

& suum cuique pulchrum est, *vide Maldonat.* h. l. Breviter expedio. *Et præbitor & cibus* ipse est Christus, utraque ratione signavit eum Pater. Primo *Frumentationi* eum huic præfecit, publico testimonio, sigillo miraculorum, & Spiritus non cum mensura dati, hanc ei dignitatem contulit, ut se ipsum præberet in cibum *fidei tesseram* afferentibus. Et hanc ipsam exigit Dominus hic, cum cibo jubet operari. Sermo enim totus *de usu spirituali* est. In Sacramento aliter res habet, fitque, quod dixit Seneca: *Frumentum publicum tam fur, quam perjurus & adulter accipiunt*, de facto, ut ajunt, & sine dilectu morum, *quisquis civis est*, de Benef. l. IV. cap. 27. *Probet autem homo seipsum.* 1. Cor. XI. 28. caveantque parochi, ne panem filiorum projiciant canibus. *SANCTA Sanctis!* Sic conferre licet *frumentationem Romanorum, morem Populo tenuiori dividendi frumentum, Nonis cujusque mensis, per tesseras frumentarias*, quas Dio ait fuisse σφαίρια ξύλινα μικρὰ, alii frustilla lignea quadrata, quibus σύμβολον frumenti & modi continebatur. Procurabant primum *ædiles Cereales* dicti, deinde *præfecti annonæ.* Simile fuit Græcorum σιτηρέσιον: quæ qui persequi velit, inveniet fuse descripta *a Lipsio l. 1. Elector. cap. VIII.* Hæc sententia arrisit *Maldonato*, quam *ex Hilario* confirmat, &c. Chrysostomus quoque innuit, sed sequentem prætulit. Jure; nam *Personam σφραγίζεσθαι ad istam provinciam*, id est, auctoritatem ei hanc conferri, ut exponunt, publico quasi sigillo, dura videtur metaphora, nec molliter in aures influere. De militibus, de servis signatis alibi dicam. At *Reges, Magistratus, Præfecti, non signati, quamvis designati.* Itaque *Objectum* obsignationis *Cibus* est, ipse idem Filius hominis. Ut Grammaticæ ratio non obstet, quod videbatur Maldonato. Porro *Panis & cibus obsignatur vel anulo sigillaricio*, cum

clauditur; quo sensu acceperunt hunc locum, qui Christum obsignatum exponunt sequestratum, distinctum a ceteris cibis, exceptum a numero aliorum nudorum hominum, clausum & absconditum mundo, solis dignis dandum, &c. Quorum testimonia apud eundem legas: *vel symbolo aliquo* impresso, sive pistoris, sive patrisfamilias, quo & cujus sit ostendatur, & quam præstans sit? Sed prius partim a textu remotius est, partim a vero ipso. Nam si benivolam Patrisfamilias cœlestis mentem bene didicimus, *cupit ille omnibus bene, panemque hunc in omnes spargit.* Quomodo munifici quondam Imperatores *tesseras e theatro* in vulgus, ut Augustus, Caligula, Titus apud Dionem. Tantum opus est, *ut quisque sinum expandat, sollicitus missilia ejus exspectet*, ut dicam cum Seneca Epist. LXXIV. Denique fidem offert omnibus, omnes vocans, quibus etiam omnibus dedit Filium suum, Actor. XVII. 30. 31. Johan. III. 16. Supereſt ergo ut Pater signarit Filium, *ut & suum, & eximium, & unicum panem eum esse demonstraret.* Innuit Chrysostomus, quem Theophylactus, Euthymius, Ammonius in Catena, & alii vel secuti sunt, vel ipsi erudierunt, qui verbum ἰσφράγισεν exponunt per ἀπέδειξεν, ἐξεκάλυψεν, *vide Rittershusii sacr. lect. l. V. c. 16.* Ac forte alludit Dominus *ad panes Propositionis*, quos aliquo *symbolo impresso* signatos fuisse, etsi non memini me legere, colligere tamen licet *ex fine*; qui fuit, ut *numero duodecim*; totidem *tribuum Israëlis essent ἀνάμνησις coram Deo, & memoriale*, juxta *Origenem in Levit. cap. XXIV. Homil. 13.* quo gratitudinem suam erga Deum protestabantur, & vicissim dimensum suum a Deo precabantur: fieri igitur potuit ut tribuum vel sigilla haberent impressa, vel nomina, ut Exod. XXVIII. 8. 21. deinde *ex nomine*; nam Hebræis dicebantur *Lachime panim, panes facierum*, quod Græci exponunt ἄρτους ἐνωπίους,

quia essent in conspectu Dei, sed ad impressa symbola respectum nil puto vetat. *Denique* apud Ægyptios similis mos fuit, ut in placentis sacris *asinum vinctum* effingerent, carnem rebellem domandam fortassis indicaturi, *Plutarch. de Iside & Osyr. Exod. XIII. 13.* Sic pani eucharistico inscriptum nomen & imago Imperatoris nostri, *nonnulli etiam ibi agnum figurant*, Durandus Rat. l. IV. cap. 41. Rutheni in sacris panem hordeaceum apponunt, in cujus medio, *ut refert Joh. Faber de Relig. Moscor.* hostia est, cui *crucifixi forma*, perinde ut apud nos, impressa cernitur, &c. Pertinet itaque hæc signatio panis cœlestis, quidquid sit de Typo Panum τῆς προθέσεως, ad commendationem ejus, ut eo avidius expetamus. De matre, longa inedia cruciata in morbo, *refert Gregorius Naz.*, visum se ei noctu in somniis, ad eam venientem, *cum canistro candidissimis panibus referto*, iisque pro more benedictis & signatis eam aluisse. Post hanc matris visionem, vires mox restitutas, reditumque cum sanitate in gratiam esse, *de Fun. Patris.* Certe *panis hic Dominicus*, candidissimus & prorsus eximius, ægris animabus omnibus æternam affert & sine periculo sanitatem, & sine fastidio saturitatem. Subjicio quod sequitur ad illustrandum quæ dixi, & confirmandum.

CAP. XXXII.

Quomodo panibus fideles comparati.

EXpurgate vetus fermentum, ut sitis massa nova, 1. Cor. V. 7. Ita enim Panis ille cœlestis, fide comesus, panes nos facit Deo & Patri. Tria in hanc sententiam laudabo testimonia. Primum est celeberrimum illud S. Igna-

S. Ignatii ex Epist. ad Rom. σῖτος εἰμὶ τοῦ θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος θεοῦ εὑρεθῶ. quod jam olim celebravit S. Irenæus: *Propterea tribulatio necessaria est his, qui salvantur, ut quodammodo attenuati, contriti, & conspersi per patientiam, verbo Dei igniti: apti sint ad convivium regis. Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad bestias: quoniam frumentum sum Christi, & per dentes bestiarum molor, ut mundus panis Dei inveniar.* lib. V. Alterum est *Comitis Sebastiani Orthodoxi*, quem Genserichus omnibus modis statu dimovere contendebat. Is Regi Ariano aliquando instanti, cum mensæ ejus assisteret, panem siligineum mundissimum adprehendens: *Hic panis*, inquit, *ut ad tantum splendorem decoris veniret, & mensæ Regiæ necessarius haberetur, discussa spuria furfuris, ex massa similaginis conspersus per aquam transivit & ignem. Idcirco & adspectu clarus, & esu suavis habetur. Ita & ego mola Catholicæ matris commolitus, & cribro examinationis purgatus, ut simila munda, rigatus sum aqua Baptismatis, & igne S. Spiritus coctus. Et ut hic panis de furno; ita & ego pro officio Sacramentorum divinorum, artifice Deo, Dei de fonte mundus adscendi. Sed fac, si velis, quod ipse propono, iste panis confringatur in frusta, madidetur aqua, & iterum conspergatur, mittaturque in furnum: si melior exierit, faciam quod hortaris*, ita apud Victor. Uticens. l. 1. Persecut. Africæ. Tertium dabit *S. Zeno Veronensis*, qui quasi divinus pistor, post Baptisma *Neophytos suos* producens, panificium suum, quasi venum expositurus, commendat & dilaudat, *serm. VI. ad Neophyt.* Exultemus, Fratres in Christo, tantique proventus reditu ditati Deo Patri omnipotenti laudes & gratias referamus, qui *zizania lolium, lappas, tribulos*, in *læta frumenta* mutavit: quæ diligenti cultu *purgata, molarisque*

risque lapidis pio pondere feliciter *fracta* ordinabiliter *creta*. omni *furfure abjecto*, miritico splendore, in *farinam candidissimam* micuerunt: quæ nullo adulterata *fermento* est, *conspersa ac subacta* diligenter, *sal* inditum est illi: *levigata est oleo germinali*, officiis competentibus temperata, *in panes azymos* reddita. Hi quos videtis, *egregia coctura* suave redolentes, qui excocti sunt *non furno*, *sed fonte*: non humano, sed igni divino. *Non illos aura corrupit: non fumus amarus infecit: non frigus elisit*: quod plus est sine fermento levati sunt. Certe *cacabacii* non sunt, non vetusti, non usti, non crudi, non mucidi. *Lacteus illis color est, lacteus sapor est.* Sed fortassis, quod nonnulli *forma* videntur *minores*, si secus aliquid de pistore sentiatur, mea nihil interest, fratres: Quia etsi pauper sum, tamen *frontem meam tueor*, & fidem meam novi. Certe, si quid sciunt, *dicant operarii*, qui mecum sunt. Lucro gaudeo, sed sine furti conscientia, sane confiteor. Denique & vos retinetis *pondus antiquum*, habetis *aginam*, *exagium facite*, quemadmodum vultis: *singulos ponderate*, invenietis nullum habere minus. *Tripondes sunt omnes, numismatis* sacri una libra, *signati qui mensæ deserviant*; habes totum sermonem, venustissimum, ut legendum reor. Nam quædam mendosa inerant. Et vide vel hinc, *panes signatos* olim quoque, sed & *oleo levigatos*, ut qui *unctione Dominum signatum* dixerunt, sine causa a Maldonato rejecti fuerint, quod unctio nihil faceret ad panem. Quin accurrimus esurientes justitiam? Nam ideo panem hunc Pater obsignavit, non ut reconderet, ut isti *parcipromi*, *qui salinum servis obsignant cum sale*; sed ut venum exponeret, & emtorem invitaret. Properate, emite, comedite! emite absque argento! Esa. LV. 2.

CAP.

CAP. XXXIII.

Cur Christus Iudex in Iride sedens pingatur?

ANtiquissimæ picturæ *Christum Iudicem iridi insidentem* ostendunt. Quod quare factum sit, nec statim, puto, apparet, & sine causa factum esse, nemo persuadebit. *Idcirco in Ecclesiis pictura adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in* codicibus non valent, notum Gregorii M. dictum est. Sic pictura extremi judicii *Methodii* occasio fuit conversionis Bogoris Bulgarorum Principis, *apud Cedren.* Cur ergo judex in iride sedebit? an quia in nube lucida versicolore?

Nubibus invectus cum venerit Arbiter orbis,
Et tuba terribilis commovet arma poli?

Venant. Fortunat. l. IV. in Epitaph. Ultro Gothæ. An quia *arcus divinæ vindictæ symbolon est.* Unde *& in arcu eodem color aquæ & ignis simul ostenditur: quia & ex parte est cæruleus, & ex parte rubicundus: ut utriusque judicii testis sit, unius videlicet faciendi, & alterius jam facti,* Gregor. M. in Ezech. hom. VIII. *Aëre cum videas mistum ignem, undamque nigrantem,* ut habet Cointus l. XIV. cit. An quia arcus *indicium est permutationis aurææ,* ut ait Ammianus Marcell. *Quare apud Poetas legimus, inquit, sæpe Irim de cœlo mitti, quum præsentium rerum fit status permutatio.* Nam ibi fiet universalis commutatio. Certe *clementiæ divinæ pignus est.* Unde Chrysostomus vocat *Dei hominibus reconciliati chirographum:* Hieronymus, *supernæ clementiæ simulachrum:* Damascenus, *cœlestium inducarum pignus:*

Augustinus, *divinæ amicitiæ tesseram*: Bernhardus, *sempiterni fœderis obsidem*: Cyprianus, *cœlestis benignitatis typum*: Basilius, *pacis sequestrum*, &c. & allegat *Cornel. a Lap. in Sirac. cap. XLIII. 12.* Iris est εἰρήνη ait Ticonius in cap. IV. Apocal. hæc nunc quidem caput Domini coronat, & ad thronum gratiæ invitat; tunc erit sub pedibus, nec jam locus misericordiæ, qui hic spreverunt. Spem tamen afferet piis magnam. Itaque miror Onirocritas, sed & indignor aurum tam sordide jacere. *Iris*, ajunt *dextra conspecta bona est*; *Sinistra vero mala. Dextram autem & sinistram non intelligere oportet ad cœlum, sed ad Solem. Quomodocunque autem apparuerit, semper his qui in multa paupertate, aut alio aliquo infortunio constituti sunt, bona. Aëris enim statum mutat*, &c. Artemidor l. II. cap. 39. Quanta illorum lætitia erit?

Ut quando agricolæ summo de monte tuentur
Arcum latifluo surgentem ex æquore, & arva
Exoptant, munus superum sitientia nimbum:

ut cum Cointo dicam l. 1. p. 63. est enim Iris, ut ait: ἐσθλὸν σῆμ' ἀνέμοιο, καὶ ὑετοῦ ἐγγὺς ἐόντος *ventorum judicium præclustre imbrisque propinqui. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis* Sirac. XXXV. 26. Actum fiet ante thronum Dei, quod Plinius ait, *in Italia Locris & in Lacu velino, nullo non die apparere arcus*, l. II. c. 62.

CAP. XXXIV.

Quodnam signum Filii Hominis in die Critico. Signa Militaria, insignia in pompis Regum.

TUnc *adparebit signum Filii hominis in cœlo &c* Matth. XXIV. 30. Puto *meram esse metaphoram*, conti-

continuatam, & petitam sive *ex re militari, sive ex Regum pompis & processionibus.* Argumentum mihi irrefragabile, quod neque *thronus* aliquis, neque *tribunal, neque tubæ, & præconium* erunt corporalia, sed ἀναλογόν, quo gloria & Majestas judicis manifestetur. Consueta utitur Spiritus Sanctus συγκαβάσει, ut per imaginem terrenorum exponat nobis cœlestia. *Processio* Domini visibilis erit, *pompam* dies ipsa Domini revelabit. Pro tribunali erit nubes lucida; pro tuba, jussio Domini, per Angelos exsequenda; Pro signo adventantis indicium, qualecunque id futurum sit. Ubi Scriptura tacet, loqui nos nec est necesse, nec pium aut securum, si ad rem Militarem velimus respectum: Ut Christus ipse suorum unicum *vexillum* est, per prædicationem Evangelii, primo in Sione, deinde in omnibus orbis speculis & montibus erectum, ut ad ipsum omnes se recipiant, Esai. XI. 10. [Quanquam etiam ad Evangelium ipsum audiendum vexillum hoc erigi possit dici: sic enim *vexillo vocabatur concio in Oriente ad læta audienda, aut alia magna nuncia*; ut Bootius observat ex Jerem. L. 2. Esai. XL. 9. & LII. 7. Nahum. I. 15. Jerem. XXII. 20.] ita in magno illo die decretorio erit idem: sive indicio sui adventus per illa in cœlo conspicienda signa, facto, quo istud, τότε *tunc*, non invitum duci potest, vide Matth. XXIV. 30. sive alio aliquo ipsi noto. *Signis nomina & vultus Imperatorum impressa erant. Aureum clarum nota*

Nomen ducum vexilla præscriptum ferunt.

Seneca in Thebaide, v. 400. Qua de causa *religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, signa Diis omnibus præponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes* [quos in numis antiquis videre est, ubi signorum hastis adfixi rotundi clypei, imaginibus Imperatorum insigniti] *monilia crucium sunt. Sipara illa vexillorum &*

cantabrorum stolæ crucium sunt. Laudo diligentiam, nolui stis nudas & incultas cruces consecrare. Tertul. Apologet. cap. XVI. Nam & 1. *Sacellum fuit in castris* ubi τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τῶν πρατοπέδων adorabantur, *Herodian. l. IV. in Caracalla*, de quo post refert, signa eum militaria sæpe super humeros ferre solitum, eaque ἐπιμήκη ὄντα καὶ χρυσοῖς ἀναθήμασι πολλοῖς κεκοσμημένα; quin & imagines Augustorum signis affixas in Juliano confirmat, lib. II. & easdem damnatorum signis avulsas, ut ante Maximini cædem, lib. VIII. Capitolinus *sublatam de vexillis purpuram, & confractas imagines*, ait, cum eandem historiam narraret, in Gordianis: Sic Xyphilinus in Nerone perhibet milites, *statuis Neronis sublatis & comminutis* [εἰκόνας vocat, malim itaque de his ipsis imaginibus accipere] *Cæsarem & Augustum proclamasse Rufum, cumque reniteretur is, nomen hoc uni signorum ejus a milite quodam inscriptum, ab ipso vero deletum esse:* & in Vitellio: *imagines ejus ex signis deletas, cum in partes Vespasiani milites transissent:* Et 2. quod insinuat Tertullianus, *signa exornare, vestire, floribus redimire, atque unguentis perfundere* solebant, tanquam præsentia & propria Legionum Numina, *de quibus Lipsius ad 1. Annal. Taciti.* Apud Hebræos colligere licet, vexillis inscriptum fuisse *Nomen Jehovæ*, ex Exod. XVII. 15. Psal. XX. 5. & LX. 6. Esai. LIX. 19. Quæ loca diligenter expendit *Bootius l. 1. Animadv. Sacrar. cap. 3. 4. 5.* hujus tamen rei non memor. Sic *Signum erit Christus*, expressum gloriæ Patris sui characterem præferens, ut μορφὴν τοῦ Θεοῦ, hic celatam & absconditam, jam omnibus patefaciat, *nomenque supra omne nomen datum sibi*, ostendat, adorandus etiam ipsis Angelis: quod multo majus est, quam quod Romani gloriari solebant, *signa sua Regibus fuisse adorata.* Suetonius in Caligula c. 14. & Vitellio c. 2. Ad hoc signum confluent fideles e toto mundo, finem bello illi ἀσπόνδῳ

cum

cum serpentis progenie imposituri, Psalm. CXLIX. 6. 7. Apocal. II. 26. 27. ut *prælii fiebat, initium si duces sustulissent τὸ σύσσημον τῆς μάχης.* Apud Persas *expeditionis suscipiendæ signum dabatur buccina & tabernaculo Regis, & super illud, unde ab omnibus conspici posset, imago Solis crystallo inclusa fulgebat*, Curtius l. III. Hic & tuba Dei audietur, & Sol ipse suorum omnium oculis. Denique *expugnatis Mundi portis signum hoc infigetur*, Muscul. in Matth. h. l. ut, qui dudum spreverant Dominum, universi vel sero intelligant, & nequicquam frendeant, *exercitus ejus captam urbem subrectis gloriose intrare vexillis:* Nam & id in more fuit, ut victor aliquando *gentis suæ signum ab arce extulerit, capto oppido, commigrationem e patria civibus nuncians luctuosam*, Ammian. Marcell. l. XXV. quo referunt Interpp. non ignobiles locum Jerem. LI. 12. *de quo Bootius*, cujus hic vitula subinde arasse me profiteor, *l. cit. cap. 12.* At electi *e comitiis his* in vere *Augustam ibunt coloniam:* Sic enim, comitiis centuriatis indictis, populus in campum Martium coibat, *sub ductoribus & signis*, Dionys. Halicarn. l. VII. ut cum lustrum conderetur, *ad agendum censum, censor ducebat in urbem ad vexillum*, Varro lib. V. sub fin. Et *coloniæ sub vexillis deduci solebant*, qui Veteranorum quasi portus fuit & laborum finis. *Nam cum signis & Aquila & ordinibus ac tribunis deducebatur*, ut ait Higinus; fiebatque, ut addam hoc ex eodem, quod & hoc futurum speramus, ubi parvis & magnis, *fortibus & Sanatibus*, ut dicebant olim, *idem jus*, idemque honor erit: *Multis*, inquit, *Legionibus contigit bellum feliciter transigere, & ad laboriosam agriculturæ requiem primo tyrocinii gradu pervenire.* Ut tandem me expediam, *eadem præmia* percipient *milites* Christi, quæ quondam Romanorum, nisi quod umbræ fuerint hæc præillis, & nugæ meræ, quæ inter & *vexilla.* Aureliano Valerianus olim

Augu-

Augustus, Gothis devictis, talia donavit : *Cape*, inquit, *tibi pro rebus gestis tuis, coronas murales quatuor, coronas vallares quinque, coronas navales duas, coronas civicas duas, hastas puras decem, vexilla bicolora quatuor, tunicas ducales russas quatuor*, &c. Vopiscus in Aureliano. Sed abrumpo, & quoniam hoc caput excrevit amplius, quam pro opinione, quod supersit differo. *vide supra lib. I. de Imaginibus & vexillis plura.*

CAP. XXXIX.

Elogium τῆς χεισογνωσίας Paulinum 1. Tim. III. 16.

APostolorum doctissimus depositum Apostolorum Timotheo suo commendaturus, de quo postea dicturus erat: *O Timothee! depositum custodi*, 1. Tim. VI. 20. q. d. O Timothee! *Catholicæ fidei talentum inviolatum illibatumque conserva.* Vincent. Lirinens. contra Novat. Salutarem *Jesu Christi notitiam*, quæ fidei acropolis est, his elogiis mactat, quod sit 1. *mysterium*, cui nomen ἀπὸ τῦ μύειν τὸ ςόμα, *ab occludendo os*, quod mysteria in vulgus foras efferri religione vetarentur, unde mos ut proclamaretur: *Favete linguis!* & *Pascito linguam*, quibus sacra illa ἐχεμυθία imperabatur. Eo spectasse Apostolum, cum notitiam Dei in carne manifestati vocavit mysterium, & quidem magnum ὁμολογεμένως piorum uti proprium, ita pie adorandum, vix dubium esse debet. De quo P. Blesensis: *Sileat Legislator, quia impeditioris linguæ est apud Deum. Sileat Isaias, quia polluta se fatetur habere labia. Sileat Hieremias, quia puer est, & nescit loqui. Sileat Ezechiel, quia polluto pane vescitur:* &c. hæc ille & alia serm. VII. ex Exod. IV. 10. Esai. VI. 5. Jerem. I. 6. Ezech. IV. 4. II. *Columna & firmamen-*

mentum veritatis, ita enim recte inspicienti, non Ecclesiam vocari, sed doctrinæ Evangelicæ summam & caput, facile apparet. Monuit doctissimus *Joh. Camero in eleganti suo Myrothecio Evangelico*, Genevæ edito Anno MDC XXXII. in h. l. & his rationibus confirmavit. *1. ex contextu*, quia alioqui Apostoli oratio esset hiulca, si sic legamus: *ut scias, quomodo tibi sit versandum in Ecclesiâ, quæ est domus Dei, columna & firmamentum veritatis & sine controversiâ*, &c. Deinde quia non solet Apostolus novi argumenti tractationem inchoare a conjunctione, & *2. a more Rabbinorum*, qui ejusmodi elogio præcipua doctrinæ capita celebrare solent. Sic enim R. *Moses Maimonid. initio Misnæ:* fundamentum fundamenti & columna sapientiæ hæc est, ut sciamus, quod sit Ens primum &c. Placet profecto explicatio ejus loci minime coacta, qua nervus Pontificiorum argumento, quod hinc pro infallibilitate Ecclesiæ petunt, prorsus inciditur. Sic Paulus ante dixerat, fidem in Christum esse *unicum salutis fundamentum* 1. Cor. III. 11. & Dominus ipse, *Petram* vocavit, *cui Ecclesia innitatur*. Matth. XVI. 18. q. d. confessio, quam edidisti, *fundamentum futura est credentium*, Theodoret. in 1. ad Cor. III. Certe non Ecclesia veritatis, sed *veritas* ut ait Chrysostomus in h. l. hom. 11. *Ecclesiæ columna & firmamentum est*, quam & Irenæus hoc pacto nominavit, l. III. cap. 1. & alias. Ut elogii hujus sensus sit: *Græci* mysteria sua jactent: *Judæi* præcipua doctrinæ suæ capita, quæ vocant fundamentum fundamenti &c. *nobis omnium mysteriorum* μυστήριον, *omnium fundamentorum fundatissimum esto:* quod Deus in carne sit manifestatus. Quanquam etsi communem sequamur sententiam, nihil lucrentur adversarii. Dici enim posset Ecclesia *columna veritatis* 1. quomodo explicant veteres: *Ecclesia quæ sanctorum omnium numero congregata est* [non hæc aut illa particularis, non visibilis,

in

in qua non soli Sancti] *pro æterna sive in Deo firma stabilitate, columna & firmamentum dicitur veritatis*, sic Philippus Presbyt. l. II. Comm. in Job. c. XXVI. 2. quia *columnis sapientiæ & veritatis monumenta inscribere*, ad publicam & perennem memoriam, inde a principio rerum, vide *Joseph. l. 1. ant. cap. 3.* pervulgatus sapientum mos fuit. Notæ sunt Pyramides Ægyptiorum, *literis*, ut ait Apulejus, *ignorabilibus inscriptæ*; ut & *Hipparchi columnæ* Athenis in singulis tribubus & triviis erectæ, plenæ sapientum monitis, ut; *Perge quæ justa sunt curare: Amicum ne decipias* &c. Plato in Hipparcho. Hinc & Paræmiarum nomen, quod, cum itinera nondum in milliaria distincta essent, per certa intervalla signa defigerentur, eaque memorabili aliquo dicto inscriberentur, quo Viatores & molestiam itineris abstergerent, & meliores evaderent *ut habet Didymus in Catena in Proverb. Salom.* Sic publicæ constitutiones tabulis incisæ prostabant in foro *1. Maccab. VIII. 21. Plinius l. XXXIV. c. 9.*

CAP. XXXVI.

Quinam maledictores diei parati excitare Leviathanem? Job. III. 8.

AMo pietatem Patrum, qui in obscurissimis Scripturæ locis Christum venati, nihil se, eo invento, de vero sensu perdidisse rebantur. Ita in eo loco Jobi, ubi exclamat: *Maledicant ei*, [diei aut nocti meæ nativitatis] *qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.* cap. III. 8. quo propter summam Interpretum discrepantiam vix est in toto libro difficilior. Græci *victorem Inferni Christum* repererunt LXXII. enim habent mutato numero: *Maledicat ὁ μέλλων τὸ μέγα κῆτος χειρώσασθαι qui capturus est magnum illum cetum*, puta Diabolum & mor-

mortem. Invita quidem Minerva, sed pia tamen. Ceterum quis sensus sit genuinus atrocium istarum dirarum, nescio an aliquis adhuc satis enodarit? Nã 1. Hebræi τὸ Leviathan divellunt in duo vocabula, & verba sic vertunt, ut Lyra, secutus R.R. Salomonem & Davidem: *Maledicant ei, exspectantes orbari a societate sua*, i. e. ut solent, qui summo vitæ tædio capti sunt: vel ut Pagninus cum Aben-Esra & R. Levi: *qui parati sunt suscitare luctum suum*: puta, *præficæ* aut *viri lamentatores*, qui ante domum funestam defunctorum laudes canebant &c. de quibus Jerem. IX. 37. Amos V. 16. 2. Latini Veteres putant *de Sanctis* verba fieri, *qui resistendo Diaboli dominationi, tanquam Leviathan draconem suscitant contra se in prælium, ut habet* Philippus, & non multo aliter Gregor. M. Alii sensu contrario; describi *homines extreme perditos*, adeo ad peccandum alacres, ut ipsum quasi Diabolum excitare dormientem parati videantur, ut Thomas de Aquino & Burgensis. 3. Pineda *maledictores diei* apud Atlantes quæsivit, *qui solem orientem occidentemque exsecrati leguntur*, quos adeo non novit Jobus, ut ne quidem tum extiterint. *Hi sunt*, ait, *maledicentes diem!* at quinam *parati suscitare Leviathan?* hic aqua ei hæsit. 4. Fr. Junius sic explanat: *utinam exsecrabilem feciſſent stellæ, illustratores diei, & venti ac tempestates, quibus pulsatæ in profundo bellua, cum fluctibus volvuntur.* Satis nove & coacte; quod nemo negaverit. 5. Lavaterus cum Aben-Esra, qui ejus interpretationis meminit, (*vide Drusium in scholiis h. l. pag. 50.*) nautas, aliis piscatores describi censent, genus hominum maledicentissimum, unde apud Pinedam Hispanicum diverbium est: *Nauta maledicentior*, præcipue cum quæstus non succedit, aut pericula incurrunt, & in immanes balænas offendunt. Superest 6. nostrorum expositio, quod descriptio sit *magorum*, qui ad diras jaculandas conducti parati sint malis artibus ipsum

inferni

inferni Regem *Leviathanem* excitare. Faciunt hanc multa probabilem. 1. Quia antiquissima fuit consuetudo *devotandi diris*, creditumque non facile evanescere, quæ *— veræ nascantur pectore ab imo*, ut ait Catullus, unde Horat. in Epist. Od. V.

--- dira detestatio
Nulla expiatur victima.

vide Num. XXII. 6. 2. quia putabant vulgo *magos - - & sidera & amnes*, juxta Propert.

posse Cyteinis ducere carminibus:

ad eorum imperium ut - *Pontus inertes submittit fluctus*, Petronius; ita vicissim, cum voluerunt, etiã - *tacente vento-*

sonuere fluctus, tumuit insanum mare,

Seneca in Medea. 3. Quia in *evocatione Manium* minitari solebant, ni parerent & adparerent, se omnia eorum sacra profanaturos, & illum ἀνώνυμον καὶ ἄῤῥητον quem *Demogorgona* aliqui dictum putant, nominaturos: & quasi excitaturos,

---- paretis? an ille
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato
Non tremit?

ait Tiresias apud Papin. stat. Dira profecto verba, & impatientiæ summæ non male convenientia! Sed obstat *usus* vocabuli *Leviathanis metaphoricus*, cum a proprio discedere nulla urgeat necessitas. Igitur ut desinã, de Magis dici assentior, sed Leviathanem accipio *vel ex vero*: pro immanibus balænis, quæ diris carminibus excitata tempestate, e fundo maris emoventur, & agitantur: *vel ex opinione vulgi*: pro omnium cetorum Rege & Principe, quo excitato terram quassari, maria in fluctus attolli, turbines tempe-

tempestatesque cieri credebant Hebræi, eo modo quo Græci *Terræ motus Neptuno* adscribebant, unde cognomen ei *Sisichtonis*: aut quo Siculi putabant. *Encelado* in latus se movente concuti Ætnam, ignemque evomere.

CAP. XXXVII.

An Passio Domini lugenda sit? deque luctu Thamuz. Ezech. VIII. 14.

PUblicus erat *luctus Israelitarum in die expiationis*, Levit. XXIII. 27. sed in lætitiam publicam mutatus, si se Deus populo suo propitium significasset, de quo alibi. Sic lugendum die Passionis & quoties ea recolitur, luctu *compassionis*, ne saxis duriores simus, Matth. XXVII. & inprimis *contritionis*, juxta Zach. XII. 10. *Quis enim crucem illam non deploret quam mundus & omnia elementa planxerunt?* Lactant. l. IV. c. 18. Sed non decet fœmineo indulgere dolori, & clamoribus insanis aliquot emendicare popelli lacrymulas, aut suas; juxta præceptum Horatii, *si vis me flere, dolendum est*; quas superstitiosi quidam Monachi *strophiolo in suggestum secum allato siccare, & eo postea ad casus periculosos declinandos uti solebant*, uti reprehendit Salmero Tom. X. Oper. in præfat. Sic Idololatricæ fœminæ lugebant *Thamuz* apud Ezech. VIII. 14. *Adonidem* puta, aut *Osiridem*, de quo Julius Firmicus de Errore profan. Relig. post princ. Hæc est Isiaci sacri summa: *in adytis habent idolum Osiridis sepultum: hoc annuis luctibus plangunt; radunt capita, ut miserandum casum Regis sui* (fuit enim Osiris apud Ægyptum Rex; idem:) *turpitudine dehonestati defleant capitis; tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum resecant cicatrices, ut annuis luctibus in animis eorum funestæ & miserandæ necis exitium renascatur. Et cum hæc certis*

diebus fecerint, tunc fingunt se lacerati corporis reliquias reperire, & cum invenerint, quasi sopitis luctibus gaudent. Idem post medium, alia ejus generis mysteria sic depingit: *Nocte quadam simulachrum in lectica supinum ponitur, & per numeros digestis fletibus plangitur: deinde cum se ficta lamentatione satiaverint, lumen infertur. Tunc a sacerdote omnium, qui flebant, fauces inunguntur: quibus perunctis, sacerdos hoc lento murmure susurrat:*

Θαρρεῖτε μύσται τοῦ Θεοῦ σεσωσμένου!
Ἔσται γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία.
Gaudete salvati, ô pii mystæ, Dei!
His parta nobis est laboribus salus.

Hæc Firmicus: quibus de Osiride, quæ Plutarchus habet *de Osir. & Iside*, & quæ Synesius *de Provid.* aliisque, adjicere nimis longum esset. Peccant ergo *in excessu*, qui mortem Domini eo ritu lugent, quo *Osiridem* a Typhone discerptum Ægyptii lugebant. *Non decet lamentari eum, qui sponte & pro salute omnium patitur: sed magis convenit, ut laudibus efferatur & celebretur. Per crucem enim mors destructa, infernus captus est*: Theophylact. in c. XXIII. Lucæ. *In defectu* peccavit Erasmus, si, quod facultas Theologica Parisiensis in eo damnavit, sensit simpliciter: *Indignum esse, mortem Christi a Christiano lugeri.* Verbo: Christus patiens, juxta Cassiodor. in Cant. IV. est quasi *malum Punicum, quod cum frangitur, exterius rubor, interius candor apparet.* Rubor iste ruborem incutiat, lacrymas excutiat: candor, candore lætitiæ perfundat.

(o)

CAP.

CAP. XXXVIII.

Linguæ Apostolorum igneæ. Actor. II. 3.

REprehensus eram ab amico, quod pro concione obiter, & dum aliud agerem, *igneas* Apostolorum *linguas* dixissem, cum non ipsæ eorum linguæ tales fuerint, *sed supra capita eorum* linguæ velut igneæ insederint. Respondi paucis, ut ferebat tempus, probabiliorem videri eorum sententiam, qui flammas & in linguis & in capitibus conspectas esse credunt, quos inter D. Stegman. in Christognos. &c. Sic Mantuanus l. VI. Fastor.

Visæ etiam linguæ ardentes volitare per auras,
Et super ora virum volucri considere lapsu.

Sed, ut verum fatear, hæc opinio, quod ignis tam in ore quam in vertice Apostolorum visus sit, minus placet, eo quod hinc sola communi sententia niti videatur, illinc vero & argumentis. Quod enim *novæ coronæ spirituales per linguas igneas capitibus Apostolorum fuerint impositæ*, ut loquitur S. Cyrillus Hierosol. Catech. 17.

Cum vehemens subito sonuisset ab æthere flatus,
Fulsissetq; omni vertice lingua rubens,

Canente *Drepano Floro in exhort.* id ex Scriptura demonstrari posse non video. *Pictoribus atq; Poëtis.*

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Ignorantia ellipseos Hebræis usitatæ peperit hanc opinionem. Quia enim dixerat S. Lucas: *Et conspecta sunt illis linguæ dissectæ, instar ignis, & sedit super unumquemque eorum:* rati sunt, illud verbum *sedit*, de antecedente igni

dici, cum *de Spiritu sancto* prædicetur, de quo statim: *& repleti sunt omnes Spiritu S.* cujus rei multa congessit exempla D. Glassius vir Clariss. in Gramm. Sacra pag. m. 724. Pro nostra vero parte stat 1. *Textus*, ὤφθησαν αὐτοῖς, conspectæ sunt illis, non *super illos*, aut in capitibus illorum, *linguæ*, quæ in proprio stant significatu, a quo, nisi urgeat necessitas, non est recedendum, *tanquam igneæ*, ne putes ignem verum & naturalem fuisse 2. *Ratio*, quia etsi flamma linguam quasi habeat, cum nempe allambit & glutit. Esai. V. 24. tamen cum dissecta est, ut fit, cum ventis agitatur, aut vitio materiæ dissilit, si quid ei adversi inciderit, quod quasi respuat, nihil minus apparet quam lingua. Sed cum recta protenditur in altum ut pyramis, & in acutam cuspidem exit, tunc linguæ similis est, & *lingua* dicitur, ut terra in angustum excurrens, & in mare se extendens, aut sinus maris in terram, & alia vide D. Glass. iterum in Rhetor. p. 202. 3. *Interpretum consensus*, Syrus Tremellii sic habet: *& visæ sunt eis linguæ, quæ dispertitæ erant tanquam ignis.* D. Lutherus: Man sahe an ihnen die Zungen zertheilt &c. ubi vide D. Hunn. in Epist. Pentecost. — *his igne magistro*

Imbuit ora calor, Arator l. 1.

Paulinus in VI. Natal. - *lux populis festiva recurrit,*
Qua sanctus quondam cœlo demissus ab alto
Spiritus, ignito divisit fulmine linguas,

Guntherus lib. 1. Ligurini sui v. 540. similiter,

Tempore solenni, quo spiritus almus, ab alto
Cum sonitu veniens, in pectora sancta piorum
Ignea distinctis effudit lumina linguis.

4. Adde *Carbonem Esaiæ* igneum typicum cap. VI. & quod & alibi sectiles linguas legas, ut serpentum apparent trifidæ, & in Jamboli navigatione legitur, gentibus quibusdam insularibus linguas fuisse bisulcas, ut cum duobus

duobus simul loqui possent *apud Diodor. l. II. extrem.* Sic *de Ambrosio* refert Campofulg. l. 1. cap. 4. cum Psalmum XLIV. enarraret, ignem ex ore promicuisse, caput involvisse, pectus inflammasse. Rides & postica sanna excipis? Ergo, inquis, omnes Apostoli simul oscitarunt, aut os diduxerunt instar lupi hiantis? Nolo jocum joco elidere: *Difficile est ignem clauso ore continere:* Proverbium est, quo Petronius & Symmachus usi sunt. *Facilius est ardentes favillas ore comprimere, quam secretum celare.* Id dico; non ait S. Lucas, in singulis linguas igneas simul visas, addit autem, extemplo *loqui cœpisse.*

CAP. XXXIX.

Mali Dæmones cur Seirim dicti? & Diabolus cur fere capriformis?

LEgeram apud Arnobium l. V. *Atyn alitum lacte hircino, quia hircos Phryges suis Atagos elocutionibus nuncupent.* Torsit me non nihil fabula; cur Atys lacte non alio educatus? cur hircus appellatus? Ac *Atagos* quidem in mendo cubare non dubitabam, tam longe ab *Aty* discrepantes, ut vix aliqua inter primitivum & ortum appareat consonantia. Malueram legere *Tajos*, nam *Tais* Hebraice *vervex hircus* dicitur, ad generandum ineptus, qualis Atys, qui, ut se viro spoliaret,

vagus animi, juxta Catullum,
divellit ipse acuto sibi pondera silice.

Nec de lacte hircino disputabam, qui legeram ex quodam Lemnio hirco tantum collectum, ut colostra ex eo conficerentur, *apud Aristot. l. III. hist. Anim. c. 20.* Tandem intellexi, *Atyn* mundum vernum esse flori-

bus lascivientem, sed sterilem, *vide Augustin. l. VII. de C. D. cap. 25. & ibi Vivem; ut & Fulgent. Grammat. l. III. Mythol.* Huic ipsa rerum omniparens Natura virtutes suas, quasi lacteam opem, omnibus suis uberibus immulget, est enim ut in Silva Theol. Symb. ostendi, multimammia. At hanc in imagine hirci coluerunt veteres, *Pana* vocarunt, quem dicebant esse πὰν τῆς ὕλης κύριον *herum materiæ*, & κόσμοιο τὸ σύμπαν *totum hoc universum*, vide *Albericum de Imag. Phornut. de Diis, Macrob. 1. Saturn. c. 22. & inprimis Natal. Comit. l. V. cap. 6.* ne actum agam. Hæc cum cogitarem, putabam me reperisse, non quod pueri in faba, & fere cum Archimede exclamassem: εὕρηκα, εὕρηκα! de quo *Vitruv. l. IX. cap. 9.* Mirum! nisi tu partem poscis, vulgato proverbio: *Communis Mercurius!* quod dici solebat, si quis quid invenisset. Accipe quicquid erit, & boni consule. *Cur Seirim dicantur Cacodæmones?* nempe pilosi, capriformes, illi qui inter homines conversantur capripedes, cornigerique.

Quorum noctivago strepitu, ludoque jocanti
affirmant vulgo taciturna silentia rumpi.

ut canit Lucretius l. IV. de quibus Levit. XVII. 7. Esai. XIII. 21. & XXXIV. 14. non obscurum est, sic enim apparent: Et quidem, ut plurimum, tunc autem inprimis, cum non ideo comparent, ut se alicui parent ministerio, sed ut apud suos sibi aliquam majestatem constituant, ut ex nocturnis sagarum mysteriis constat, *Nicol. Remig. de Dæmonolatr. l. 1. cap. 23. Sic R. Moses l. III. More Nebuch. & Kimchi in rad.* At id non æque planum, cur superbissimus ille spiritus, cum alias, Protei in morem, milleformis sit, aliquam *majestatis in hircina forma quærat imaginem*, & in ea appareat, cum a suis adoratur, eosque signat & initiat? Nam quæ vul-

go

go afferuntur causæ, capriformem apparere, *quia hircorum sit similis, qua graveolentia, qua obscœnitate, &c. quia hircorum ad sinistram locandorum sit caput*, de quibus vide Delrium l. II. Disq. Mag. q. 28. sect. 3. ad quæsitum *de imagine Majestatis*. nihil faciunt. Quid ergo? stulta mortalium eaque pervetusta illa opinio, *Panа* Deum esse naturæ, qui ut bipes hircus pingi solebat & coli, stultissimum spiritum ita cœpit, ut non aliter apparcat, ubi magnificentissime vult, quam hirciformis, quasi se jactet Dominum Naturæ, in Hirco ab antiquissimis temporibus cultum, cujus Symbolum Hircus sit, & a suis fidelibus habeatur. Sic Luc. IV. 6.

CAP. XL.

An & Corollæ Convivales apud Hebræos in usu?

ROsas si secundo floreant, (in autumno iterum) *malam scævam apportare creditum est*: nec enim sit, nisi

Lethiferis calidi spirarint æstibus austri.

Vide Majol. in supplem. colloq. IV. Mihi secundo apponere nulla est religio. *Rosas loqui*, nemo vetat, dictaque omnia *sesamo & papavere* inspergere. Fas erit ita in rosis nepotari. Bibonibus suas, suas meretricibus publicæ libidinis victimis relinquo. Ita & Baccho & Veneri dicatum hoc *terræ ornamentum, plantarum decus, hic oculus florum, prati rubor*, &c. Sappho apud Achill. Statium de Amor. Leucipp. & Clitophont. Ac inprimis *Regibus illis Satyricis*, Epicuræis ventribus, coronata fronte inire convivia non sat fuit; *Rosis & triclinia & cubicula sternebantur: accubationes & mensæ*

de rosis & liliis fiebant, ac quidem purgatis. Vide quæ de Carino Cæs. Vopiscus, quæ de Vero Imp. Spartianus scripserit. Cleopatra *talentum in rosas* in convivio illo luxuriosissimo retulit in expensum, *vide Stuk. l. III. Conv. Antiq. c. 16.* Sed ad Hebræos proficiscamur. Negat Tertullianus, coronatos fuisse. *l. de Cor. Milit.* At coronati leguntur fuisse, ut alia mittam, *Sponsi*, & puto a matre, si superstes esset, ut apud Romanos sponsæ, *hasta cœlibari*, quæ in corpore occisi hominis stetisset, comebantur a matre, rapi solitæ, - *matris e gremio suæ.* Cantic. III. 11. Esai. LXI. 10. Coronæ mittebantur ab amasiis *Dominæ*, ut docet amorum artifex Ovidius, & colligunt ex Cant. IV. 8. ubi Vulgat. *Veni coronaberis, de vertice Amana, Sanir & Hermon*, quasi Pancarpiam coronam dicere voluisset Salomon, varie florulentam, & collectam ex monte non uno. Denique Ezech. c. XXIII. 42. indicat, *meretrices amatoribus suis*, aut hos illis, ornata mensa, appositoque unguento, *coronas gloriæ* id est speciosissimas imposuisse: vide *Junium ibi, & confer Apul. Fotida l. 1. Asini, & Horat. l. 1. od. 5.* Sic *Rex quoque Convivii* coronabatur. Sir. XXXII. 3. Addunt aliqui locum Sap. II. 7. *Non prætereat nos flos temporis*, & ℣. 8. *Coronemus nos rosis &c.* Sed ille de hostium Ecclesiæ Judaicæ luxuria agit: credo inprimis *Alexandrinorum*, quorum *delicia* inter adagia sunt. Quintil. 1. Instit. c. 2. Porro damnat auctor luxuriæ insolentiam & impatientiam, quod se rosarum calicibus coronare velint impii, & *alieni temporis floribus*, sic & Capitol. in Vero. *Desiderabant remotorum litorum piscem, alieni temporis florem, peregrini aëris avem &c. Parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstivam in geminis capacibus glaciem salerna fregissent*, hæc Latin. Pacat. in Paneg. Theodos. confer Lucian. in Nigrin. Sed

nescio

nescio quis aurem vellit & admonet: *Foras Cares, non amplius Anthisteria!* Itaque redibo ad pensum officii, addito hoc uno Corollario:

CAP. XLI.

Corona vitæ æternæ.

SI quæris, qualis reposita sit fidelibus corona? respondeo: *Amarantina!* Si, quomodo comparetur? dico, *fide, non meritis.* Prius docet S. Petrus 1. Pet. V. 3. ἀμαραντίνον στέφανον vocat, *ex amaranto confectam coronam*, luteo puta; *Helichrysον* aut *Heliochrysum* dixere, quod ad solis repercussum aureæ lucis in orbem veluti corymbis dependentibus splendeat. Columella vocat - *immortales amarantos.* Qua de causa *Deos coronant* illis, Plin. l. XXI. c. 25. *creditumque, gloriam consequi eo flore coronatos.* Athenæus l. XV. Dipnosoph. cap. 11. Senes aquilinæ senectæ, vegetos puta & sanos, *Ægyptii amaranto coronabant.* Artemidorus l 1. de somnior. interp. cap. 79. ait, *in somnio quoque lætas esse eas coronas, inprimis lites agentibus; ægrotantibus vero infaustas, nam aut templis aut Diis dicari*, &c. Nos *non arescentem coronam, sed a Deo æternis floribus vividam sustinemus*, Minut. Felix in Octav. *Non enim erit adornata marcessibilibus floribus nostra corona, sed in modum Regalis diadematis æternis gemmis conserta, in æternum spiritualiter nobis servabitur:* Remigius in 1. ad Corinth. IX. Aliis de operibus *candidas* reservari coronas in cœlo, aliis de sanguine *purpureas* dixit Cyprian. Ibi enim inquit, *floribus nec rosa nec lilia desunt.* l. II. Epist. 6. Sic & Pindarus ibi reponit φοινικοροδίας λειμῶνας, & Ovid. - *atria plena rosarum*, quæ, ut de Paradisiacis dixit Basilius, *spinis carent*, quales S. Dorothea misit Theophilo suo. Sed pugnantibus, vincentibus cedunt!

Αἷμα ῥόδον πίλες, καὶ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν.
Sanguine nata rosa est, lachrymis anemona creata.

ait Bion! unde *rosarum fasciculus die triumphali datus militibus, qui fortiter rem gessissent*, concessumque ut rosas in clypeis depictas habere liceret, vide *Mylii hortum Philos. de Rosa.* Vis rosis coronari in cœlis, esto rosæ similis in terra, ut Simon Oniæ *rosæ primæ* Sirach. L. 8. *Ut rosa delectat, metitur quæ pollice prima!* ut Jobus, inter impios Hussitas florens, *ut rosa in medio spinarum* Chrysost. hom. II. de Pat. Jobi, sic enim juxta Proverb. *& inter vepres rosæ nascuntur.* Ammian. Marcell. l. XVI. Absit autem meritorum opinio aut præsumtio. Frustra subtiles sunt, qui sic disputant: *Corona est merces certaminis. Vita æterna est corona. E.* Nam major propositio etiam in terrestri agone fallit. *Fit enim ut & victi aliquando coronentur cum victoribus non ex debito, sed favore vulgi.* Ambros. l. 1. de Pœnit. c. 3. Sic apud Poëtarum Principem - *Tutatur favor Euryalum.* Adhæc *non est invidus agonotheta noster, nec alterius palma alteri parat ignominiam, omnes athletas suos desiderat coronari*, ait Hieronymus epist. XXVIII. Denique corona cœlestis est *gratiæ & misericordiæ*, ex Psalmo V. 13. & CIII. 5. eodem sensu *justitiæ*, quia κατ' ἐπαγγελίαν gratuito factam fideliter redditur. 2. Tim. IV. 8. Exspectemus igitur fide humiliter, sed & certemus fortiter, nam

— *non certanti non est speranda corona!*

APPEN-

APPENDIX.

DUÆ DISSERTATIONES SCHOLASTICÆ.

CHRISTUS LUX MUNDI.

OPtime Maxime temporum, ſtata & æterna viciſſitudine in ſe redeuntium, conditor & opifex Deus, ipſe ſuperior omnibus annis, antiquior principio, ſine ulterior; a tua enim ope, conſilioque, a tuo honore, qui in pia rectaque venerantium voluntate maximus eſt, agendi dicendique capienda ſunt primordia. Etenim ſi Romani olim in forenſi oratione *Jovem ceterosque Deos* Catonis lege *præfabantur*; populumque in noſtris alloqui, non peracto prius *ſolenni precationis carmine*, nefas habitum fuit; cum *bene ac ſapienter majores inſtituiſſent*, *ut rerum agendarum*, *ita dicendi initium a precationibus capere*: Equidem impie ingratus & ingrate eſſem impius, ſi, quod ad hanc usque diem periclitatus ſum nunquam, ad publice dicendum, ſine tui honoris præfatione exſurgerem. Ut enim easdem aquas, quas cœlo & terris præbet oceanus, ſpatioſo iterum ſinu recipit: Ita tu Cauſa prima, fundamentumque; & idem finis es rerum cauſarumque omnium; a te omnia ad te proficiſcuntur. Quocirca aptum piumque eſt, Te, & anni, in cujus velut incuntis limine ſtamus, ſatorem & arbitrum, & dignitatis

hujus

hujus Scholasticæ, quam hoc in loco, jussu tuo susceptam a me, aggredior, conditorem ac Ephorum; alloqui bonasque preces precari, ut mihi digna hoc sanctissimo tempore, digna hoc honoratissimo loco, digna hoc amplissimo consessu contingat oratio: utque omnibus, quæ dicentur a me, primum veritas, tuæque gloriæ incrementum; deinde salus audientium constet. Atque equidem, spectatissima auditorum corona, ut orationem de cœlo devocem in terram, non Ecclesiæ Doctoribus modo, sed Christianis omnibus dandam operam reor, ne quid cum toto hoc tempore, quo Domini natalem, *festorum*, ut ait D. Chrysostomus, *metropolin*, celebramus, tum his quoque diebus humile aut alienum cogitent, meditentur, dicant; neque enim alius a conditu mundi candidior illuxit nobis pulchriorque dies, quique omnibus augustior omnisque sanctimoniæ ac religionis plenior esse debeat atque ille, quo ante mille sexcentos & XXXV. annos hac ferme tempestate ab ipsis *orci portis* ad cœli regnum, & ad partiariam cum Christo hæreditatem primitus vocati sumus. Nihil quale ante dicamus, nihil enim quale antea patimur. Abeant cogitationes illæ, recedant voces, queis curæ metusque majorum animos exercebant, quas error & fœda superstitio exprimebat. Discernatur cogitatis, dictis factisque nostris temporum diversitas. Exulet pagana superstitio; his diebus auctor inventorque salutis Gentium primitias cultui suo dedicavit. Cedant tristitiæ & mœrores, omnisque a mente nostra caligo; per hos dies insolitum in cœlo sidus, insueta in terris lux effulsit: eam Magi, qui rerum naturalium causas subtilius scisciti, arcanis cœlestibus nobiles curas inferebant, procul, ut canit Prudentius

— *Ex Persici orbis sinu,*
Sol unde sumit januam,
Cernunt periti interpretes.

Cer-

Cernunt, & sequuntur; sive quia Astrologia in imo perspecta animadverterunt, *non esse ociosum, quod tam insolitum apparebat; non enim antea visa erat unquam fax illa, sed nunc eam puer iste,* (ut hæc a Fulgentio accipiam) *creavit, & Magis ad se venientibus præviam deputavit:* sive quæ D. Chrysostomi sententia est, inde a Setho usque inter Magos antiquæ fidei tradux literis monumentisque servabatur, quibus stella Christi index & munera a Magis obferenda denunciata erant: Sive extra ordinem ipse mundi illuminator fidem in Magis accendit, & *dedit adspicientibus intellectum, qui præstitit signum, & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inveniendum obtulit requisitus,* ut B. Leo, Episcopus Romanus, loquitur. Hic ergo est ille communis Gentium natalis dies, *natalis dignitatis & salutis nostræ,* quo rupta macerie, quæ altissimo inter nos & Dei populum muro educta stetit, civitate cœlesti donati, jure indigenarum atque immunitatibus frui cœpimus. Salve ô expectata lux! ô vere natalis noster! a te enim merito vitæ nostræ annos computamus: quicquid, antequam tu illucisceres, effluxit temporis, id fuimus tantum, non viximus: nam quæ sine salutari Dei cognitione degitur vita, *vermium ac muscarum bonum*; & non vita est, sed vera mors. Tuo enim exortu aureum caput illo æternus mentium bonarum Lucifer protulit, ab illo tempore cœlum, Solem & sidera adspicimus, antea quasi alvo materna conditi, nocte infanda septi obstetricias manus implorabamus. O felix, ô festa dies! Te *nos animorum gaudiis verborumque honoribus per multos annorum recursus optamus celebrare,* cujus nos voti (ut bene speramus) ille, qui annorum orbem indefessa manu agit & vegetat, damnabit.

Agedum igitur, quid boni nobis hac luce contigerit, consideremus; quod ut fieri queat eundum est in omnem

retro

retro exactorum temporum memoriam; excitanda & producenda orco terribilis superstitionum excetra; cui Deorum per multa seculorum curricula misera mortalitas supplicaverit, cujus in tutelam vitam fortunasque suas commendaverit, cujus ope freta & præsidio mortem incertosque fortunæ casus aut declinaverit, aut sustinuerit, examinandum est. Vos Viri omnium ordinum amplissimi, precati mihi ejus favorem, cujus gloriæ hoc choragium exstruitur, adeste animo, & benivolam audiendi patientiam commodate.

Ea festivitas, quam ad diem octavum Idus Januarias Latina Ecclesia multis retro seculis celebravit, ut alia multa, a Græcis nomen & originem invenit, qui ἐπιφάνια καὶ θεοφάνια sua, hoc est, *adparitionem sive manifestationem Dominici Sacramenti*, ut ait Orosius lib. VI. adv. Pagan. c. 20. p. 535. ad diem 25. Xbris observare consueverant. Erant apud Latinos Epiphania, post Natalem & Nominalia Servatoris, quasi celebritatis hujus anniversariæ condimentum, dabatque, ut ait Leo Romanus Episcopus, *perseverantiam gaudiorum, ut inter cognatarum solemnitatum vicina Sacramenta, exultationis vigor & fervor fidei non tepesceret:* apud hos, Græcos ajo, ipsa *festivitatum festivitas*, dies, *quo beatam admirandæ prognationis sarcinam Virgo mater deposuit, Deumque peperit*, [Leo in serm. in Epiph.] Epiphania usurpabatur. Et est sane *triplex* in sacro codice notata Christi ἐπιφάνεια seu *adparitio*. Prima illa, quam Apostolus Φανέρωσιν θεὸς ἐν σαρκὶ Dei in carne manifestationem adpellavit, alioque in loco exserte ἐπιφάνειαν τῦ Σωτῆρος ἡμῶν, *adparitionem Servatoris nostri*. Altera est, qua, ut idem ait Apostolus, gratia & benignitas Dei in carne manifestati ἐπεφάνη, orbi terrarum innotescere cœpit. Tertiam exspectamus ardentibus desideriis, quam nobis

—— va-

— — *vatum prædicta priorum.*

Terribili monitu horrificant,

ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ *adparitionem gloriæ magni Dei & Servatoris nostri*, qua justissimus ille certaminum in hoc mundo exantlatorum arbiter & designator justitiæ corona exornabit exoptantes τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, *adparitionem ejus*, ut in posteriori ad Timotheum scriptum est. Hesterna dies Epiphaniæ nomen merito obtinuit, non tantum, quia *unigenitus Dei filius, postquam est secundum carnem temporaliter natus*, ut hæc Fulgentii verba usurpem, serm. in h. fest. *in isto die est Magis venientibus manifestatus, a quibus oblatis muneribus suppliciter est adoratus:* Verum etiam aliis nominibus, *sicut relatu paternæ traditionis instruimur; ferunt enim, ea die* [verba sunt B. Maximi Episcopi serm. in Epiph.] *Christum Dominum nostrum stella duce a gentibus adoratum; vel invitatum ad nuptias, aquas in vina vertisse; vel suscepto a Johanne baptismo consecrasse fluenta Jordanis, suumque simul purificasse baptistam.* Varia miracula diei unius diversis perpetrata temporibus, in unum tamen scopum collineantia, ut manifestaretur *Sol* ille *justitiæ*, radiosque suos in universam terrarum molem exporrigeret, quem in Cimmeria quadam mundi nocte exortum, densissimæ tenebræ fuscis quasi alis amplectebantur. Ergo quemadmodum fons ille cœlestis luminis & siderum reliquorum dictator Sol, cum ab Antipodum orbe ad nos revertit, primum densas nocturnæ caliginis nebulas radiis adflat, fugatisque tenebris pedetentim aureum os serenato cœlo infert: Ita paulatim claritatem suam explicuit Dei filius, seque primo in Judæa visendum pastoribus, mox altius evectus in orientem usque extenso fulgore Magis exhibuit; tandem, decursis juventutis suæ spaciis, in Jordane liquidissimo Dei Patris testimonio filius Dei declaratus, mirandis

operi-

operibus gloriam suam manifestare cœpit. Sedebant ea tempestate infelices homines passim in tenebris & mortis umbra, caligo mentis oculos hebetaverat, ut lucem & tenebras nequirent internoscere; caligo cupiditatem turbarat, ut tenebras non amare non possent; ipsi denique adeo, quanti quanti erant, puræ putæ erant tenebræ, ut ait Apostolus, & caligo mera. Longum est, & non nostri instituti, ire per omnes humanæ conditionis gradus & ordines, atque animo ruminare, quantopere in vita honeste transigenda, in morte fortiter subeunda, in re privata ac publica prudenter ordinanda a rectæ rationis amussi miseri illi homunciones delirarint. *A capite* tenebras istas duntaxat intueamur, nec penitus & usque *ad talos*; sed perfunctorie tantum ac veluti *per transennam*.

Quicquid in mundo mali est, in universum Dei ignoratio induxit: quæ cum semel animis incessit, omnibus flagitiis viam complanat, omnes virtutes exterminat. Hanc pestilentiam cum sceleratissimus ille fraudium artifex Diabolus humano generi immisisset, secutæ sunt detestabiles illæ tenebræ, quas nemo hodie absque horrore recordatur. *Mala omnia*, loquar cum Lactantio lib. V. cap. 8. pag. 274. *rebus humanis quotidie ingravescebant, quia Deus hujus mundi effector & gubernator derelictus erat, quia susceptæ fuerant, contra quam fas erat, impiæ religiones.* Famulabatur universa mortalitas crudelissimo Tyranno, *superstitioni*, quæ subjugatas mentes horrendis cruciatibus *quasi ad palum* exercebat, vinculisque arctissimis ita deligaverat, ut omnem liberationis spem ejurarent. Jamque eo res erat adducta, ut nec in principiis, ex quibus Dei cognitio petenda erat, nec in partibus ejus cognitionis quicquam sani supereset. Mortales oculi Dei adspectum non capiunt: *Videri non potest:* ait D. Cyprianus de Idol. vanit. p. 268. *Visu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu major*

jor est. Ergo ut mens nostra aliqua ratione Dei cognitionem adsequeretur, qua in re posita est beatæ vitæ summa, ipse omnium architectus in operibus suis exstare *volam ac vestigium* majestatis suæ voluit; quin & manifestius se revelans multis modis affari ipse homines dignatus est, & quod eos vel per se, vel per ministros & interpretes suos edocuerat, id ne ulla aboleret vetustas, aut deleret oblivio, literis consignari jussit; Unde triplex cognitionis Dei principium, Natura, Revelatio, Scriptura. Hæc omnia versipellis ille veritatis eversor ita interpolavit, ut suggereret, Naturæ vel rectæ rationi invicem, *operariam illam contentionum, Sophismatum artificem*, quæ se commenticio nomine Philosophiæ venditabat: Pro revelatione divina ipse, horresco meminens! scelerum dictator responsa dabat per arbores, per aquas, ex tripode, ex avibus, multa perplexe & dubie, pleraq; falso & superstitiose, aliquando vera, sed noxia semper respondens. Apud Thesprotios *Dodonæus Jupiter ex quercu* ventura edicebat. Delphis fatidica mulier, *tripodi aureo* insidens, futura discebat. Apud Urbem Lebadiam in Bœotia *Trophonii Herois antrum* erat, quod, qui consulere Deum volebat, puniceo indutus talari amictu, libaque in manibus gestans, per angustum intrabat ostiolum, ubi visis horrendis futura cognoscebat. Ammonem Lybicum, Apollinem Clarium & Ismenium, Amphiaraum, & Amphilochum, &, ne homines demortuos tantum nominem, *capras etiam ad divinationem adsuefactas, & corvos* ἄλλα χρησήρια, *oracula inutilia, edoctos* memorare supersedeo. Clem. Alex. in Protrept. p. 8. Denique sacram scripturam, in qua Deus ipse de se clarissime loquebatur, procul ab oculis & contactu hominum removit, fabulas & anilia nugamenta *partum suum musteum* pro ea suppposuit. Hæc illa paganicæ Theologiæ erant fundamenta, super quæ horrenda errorum omnium moles

fuit exædificata. Jam cum summa humanæ sapientiæ in duabus partibus consistat, *in vera Dei cognitione & cultu*; dubitabit ne aliquis ex his principiis Deum nec cognosci recte, nec sincere coli potuisse? Quibus ex communi vita sublatis, quæ in mente lux, quæ in animo tranquillitas, quid denique boni ac beati superesse queat? *discedente enim pulchritudine quid succedat*, inquit Prosper Aquitanicus de Lib. arbit. *nisi deformitas? Abeunte sapientia, quid resideat nisi insipientia? non regnante justitia, quid dominetur nisi iniquitas?* Erat ergo in intellectu hominum, quem Deus omnium, & ferme etiam sui capacem fecerat, maximum universi miraculum, in eo erat, expulsa salutari firmaque cognitione, error & opinio: Voluntati incesserat profligata pravitas & malitia: excruciabat conscientiam immedicabilium scelerum memoria, & futurorum anxia exspectatio. Quodque malorum omnium postremum fuit, nihil uspiam succurrebat, quod vexatis animis mederi, opemque ferre posset. Ergo plerique velut inter infensos curarum ac malæ conscientiæ exercitus precarium Spiritum hauriebant, *ultimam malorum lineam*, *mortem* & expectantes & timentes: Multi cum *vivendi pretia mortis rationibus vinci* autumarent, aut infelici laqueo collum induerunt; aut infesto mucrone animæ eluctanti viam fecerunt, aut alio modo miserrimæ vitæ retinacula abruperunt. Modum miseriæ hujus nec mea satis oratio, nec vestra adsequi potest cogitatio. Facit præsens nostra felicitas, ut majorum miserias & calamitates modulo iniquo metiamur. Ipsi illi progenitores nostri ab inferis reducendi sunt, ut antiquam suam de crassissimis humani intellectus tenebris cantilenam nobis deplorent. Erit ea res nobis incitabulum, ut, expenso curatius Lucis hujus, in qua Christi beneficio vivimus, ineffabili bono, ad agendas studiosius grates incendamur. Quos igitur primos, quos postremos ciebo? Prodire Germanos avos no-

noſtros jubebo? exſecraturos *Mannum* regem ſuum, & Sacrorum antiſtites *Bardos*, quorum auſpicio, ductu, imperio, Barbaros Deos *Crodonem* (quem Hartesburgi inventum, neminem alium niſi Diabolum eſſe adſirmavit Carolus Magnus) & *Irmeſul*, ſive id Martis, ſive Arminii monumentum fuit, & Terram matrem *Herthum*, & Deum *Schwantewitz*, quæ Vandalorum vox ſacrum lumen ſignificat, & Venerem *Pfreiam*, de cujus nomine cognomentum feriæ ſextæ inhæſit, & *Flinz* cadaveroſum idolum venerari didicerint? Quid? nonne ipſum illum tenebrarum Regem adorarunt Norici, *Tibelinum*; Vandali *Zernebok*, id eſt, nigrum Deum indigetatum? Producamus Romanos? gloriari auſos, ſe nec *numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, ſed pietate & religione omnes gentes nationesq; ſuperaſſe?* Hæc *civitas*, ait Leo 1. Epiſcopus ejus, *ignorans provectionis ſuæ auctorem, cum pene, omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium ſerviebat erroribus; & magnam ſibi videbatur ſuſcepiſſe relligionem, quia nullam reſpuerat falſitatem.* Scilicet craſſior eſt inter relligionem ac ſuperſtitionem murus, quam qui proverbio dicitur *inter Pyramum* fuiſſe *& Thisben.*

Relligentem, ait Vetus Poëta, *oportet eſſe, relligioſum eſt nefas.* Romanos certe lineas omnes rectæ rationis eſſe transgreſſos, teſtis major omni exceptione, &, quod ajunt, *ex Jovis tabulis* eſt Seneca fragm. lib. de ſuperſtit: *In Capitolium*, inquit *perveni, pudebit publicatæ dementiæ: Quid ſibi vanus furor attribuit officii? Alius lumina Deo ſubjicit: alius horas Jovi nunciat: alius lictor eſt, alius unctor, qui vano brachiorum motu imitatur unguentem. Sunt, quæ Junoni ac Minervæ capillos diſponant, longe a templo, non tantum a ſimulachro ſtantes, digitos movent ornantium modo. Sunt, quæ ſpeculum teneant. Sunt, qui ad vadimonia ſua Deos advocent. Sunt, qui libellos*

offerant & eos causam suam doceant. Doctus Archimimus senex jam decrepitus, quotidie in Capitolio mimum agebat, quasi Dii libenter spectarent, quem homines desierant. Hæc ille graviter deplorans turpissimæ superstitionis reos peregit Romanos suos, atque ut ea minima universæ ejus insaniæ portiuncula sunt, licet tamen quasi *ex ungue leonem* hunc æstimare.

Quid igitur? In Græciam navigabimus? Athenas aut Thebas? *Athenæ enim eloquentia inclutæ sunt*, ait ille, *Sparta armis, Thebæ sacris.* Nota est Thebanorum stupiditas, Athenienſium levitas. Illi

Vervecum in patria, crassoq; sub aere nati,

ex cloaca arcem facere, & lapidem ex sepulchro erutum pro Deo adorare non erubuerunt. Hi, cum Deos suos numero comprehendere non possent amplius, cum post omnes ubique *aras floribus redimitas, spelunças frondibus inumbratas, & quercus cornibus oneratas, & fagos pellibus coronatas, postq; omnes colliculos sepimine consecratos, & truncos dolamine effigiatos & cespites libamine humigatos, & lapides unguine delibutos*; nondum conscientiæ suæ satisfeciſſent, aram *Deo ignoto* dedicarunt: sive bello Persico, cum Philippidi eorum cursori, Spartam misso, auxilia petitum, oblatum esset Panos spectrum & victoriam promisisset; sive eam erexerint, cum in pestilentia placatis solenni ritu Diis & Deabus omnibus fœda lues grassari non desiisset. Gemina ratione, Romæ cum terra moverat, indictis feriis, Dei nomen, cui eas servari oporteret, edicere quiescebant, & si quis eas ferias polluisset, pro piaculo hostiam *sive Deo sive Deæ* immolabat (Agell. l. II. N. A. cap. 28.

O mersi in tenebras, divinique ignis inaneis!
Et plus corporeis oculis, quam mente videntes! (Prosper. de Prov. p. 603.)

Igno-

Ignotum Deum colitis? & cui sacra faciatis confusis salo quodam cogitationibus animi pendetis?

Ἀλλ᾽ ὕφασις φάσωσις αὐτὸν δεικνύει,
Ἄστρα, σελήνη, γῆ, θαλάσσης ἡ χύσις,
Ἔργα τὰ λοιπὰ τῆς σοφῆς κοσμουργίας,
Ὁ ποῖος ἐστί, κἂν τις ἐκφέρειν λέγειν.
Illum, illum Olympi prædicat globositas,
Stellæq; cum Luna, & solum, & fluxus maris,
Operaq; prudentis opificii cetera,
Qualis sit, etsi nemo possit eloqui. Tzez. in Rhetores.

Sed ad Barbaros eamus! Nam quod Epicurus negat *alias nationes præter Græcos Philosophiæ sacris initiari posse*, quodque asserit Laertius l. X. *omnem sapientiam a Græcis primitus esse repertam*, gerræ sunt germanæ, nugis Siculis vaniores, ut vel inde Græcorum fidem & veritatis studium possimus cognoscere. Etenim qui frontem non perfricuerunt, quod candidi animi est, profitentur quibus doctoribus profecerint. Plato certe in Timæo introducere Barbarum quendam sapientem ausus est, qui Solonem Græcorum omnium sapientissimum ita alloqueretur: *O Solon! Solon! vos Græci semper estis pueri, & senex inter vos nullus est! disciplinam enim vere canam nullam habetis.* Inter Barbaros autem inprimis Sapientiæ fama eminuerunt *Magi*, & Ægyptiorum *Prophetæ*. De utrisque dicendum est aliquid, sed de Ægyptiis subtilius & enucleatius, ab iis enim Ammianus Marcellinus lib. XXII. c. 16 non ignobilis historicus *Deorum cultum, artesq; divinatrices, & id genus alia mathemata per mundum omnem circumlata affirmat.* Nec Lucianus tantam eos primitus θεῶν τε ἔννοιαν λαβεῖν καὶ ἱερὰ ἱδρύσασθαι *Deorum accepisse notitiam asserit, & templa iis dedicasse*, sed & Justinus Martyr in Parænetico *omnem ab Ægyptiis sapientiam ad Græcos derivatam esse* vero vincit & argumentis.

Ac *Magorum* quidem nomen inter Persas, Parthos, Bactros, Chorasinios, Areos, Sacas, Medos aliasque barbaras gentes fama celeberrimum fuit, honore & reverentia sacrosanctum, adeo ut Regum magistri & doctores, regni custodes, & quasi augustissimus Senatus, Deorumque ministri, & divinorum secretorum conscii haberentur, cumque ita essent aucti, ut totas habitarent urbes, gentemque amplam efficerent, pro munitissima murorum corona religionis respectus fuit. Eos a *Magogo* Japeti filio aliqui, sed major pars *a rerum divinarum studio* adpellatos arbitrantur. Nam *callere leges cerimoniarum, fas sacrorum, jus religionum, id apud Persas est Magum esse*, Magiamque definit Philo Judæus ἐπιστήμην θεραπείαν εἶναι ἢ τὰ φύσεως ἔργα τελεωτέραις φαντασίαις ἀνιχνεύουσαν, *scientiam contemplatricem, quæ naturæ opera paulo penitius oculisq; clarioribus intueatur.* Opus eorum primarium, celebrare cum ipso lucis exortu patrios Deos, & sacris operari; quod ut expeditius facerent, *Musice* ut ajunt & frugaliter *victitantes*, pro lecto culcitram e frondibus vilem ac humilem, pro cibo farinam & olus habebant, *caseumq; calamo*, qui baculi usum præbebat, *feriebant, ita se jugulare caseum dictitantes.* His institutis consecuti sunt, ut ζεμνὸς ἀνὴρ βίῳ ζηλωτὴς *sanctæ & venerabilis vitæ sectatores* crederentur, vitamque in multos annos producerent. Quæ qui consideraverit, Magos fortassis solos florem hominum & aurei seculi relliquias fuisse autumabit. Et Ecclesiæ Doctores aliqui certe magnifice de iis sentiunt & loquuntur; Eos de genere Balaami ortos, tenuisse inde a Setho traditam de venturo Servatore fidem, quem stella prænuncia sit orbi indicatura; itaque duodecim principes ex tota Magorum gente esse electos, qui eam stellam nobili cura observarent, ac quotannis post messem in editum montem, quem Victoriæ nuncuparant, adscenderent, ubi aqua lustrati Dei laudes concinnerent,

&

& eo in studio forte tum occupatos, stellam hanc nato Rege Regum Christo, vidisse, quæ infantis speciem crucemque præferret, eosque, ut Judæam peterent, hortaretur. Hæc illi procul dubio ex vulgi fabula. Enimvero si qua fides est fidelissimis historiarum monumentis, Magi jam inde a prima origine & ab incunabulis quasi suis, semper id fuerunt, quod etiamnum dicuntur, feralium artium periti ἐπαοιδοὶ incantatores, qui solent murmure

--- magico tenues excire figuras,
Atq; sepulchrales scite excantare favillas. Prudentius.

Persuadet hoc spectata Magorum *origo*, & incesta *nativitas*: examinata *de Diis opinio*: ad limam & lineam rectæ rationis revocata *festa*, *sacrificia*, *miracula*, quæque alia perfecerunt. *Originem* trahere Magos a Chuso Chami filio fama est; ab eo qui *imbuente Diabolo*, ut ait Gregorius Turonensis lib. 1. hist. Franc. *Magicæ artis & idololatriæ repertor, ut novæ religioni auctoritatem conciliaret, stellas & ignem de cœlo labi magicis artibus mentiebatur.* Alii a Zoroastre eos deducunt, qui cum cœlitus tangi igne optasset, ut existimationem divinitatis sibi compararet, Persis in mandatis dedit, ut ossa sua post exustionem legerent, colerent, servarent, si regnum sibi suisque posteris perenne sartum vellent & tectum. Infames artes non heri aut nudius tertius didicisse extra dubium est, sive a *Perseo*, sive a *Medea*, sive a *Medusa*.

Medorum genti Magicæ furor artis inhæret.

Sed ipsa *nativitas*, mali commatis esse Magos, non obscure loquitur, ex incestu oriuntur:

Nam Magus ex matre & gnato nascatur oportet,
Si vera est Persarum impia religio. Catull. epig. 88.

Atque hoc *apud Chaldæos omnes*, Sotion, *& apud Persas* Clemens Alex. *fas sanctumq; fuisse scribunt, ut liberi cum matribus, fratres cum sororibus congrederentur*, καθάπερ οἱ τράγοι εἰς συνουσίαν ἠσκημένοι, *ut capri ad Venerem adsuefacti.*

Quid *de Diis* dicam, quos venerati sunt? Etenim præter communes cum Græcis Jovem *Belum* & *Arbelum*, Herculem *Sandem*, Venerem *Anaitida*, & Dianam *Nanæam*; præter proprios barbarosque Deos, *Oromasden*, *Mithram*, *Mesoromasden*, *Arimanem*, *Omanum*, *Balthazarem*, *Adonim*, & id genus portenta Deorum; denique præter *Solem*, *Lunam*, *stellas*, *ventos & omnia elementa*, præcipua inter eorum numina

--- --- *juratur ab illis*
Ignis & unda Deus. Sidon. Apoll. in Paneg.

Ignem Perseus cum de cœlo precibus impetrasset, venerari jussit, cui publice & private exstructa sacella sub dio sunt, votaque nuncupata, mactatæ hostiæ, non cultro sed stipite, equi immolati, additique Magi Sacerdotes, qui eum perennem & inextinctum servarent, sacrisque carminibus placarent, aridisque lignis excorticatis oleo arvinaque infuso succenderent: tanti denique honores igni habiti sunt, ut omnia ab eo divina ac humana auspicarentur, sacrum & æternum ignem in argenteis altaribus præferentes, utque eum polluere ne mortis quidem discrimine proposito vellent, eosque qui in ignem exsufflassent, aut aliquid projecissent immundi, capite multarent. Aquam autem reges, e Nilo aut Dannubio haustam, inter pretiosissima rerum in thesauris & gazis suis collocabant, eamque adeo venerabantur, ut illa vultum non abluerent, exspuere in aquas, aut immejere, aut cadaver abjicere, piaculum maximum esse opinarentur. Et ut superstitio cum semel data porta est teneri nequit, eo tandem adducti sunt,

sunt, ut *Arimanem*, quem Plutarchus πονηρὸν δαίμονα Περσῶν indigetat, *malum Deum Persarum*, id est, [dicam enim quod res est] ipsum inferni regem Diabolum propitiarent nigris hostiis, cui & herbam Omomum in mortario comminutam, ac lupi sanguine permistam, invocatis Diti & tenebris in obscurum locum abjiciebant. His dediti erant numinibus, horum operati sacris Magi fuerunt! Inter *festa* celeberrimum fuit, *Vitiorum interitus*, in quo omne genus fera animantia & venenata vulgo interficere, ac Magis quasi insigne pietatis argumentum obferre solitaverant. *Sacæa* quoque XVI. die Augusti agitabantur, in quibus aliquem ex capitis reis regia purpura decoratum in solium sublime collocant, & per festi dies genio ac libidini indulgere, & cum regiis pellicibus consuescere patiuntur, post nudatum flagrisque cæsum in crucem agunt. *Sacrificia* talia erant, quæ homines insanos verique Dei ignaros arguere satis possent, nam ut multa donem temporis brevitati, quam ridiculum illud, quod igni sacra facientes dicebant: *Comede ô Domine!* aut quam nefarium istud, quod humanis quoque sacrificiis non abstinuerint, *imponentes*, ut exsecratur vetus Poëta

Pectoris ingenui salientia viscera flammis.

Denique ut *miracula* pauca e multis memorem, manes evocarunt, usi herba *aglaophoti*, quæ *marmaritis* dicitur, potaque herba *theangelide*, futura edixerunt: atque, ut in Eliacis prodidit Pausanias, Hiero Cæsareæ & in Hypepis ligna aris imponebant, quæ, recitatis ac demurmuratis ex libro sacro precibus, nullo igni subjecto conflagrabant: Quid memorem, quod a Clemente Alexandrino lib. VI. Strom. in literas relatum est, esse in Persia Magorum regionem, (ea forte *Magodia* est, unde venisse Magos adoratum mundi Servatorem Epi-

phanius scripsit) in ea regione montes esse tres in quibus a peregrinantibus horrendi clamores & quasi militares *barritus*, denique hilares voces & jubila, quasi Pæana canentium, exaudiantur, Magorum artificio, Dæmonis obsequio. Quæ omnia extremam miseriam, & conclamatam Magorum insaniam, antequam nullo suo merito, sed solius Dei benignitate ad lucem cœlestem vocarentur, testatam faciunt! O mitem igitur, ô vere misericordem Deum! qui cum in Magis his nihil ad salutem, plurimum ad perditionem momenti inveniret, misericordior quam justior esse maluerit! Nihil hic meriti nomine actum est: Cedat omne rationis scrutinium, omne hominis ingenium! Nam si ratione; non illuminatione, si suo arbitrio; non Dei imperio ducti sunt Magi, cur Herode invento regem alium quæsiverunt? cur cum Dei filium inveniissent in stabulo, sub una tegula, inter jumenta, & sub panniculis, non hæsitarunt, non pedem retraxerunt? Nati erant jam Herodi filii, regni heredes, & forte aliquis tum parvulus in regia errabat Archelaus: cur alium quæritis, ô Magi, regium infantem? *Archelaus* (quæ mihi Fulgentius utenda dabit de Epiph. pag. 807.) *Archelaus natus est in palatio: Christus in diversorio. Archelaus natus, in lecto est argenteo positus: Christus autem natus, in præsepio est brevissimo collocatus. Ille forsan preciosis involutus est sericis: iste vilissimis involutus est pannis. Et tamen ille natus in palatio contemnitur; iste natus in diversorio quæritur.* Totum hoc tuum est opus ô Deus Deorum, ô clemens Pater! Tu fecisti *ut quærerent te, qui te non interrogarunt antea*, ut apud Prophetam olim scriptum est, *& ut invenirent Te, qui te non antea quæsiverunt:* Tu ad gentem, quæ nomen tuum non invocabat, ipse prior dixisti: *Ecce hic sum! hic ego sum!* Nulla sine sacrilegio fingi potest prævenientis tuæ misericordiæ

ricordiæ præventio, aut ante gratiam tuam disponentem naturalis dispositio! Nulla tamen causa est, cur hic erga Magos tam benignus Deus, adversus alias gentes ipso Arimane Magorum crudelior fuisse, cogitetur: non enim quia sine ullo merito Magos in vocatione reliquis nationibus prævertit, ergo immerito reliquas præteriit. Ut ideo putetur, aut illorum misertus esse, quia eos absolute elegerit, aut his indignatus, quia eos libere rejecerit. Certe *Gratia Dei cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta esse causa potest, injusta non potest*, Hipponensis Episcopi vox est l. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 21. Ad absolutum aliquod decretum confugere, nil opus est: Etenim causa cur antevertat Deus vocans ad salutem hos illis, & sæpe manifesta esse potest, si nimirum major sit necessitas, sive prævisa a Deo fœcunditas; & si occulta est; præstat non inquirere, quam in Dei veritatem ac bonitatem impingere: Recte Prosper Aquitanicus de lib. arb. ad Ruf. p. 358. op. *Quæ sit discretionis istius in secreto consilio Dei causa aut ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & sine fidei diminutione nescitur: modo confiteamur, neminem immerito perdi, neminem merito liberari.*

Sed ex hoc diverticulo *in Ægyptum* eundum est, pervidenda ejus adyta, rimandæ ejus religiones: liceat tamen priusquam progrediamur, brevi interstitione aures animosque relaxare.

De Ægyptiorum religionibus duo hæc dicenda mihi veniunt: Alterum in vulgus etiam notum: *de eorum Diis*; quod breviter expeditum dabimus,

— *Quis enim nescit, qualia demens*
Ægyptus portenta colat?

Alterum paucis cognitum, ex variis scriptoribus erutum, dignum inprimis hoc tempore & vestris purgatissimis auribus,

auribus, auditores honoratissimi, *quibus argumentis inducti*, quibus rationibus persuasi fuerint, viri in toto orbe sapientiæ celebritate famigeratissimi, *ut tam monstrosis Diis cultum ac venerationem detulerint:*

Dii Ægyptiorum in duos ordines distribui possunt: sunt enim alii quasi *maximi* & majorum gentium; alii *minores*, illorum imagines aut ministri, & quasi *patellares* Dii. In primo ordine *Osiris* est & *Isis*, & magnus ille *Serapis*, & *Anubis*, & *Canopus*, & *Orus*, & *Typhon*, de quibus pauca non possunt, multa non debent dici: scripsit de eorum tota ratione Plutarchus, Trajani Imp. præceptor, πάσης σοφίας ἀφεγδίτης ἡ λύσις, prolixum commentarium. Serapis [ne hos Deos omnino indictos patiar abire] celeberrimum Alexandriæ fanum habuit, in quo tam vastum erat ipsius Serapis simulachrum, ut dextra unum parietem, alterum læva perstringeret. Quod monstrum ex omni genere metallorum signorumque compositum ferebatur, ea arte, ut per fenestram radius solis exiguus directus æs & labia ejus, populo inspectante, illustraret: erat & solis in eodem templo signum ex subtilissimo ferro fabricatum, quod, magnete lapide laquearibus inserto tractum, quasi ad salutandum Serapin elevabatur. Vulgi error ac fama sacraverat tantam molem, omnibus persuasis; quod *si humana manus hoc simulachrum tetigisset, terra dehiscens illico solveretur in Chaos, cœlumque rueret in præceps.* Hæc Haymo lib. X. de memoria Christianarum rerum c. 8. ex Rufino. Ipse Rufinus de Canopo rem risu dignam memorat. lib. XI. c. 26. hist. Eccles. *Ferunt aliquando Chaldæos* ignem Deum suum circumferentes, cum omnium provinciarum Diis habuisse conflictum, quo scilicet qui vicisset, hic esse Deus ab omnibus crederetur. Reliquarum provinciarum Dii æris, aut auri, argentique aut ligni, vel lapidis, vel ex quacunque materia constabant,

stabant, quæ per ignem procul dubio corrumperetur. Ex quo fiebat, ut ignis locis omnibus obtineret. Hæc cum audisset Canopi sacerdos, callidum quiddam excogitavit. *Hydria* fieri solent in Ægypto fictiles, undique crebris & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus aqua turbida desudans, defæcatior ac purior redderetur. Harum ille unam cera foraminibus obturatis, desuper etiam variis coloribus pictam, aqua repletam statuit in Deum: & excisum Canopi veteris simulachri quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput desuper positum diligenter aptavit. Adsunt posthæc Chaldæi; itur in conflictum: circa hydriam ignis accenditur: cera, qua foramina fuerant obturata, resolvitur: sudante hydria ignis extinguitur. *Ita sacerdotis fraude Canopus Ægyptiorum victor ostenditur.* Canopus autem pedibus perexiguis, attracto collo & quasi sugillato, ventre tumido, in modum hydriæ dorso æqualiter tereti formatur. Unde est, quod *urnulam ansatam*, mirisque extrinsecus simulachris Ægyptiorum effigiatam, Apulejus summi numinis venerandam effigiem habitam esse testatur [lib. XI. Metam. pag. 419.] & Lucianus, in Jove Tragœdo, πολίηιον κεφαμέων ἢ τρύβλιον, *poculum Samium aut catillum* Deum esse apud Ægyptios asserit. Sed *minorum Gentium* Dii me vocant, quos Ægyptii, ut cœlestium Deorum expressas effigies & animata simulachra, venerabantur. Inter hos alii *ab universis* colebantur, ut e terrestribus *bos*, *canis*, *felis*: e volucribus, *accipiter*, & *ibis*: ex aquatilibus, *lepidotus* & *oxyrinchus*: Alii proprii & peculiares erant, certis locis: ut apud *Saitas* & *Thebanos ovis*, contra *lupus* apud *Lycopolitanos*: *Crocodilus* in urbe Arsinoë, quæ & *crocodilorum urbs* dicta est, quem sacerdotes vino, carne & pane, a peregrinis allato, nutriebant, & *Suchum* vocabant, ac tam sancte colebant, ut cum aliquando mulier

lier crocodili catulum aleret, omnes eam ut Dei nutricem beatam prædicarent, qui cum ejus mulieris filium, æqualem suum, adultior factus vorasset, tantum abfuit, ut mater lugeret, ut sibi quoque ac filio gratularetur, quod domestici Dei victima factus esset. Contra *Heracleotæ* hostes crocodili *ichneumones* colebant. Est id animalculum crocodilis infestissimum: nam cum crocodilus egressus in præripia hiavit, Ichneumon aditum oris, ut Ammianus Marcellinus lib. XXII. p. 278. loquitur, penetrat, populatoque ventre vitalibus dilancinatis erumpit. Ita Deus habitus fuit apud *Latopolitanos Latus* piscis, apud *Hermopolitanos cynocephalus*, apud *Babylonios* juxta Memphim *cepus* simius, *leo* apud *Leontopolitanos*, *aquila apud Thebanos*, *hircus apud Mendesios*, *mustela apud Athribitas*. Ejusmodi sacra animalia cibis lautissimis, victu mundissimo educebant, lacte & similagine sustentabant, assos etiam anseres, aut, si cruda præmallent, aves deplumatas adponebant. Eorum si quis aliquod male tractasset, aut forte occidisset, capite facinus luebat, *ibim* etiam aut *accipitrem* si casu non sponte interfecisset: At si qua propria morte essent defuncta, tota familia lugebant, capillis ac superciliis ad cutem derasis, deducebatur funus, & sanctis loculis, sale prius bene conditum, deponebatur. Si quid esculenti, si frumenti aut vini quid in ea domo reperiebatur, in quo felis, canis aut aliud sacrum animal diem obiisset, id deinde gustare religiosum erat. Numina hæc sunt, Auditores, an ut recte indigetavit Lactantius lib. II. c. 15. *portentificæ figuræ?* sacra an ludibria? Nec modus est tamen insaniæ. Nam præter fœdissima animalia, quædam etiam pudenda dictu tanquam Deos adorare non erubuerunt. Ea sine honoris præfatione nominare nefas est. Veniam prospera, Venerande consessus, pudet memorare, quod Ægyptios venerari non puduit.

Infandi

Infandi illi Dii non possunt, nisi verbis prætextatis & nudis, dici. Nolo meminisse, quod dubiæ auctoritatis scriptor, Clemens Romanus Episcopus, Petri discipulus lib. V. recognitionum literis consignatum reliquit: *Ægyptios coluisse cloacam & crepitum ventris*, sit dicto venia! Certe & Romani rerum Domini inter Deos ac Deas numerarunt *Sterculium*, qui stercorandi agros rationem reperit; & *Cacam*, quæ Herculi de boum furto indicium fecit; *Cloacinam*, a Tatio Sabinorum Rege in cloaca repertam: Certe ventris *obscœnus strepitus* apud Græcos *optimi ominis augur*, & ut Homerico vocabulo eum adpellem

— — ἀπάσθαλος ἀγγελιώτης.

habitus est, apud Romanos, Catone Teste, *vitium faciebat auspiciis.*

Id autem extra aleam dubietatis est:

Naturæ partes, veste quas celat pudor

ut Phædri verba usurpem, eas summo cultu prosecuti sunt Ægyptii, ut causas creationis animalium. Auctor est Diodorus Siculus lib. II. Biblioth. In earum honorem φελλία ἡ φαλλαγωγία festum celebratum est, in quo *præeunte tibia cubitalem statuam* νευρόσπαστον sequebantur Ægyptiacæ mulieres. Νευρόσπαστα autem dicebantur ἄνδρες μικροὶ ἐκ ξύλε πεποιημένοι, μεγάλα αἰδοῖα ἔχοντες, ut Lucianus scripsit de Dea Syria: *Virunculi erant, non admodum magni, virilibus immodicis adornati*, & ita graphice fabrefacti, ut, teste Aristotele in libro de Mundo, omnia membra filis agitari possent: Ergo si *Neurospasta*, qui eo ludicro quæstum faciebant, *filum, quo membrum aliquod moveri poterat, traxissent, torquebatur cervix, nutabat caput, oculi vibrabant, manus ad ministerium pedesque præsto erant, nec invenuste*

toti videbantur vivere. Hæc tam turpia sacra non ad Græcos tantum derivata sunt, solitos

— — *truncum forte dolatum*
Arboris antiquæ, numen venerari Ityphalli
Terribilis membri, medio qui semper in horto
Inguinibus puero prædoni falce minatur.

cui inprimis dediti Deo fuerunt *Lampsaceni*; sed etiam ad Romanos pervenerunt, namque apud Latinos, divo Augustino teste lib. VII. de C. D. c. 21. *in Liberalibus Liberi pudendum membrum per agros vectabatur, plostellis impositum, & quidem contra fascinationem:* tribuebatur tam festivo festo totus mensis in oppido Lavinio, iisque diebus omnes verbis flagitiosissimis utebantur, donec ei membro, per forum transuecto, *honestissima loci matrona palam coronam imposuisset.* O pudendas religiones! ô infandas cerimonias! & tamen his ritibus omnia ferme mysteria constabant, quæ si quis cognoscere cupiat apud Clementem Alex. in protreptico suis coloribus depicta inveniet, *Ego Priapum denudare nolo, ne quid dignum risu adpareat,* ut loquar cum Lactantio lib. I. cap. 21.

Eratne tam profligatæ stultitiæ ullus prætextus? aut quanam cum ratione tantopere insaniverunt Ægyptii! hoc fuit *alterum* hujus membri de Ægyptiorum religionibus *caput.* Atque hic patescent ineloquibiles Diaboli præstigiæ, quibus inducere potuerat viros sapientiæ mundanæ fastigium adeptos, quique ingenii acie per omnes rerum classes, sagaciter *usque supra extremum cœli dorsum* emissa, certe veri Dei naturam omnino ignorare non potuerunt.

Theologiæ paganicæ, ut ex togatorum doctissimo Varrone recenset Augustinus lib. VI. de Civ. Dei c. 5. *tria fuerunt genera,* Eorum unum adpellatur μυθικὸν seu *fabulare,*

bulare, vel fabulosum: alterum φυσικὸν seu *Naturale*, tertium πολιτικὸν *civile*. *Mythicum adpellant, quo maxime utuntur Poëtæ; Physicum, quo Philosophi: Civile quo populi. Prima Theologia maxime accommodata est ad theatrum, secunda ad mundum, tertia ad Urbem.* Ad tria hæc Theologiæ genera varias superstitionis Ægyptiacæ rationes referemus, quas, ut diversorum scriptorum discrepantibus sententiis sunt consignatæ, audire operæ pretium est. Quod igitur bene vertat; *favete linguis!*

Primum animalia consecrata sunt propter *causas fabulares.* Duas præcipuas memorabo, *assem parate, & accipite auream fabulam.* Duces Ægyptiorum cum, ut apud Romanos quoque & alias nationes usu receptum fuit, in signis militaribus variarum bestiarum imagines depictas copiis suis præferre consuessent, iterum atque iterum eorum auspicio victoria hostiumque potiti, iis animalibus divinam venerationem exhibere cœperunt. Inter alia prodidit Diodorus Siculus ἐνδοξοτάτῳ ἱερολογέφων, ut a Justino Martyre salutatur. Et probabile est hanc fuisse originem, si quis consideret, quo cultu signa militaria a Persis, a Romanis, denique a Christianis quoque, paganorum imitatione adfecta fuerint. Aquilæ signum, quod a Persis Romani acceperunt, plane ex pari cum Diis suis immortalibus venerati sunt. Nam lætis temporibus floribus coronarunt, laureis frondibus ornarunt, fragrantibus unguentis perfuderunt. Denique *tota castrensis religio signa jurabat, signa adorabat, signa Diis omnibus præponebat.* Ita *Labarum*, quod a militibus adorari solebat, Constantinus in crucis signum mutavit, *cujus frequenti inspectione, a priori more desuescerent subjecti, & eum solum Deum colere discerent, cujus ductu adversus hostes uteretur Imperator.* Hæc Sozomenus lib. 1. Trip. hist. c. 4. *Labarum* hoc *Christus signabat*, ut canit Prudentius

— *gemmato textus in auro.*

Hæc ergo prima ratio præfert aliquid veri, illa quæ sequitur vere fabula est, & *picta in pariete nebula.* Ajunt enim superos, cum a Gigantibus olim expugnato cœlo, Typhoëi manus effugere non possent, in Ægyptum se recepisse, ubi *in arietem* conversus est

— — *Jupiter, unde recurvis*
Nunc quoque formatus Libys est cum cornibus Ammon:
Delius in corvo, proles Semeleja capro,
Fele soror Phœbi, nivea Saturnia vacca,
Pisce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.

Atque hæc, ajunt Ægyptiorum *Arpedonaptæ*, in sacris libris (teste Luciano) *ante decem annorum millia* literis mandata contineri. Scilicet ut mendacium hoc, per se nec titivillitio dignum, omnibus numeris perfectum esset. Hæc ego vulgo & aniculis denarrata existimo, non credita a viris sapientibus, quos istius commenti pudere etiam potuisset, nisi vanam induissent animo opinionem, *sacra plebi & faci hominum non esse revelanda.*

Ea de persuasione inter *civiles causas* dicendum est aliquid: Quas in duos ordines distribuo [reliquas enim fabulas ad cunas & tonstrinas remitto.] Aliæ enim Civilium causarum ad *mores* pertinent, aliæ *ad Rempublicam. De moribus* quomodo Philosophati sint Ægyptii audiamus. Putabant hunc post Dei venerationem, alterum esse religionis scopum, ut animi hominum expurgatis vitiorum sordibus, omnigena virtutis fruge inserentur: Et hoc non male putabant: optima enim religio est imitari Deum, quem colis, & ejus se legibus atque ingenio, quoad illius fieri potest, conformare. Hunc ergo animalium fœdissimorum cultum persuasi erant incitabulo esse hominibus ad *modestiam*, ad *frugalitatem.*

litatem, ad *gratitudinem*, denique ad reginam omnium virtutum quasi manu aut tænia ducere, *ad pietatem*. En vobis, Auditores optimi, dolosum tendiculum, & occulta Diabolicarum fraudium retia! quibus illaqueati miserrimi illi homuli nequiverunt.

— — *errorum evadere noctem*
Inque viam visa luce referre pedem.

Prosper in Epigr. p. 599. Auro illusi hi laquei! melle illita hæc venena! sed videamus singula.

Modestiam itaque quod attinet, religiones omnes maxime metu & veneratione constare arbitrabantur. Itaque ne populi contactu profanarentur & evilescerent, optime iis consultum putabant, si clam populo haberentur, & variis animalium figuris celarentur. Populus res divinas concoquere non posset; lactandus ergo monstrificis figuris erat: δεῖται γὰρ παραπείσεως *portentis opus habet*, hæc & similia disputat Cyrenensis Episcopus *Synesius* de hoc infando Ægyptiorum sacrorum ritu. Nihil olim hac opinione celebrius; nihil vulgo esse cum Dei cognitione, cum rebus sacris.

Primus in orbe Deos fecit Timor: ardua cœlo
Fulmina cum caderent.

Petron. fragm. Idem eosdem tuetur; quo circa ne, quod fieri amat, consuetudine apud homines exolescat, sacra portentis & obscuris tenebris munienda sunt. *Ut qui in lutulentum puteum aquam defundit, & hanc corrumpit, & illum turbat: ita*, ait Lysis in epist. ad Hipparch. *iis evenit, qui sacras res profanæ plebi evulgant: nam & lacteus ille sapientiæ divinæ liquor amittit saporem in impuro pectore, & improbæ mentes plerumque redduntur tantum deteriores.* Hæc pestilens inveterati erroris gangræna in ipsa etiam Ecclesiæ vitalia grassata est, ut ideo

laicis obedientia cæca, & fides implicita præciperetur, ac lectione Sacrorum librorum interdiceretur. Ita Ægyptiorum deliramentis subscribere Roma verita non est. Nos *clausis thesauris incubare* nolumus: Vetuit olim Siracides. Nos *lucernam modio obruere* nefas esse ducimus: monuit optimus veri Præceptor Dei filius. Censemus *egregiam Musicam*, ut vetus habet parœmia, *quæ sit abscondita, eam nulli rei esse*: Atque *universos sine ullo discrimine vel sexus ætatis ad cœleste pabulum convocamus. Nullus enim suavior animo cibus est, quam cognitio veritatis.* Lactant. l. I. cap. I.

De frugalitate, quam Publicus Syrus in mimo eleganter adpellavit *insertam rumoris boni*, ita ratiocinatur Porphyrius περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς. *Animi finis est Deo assimilari. Deus autem nullius rei indigus est, nulli nocet. Ergo felicissimus & Deo simillimus est, qui ita se comparavit, ut quam minimis egeat, utque quam paucissimis noceat.* Atque hanc, ait, causam fuisse, cur animalia apud Ægyptios sacra haberentur. Sed hæc ratio non procedit. Nam quæ est ab animalium abstinentia, ad eorundem *Deificationem* consequentia! Nolo his tricis immorari, venio ad *Gratitudinem*, in qua nimiopere a vera ratione lapsi sunt. Nam *ob beneficia*, ut ait Diodorus Siculus lib. II. cit. *quæ ab animalibus ad homines pervenirent pleraque consecrata sunt.* Explicatius de ea re dissertare solitus Sanctus Apollo apud Palladium in historia Lausiaca cap. LII. Quem non piget audire: *Canes & simias, & allia & cepe, & ex vilibus oleribus multa existimabant Deos Ægyptii, cujus idololatriæ causam hanc referre solitus est S. Apollo: Nam bovem quidem, ajebat, in Deos referebant gentes, quæ ante nos Ægyptum incoluerunt, quoniam per ipsum exercentes agriculturam, victum sibi parabant: aquam autem Nili, quoniam irrigat omnes agros, terram colebant, ut*

quæ

quæ aliis regionibus esset fertilior. Reliquas abominationes, canes & simias, & ceteram animantium ac olerum colebant turpitudinem, quatenus eorum usus fuit illis causa salutis, cum eos Pharaonis tempore occupatos tenuisset, ne cum eo rubro mari submergerentur. Quicquid enim eos tenuerat ne Pharaonem sequerentur, in Deorum album relatum est; Eadem ratione, ut monet Plutarchus, *Lemnii galeritam* coluerunt, quia bruchorum ova confringit, & *Thessali ciconiam*. Atque hæc, ut ait Publ. Syrus,

Pietati cultrix, gracilipes, crotalistria,
Avis exul hiemis, titulus tepidi temporis,

Romæ *pia avis* dicta est, diuque habita, sero tandem a Sempronio Rufo mensis primum illata. Alexander Myndius etiam in quasdam desertas Oceani insulas abvolare scripsit, atque ibi in hominem transformari. Fides sit penes auctorem! Denique Froglodytæ inter Ægyptios liberis etiam *non sua sed pecorum suorum nomina* indiderunt, eaque patrum aut matrum nomine dignati sunt. nihilo subtilius usi sua ratione, quam vervex ille Æsopius, qui capellam quæ *nefrendem aluerat, lacteam immulgens opem*, matrem suam vocabat, non ovem quæ genuisset, hoc argumento, quod, ut ait Phædrus

Faciat parentes bonitas non necessitas.

Inter ea beneficia animalium numerarunt etiam *divinationem ex animalibus*, qua de causa Jon apud Euripidem religionem sibi faciebat alites occidere τὰς τῶν θεῶν ἀγγέλους φήμας. *Deorum voces & consilia enunciantes.* Apud Ægyptios hoc tanti æstimatum, ut, quia *si humerus, si oculi subsiliissent, ea res ominosa erat, unde salissatio ex ejusmodi repentino membrorum motu divinationis species*; ideoque vicatim *aliis humerus dexter* Deus

esset, *aliis e regione sinister*, aliis *dimidia pars capitis*. Res omnem insaniæ modum supergressa! Recte Romanorum sapientissimus Seneca lib. V. de benef. c. 18. *Prodest quidem animal, & lapis, & herba, nec tamen beneficium dant, quod nunquam datur nisi a volente.*

Supereſt *Pietas*, ad quam conſervandam nihil interesse credebant, quomodocunque coleretur Deus, modo ſi Deus! *Imagines ideo inventas, ut*, quemadmodum diſputant apud Athanaſium in Orat. contr. idola, *his veluti primis elementis imperita plebs diſceret Deum, humanis oculis inviſitatum, animo contemplari.* Et quomodo aliquis ex noſtris doctoribus *picturas laicorum biblia* appellavit: Ita Porphyrius apud Euſebium affirmat *librorum inſtar eſſe ſigna & ſtatuas, iis qui poſſent ex his rerum divinarum ſcientiam recognoſcere.* Ergo *cum ſenſus noſtros Dei eſſentia excedat, auxilium a verbis, a nominibus, ab animalibus, a figuris, a plantis, a fluviis, aliisque rebus petendum eſſe rebantur.* Nihil hic intereſſe, quo quisque itinere inſtiterit, Dei cognitionem perſequi, cum, ut ait Symmachus in Relatione, *una via ad tam grande ſecretum perveniri non poſſit. Intelligant modo quem colunt, & ament.* Ita nihil differre ajebat apud Origenem [lib. V. in Celſum] Celſus, Deus Jupiter diceretur, an Dieſpiter, Adonæus an Sabaoth, Ammæus ut ab Ægyptiis, aut ut a Scythis Pappæus. Cæterum Dei ſimulachra omnia venerati fas & pium eſſe, *cum & amantes, quicquid eorum, quos amaverint, memoriam reducat, ſeu calceus ſit ſeu monile, libenter oculis contrectent, ad pectus premant, ore exoſculentur.* Hæc pleraque Maximus Tyrius, ita ſubtiliter, ut Tridenti patrum memoria nihil ſubtilius de ſtatuarum cultu concluſum fuerit. Quod ſi hæc vere dicuntur, Deum ſi bona intentione colas, quomodocunque coli poſſe, & lineam hac in re ab ipſo Deo traditam bona intentione derelinqui poſſe,

posse, & Dei simulachra, ut relicta quædam ab illo monumenta, memoriam ejus refricantia & amorem, bona intentione coli posse; Ergo prodeant iterum omnes Christi beneficio extinctæ superstitionum tenebræ, occupet solium suum Cimmeria nox, quo lucis exortu dejecta est. Adorent iterum singuli singulos Deos, Æthiopes *nigros & simos*, Thraces *fulvos & cæruleos*, Phœnices *cum crumenis*, Spartani *in armis*, Romani *cum barbitiis*. Adorent iterum Scythæ *acinacem*, Æthiopes *diem*, Phryges *Lunam*, Persæ *ignes*, Ægyptii *aquas*, Indi *draconem* pro Baccho, Celtæ *quercum* pro Jove, Pœones *discum* pro sole, Paphii *albam pyramidem* pro Venere. Circumagant se Ægyptii iterum, ut ad animalia veniamus, conspecta *fele aut serpente, aut cane*, & osculum labiis premant. Venerentur Thessali *ciconias*, Lemnii *galeritas*, Assyrii *columbas & pisces*, Myrmidones *formicas*, Thebani Græci *feles*, qui Troada incolunt *mures*, Acarnanes *muscas*, Samii *oves*. Addant Romani *hastam*, Martis simulachrum; addant Icarii Lunæ effigiem, *lignum non elaboratum*; Adferant Arabes *lapidem quadrangularem*, Thespienses pro Junone Citharonia *truncum indolatum*, Samii pro sua Junone *asserculum*. His in cumulum adjiciantur detestata in sacris paginis idola, *Adrammelech* pavus aut mulus, *Anamelech* phasianus forte vel coturnix; *Asima* hircus aut simius, *Asthoreth* ovicula, *Dagon* in quo

turpiter atrum
Desinit in piscem mulier formosa superne:

Denuo reviviscat in *Gallo silvestri* Deus *Nergal*, in cane *Nibehaz*, in Asino *Tartak*, & quis omnia monstra enumeret? Tot sacrilegiis una ex hac fidelia Bonæ intentionis albarium induci potest. Ergo post omnes Deos *Lithuani* sacerrimum suum *malleum* adferant, quo carce-

rem perhibent effractum fuisse, quo sol captivus tenebatur, ut fustuario refutent tam impias abominationes. Æn. Sylv. de statu Europ. *O imaginum cultor! ô rerum insensatarum adorator!* [alloqueimur enim eos Caroli Magni verbis ex eo libro, quem adversus imaginum cultum conscripsit;] *Tu luminibus perlustra picturas; nos frequentemus divinas Scripturas! tu fucatorum venerator esto colorum; nos veneratores & capaces simus sensuum arcanorum: tu depictis demulcere tabulis, nos divinis mulceamur alloquiis.*

Ut *Rempublicam* religione firmarent, quod inter causas civiles *secundo loco* dicendum fuit, Ægyptii animalia coli voluerunt. Busiris primus apud Isocratem harum religionum auctor fuisse fertur. Inductus his rationibus; *primo* quia populum adsuefaciendum ducebat, ut absque ulla discussione imperata faceſſeret: *Deinde* voluit periculum facere in re manifesta, quomodo occulte essent erga se animati subditi, ratus, qui in re minori imperium suum despexissent, eos in majori id non magni æstimaturos. Hæc si Rhetor non excogitavit, versatus in difficili argumento, ut illaudatum Busiridem orationis artificio faceret commendabilem, certe talia sunt, ut neminem nisi crudelissimum tyrannum decere possint. Illud *subtilius inventum* narrant Plutarchus & Diodorus, cum Ægyptii regibus sæpe rebellarent, repertum esse aliquem πολιτικῆς κακοτεχνίας οὐκ ἀμύητον *Orgiis Machiavellicis initiatum*, qui suasor & auctor fuerit, ut Ægyptus in Nomos & regiones divideretur, singulisque regionibus singuli Dei traderentur, ut exortis ob diversitatem sacrorum simultatibus, deinceps difficulter possent adversus reges conspirare. Atque hæ *civiles* ferme causæ sunt. Supersunt *naturales*.

In manibus terræ: non hic vos carmine longo
Atque per ambages & longa exorsa tenebo.

Natu-

Naturalis causa *altera* fuit, observata in animalium indole quædam *cum cœlo* & illis æternis siderum ignibus *occulta conspiratio*, quam συμπάθειαν dicimus. Ergo scarabæum, felem, serpentes, leones partiario majestatis honore cum Diis suis immortalibus tractarunt: *scarabæum* ὡς εἰκόνα ἡλίου ἔμψυχον, ut vivam solis effigiem: *Felem*, quæ cum sole veniente aut decrescente quotidie oculos mutat, & modo ampliores habet modo minores, unde sol Heliopoli αἰλυρόμορφος *felis imagine* pictus est, ut testatur Horus Apollo lib. 1. hierogl. c. 10. qui & *serpentes* ideo sacros fuisse scripsit, quod totius hujus universi symbolum essent, ac cauda stellulis variegata cœlum, gravitate terram, lubricitate aquam repræsentarent. *Leonem* autem coluerunt, & ejus rictibus templorum fores exornarunt, quod, sole leonem ingresso, Nilus exundare soleret. Plutarch. IV. Sympos. q. 5.

Altera naturalis causa fuit credita animarum μετενσωμάτωσις, *in alia corpora transmeatio*. Inter extrema febrientium deliria nulla mundo pestilentior opinio insedit; fons profecto omnis superstitionis, quo aperto tam diræ impietatis pelagus orbi terrarum superfusum est. Animas enim, ajebant, ex *ipsa Deorum natura haustas & delibatas* & quasi ἀπαυγάσματα ἢ ἀποσπάσματα τῆς μακαρίας φύσεως *æternæ illius essentiæ radios aut ramenta*, e cœli fornicibus in terras descendere. Ejus descensus alii aliam esse causam disputabant, Heraclitus τὴν τοῦ ἡρεμεῖν ἐπιθυμίαν καὶ ἀρχῆς ἐλπίδα *desiderium quietis & libidinem dominandi*; Empedocles *peccatum*, ut æternæ lege animæ, quæ se piaculi alicujus alligaverint, descendant, & in præceps labantur. *Eas ergo in corpus perinde atque in vorticosum flumen delapsas, statuebant interdum quasi fluctuantis aquæ vorticibus abripi & absorberi: interdum impetum illum eluctatas, indeque emergentes retro deinde subvolare, illo unde erant profectæ.* Hoc paucissimis contingere.

— *quos æquus amavit*
Jupiter, atque ardens evexit in æthera virtus.

Philo de Mundo.

Plerasque magis magisque descendere, & sero tandem purgatas ad originem suam reverti. Ergo alias e viris abire credebant in fœminas, alias adhuc graviori impetu trahi in bruta, atque *ita eandem animam*, ut ait Anesius in Theophrasto, ἢ ἄνθρωπον ἢ βᾶν, ἢ κύνα ἢ ὄρνεον, ἢ ἰχθὺν μεταμπίαζεσθω, *hominem, bovem, canem, avem & piscem induere.* Atque hæc etiam causa impulit Ægyptios ad animalium cultum: quod, ut Chæremon apud Porphyrium adfirmat, *alia aliis Diis conformia* crederent, ut soli asturem, scarabæum, arietem atque crocodilum, persuasique essent, *omnem a corpore sequestratam animam esse rationalem, & futuri præsagam.* Nam & *Api* propterea tanti honores habiti sunt, quod existimarent *Osiridis animam* in eo hospitari, ut est apud Diodorum Siculum l. cit. scriptum. Erat autem Apis *bos niger, certis maculis insignis, & cauda linguaque dissimilis aliorum, raro nascebatur, nec coitu pecoris, ut ajebant, sed divinitus & cœlesti igni conceptas.* Pompon. Mela 1. c. 9. Adflavit hoc pestilens absurdæ persuasionis sidus totum orientem: Nam apud Turcas ea maxima est eleemosyna, fœtis canibus frusta jactare, & offarum reliquias adponere, avesque pretio redemtas libero aëri restituere. Burbequius epist. III. Quin ipse *Mahometes* in deliciis *felem* habuit, quæ cum in mensa, lectitante eo, super manicam obdormivisset, & tempus esset rem sacram peragendi, maluit ille manicam abscindere, quam feli turbare somnum. *Baneanes* Indorum sapientes hodieque non animalibus tantum, sed & aliis, vino, napis, omnibusque rubro colore infectis abstinent, ex quorum instituto Cambajetæ est *avium nosocomium*, ex quo aves sanantur, & in libertatem vindicantur.

cantur, Matal. Metell. præf. Oſorii. Hoc deliramentum ex Ægypto Pythagoras in Græciam intulit, & Empedocles: Ille ita inſanus, ut cum *aſinum* audiſſet rudentem, dixerit, ſe in iſto aſino latitantem amici cujusdam ſui animam ſcire, a qua ſit cognitus: Eurip. Scholiaſt. in Hecub. extrem. hic de ſe iſta pronunciare eſt auſus;

αὐτὰς ἐγω γενόμην κόρη, κἄρός τε, ϑάμνος τε
Οἰωνός τε
Ipſe fui virgo, Juvenisq́, arbuſcula aviſq́.

Hæc cum vulgo jactarentur, ut purgatam aliqui mentem haberent, quæ mortali corpore ſoluta ad patriam ſuam faciles haberet recurſus, quid non illi facere parati erant, quid non ſuſtinere; Alii ad ſacrificia confugiebant, perſuaſi, ut in *Tagetis Hetruſci* libris ſcriptum eſt, *certorum animalium ſanguine numinibus dato, divinos fieri animos, & ab legibus mortalitatis educi.* Alii Magorum *commendaticiis precibus* fidebant, quibus emollitæ neſcio quæ poteſtates, faciles vias præberent ad cœlum. Alii *myſteriis* initiabantur, variis ritibus, in quibus fideles ſuos Diabolus & tingebat, ex iis expiationem delictorum de lavacro repromittebat, ut loquitur Tertullianus de præſcript. cap. 40. ad quæ ſacra nemo, niſi variis probationibus per multa tormentorum genera, ſuſceptis, denique admittebatur. Major pars animum *Philoſophiæ munimentis* circumvallabant, quæ rebus ad nutum fluentibus videri poterant *murus Semiramidis*, ut proverbio dicitur, ad primam fortunæ aut mortis impreſſionem concidebant vana perfugia

--- *Quæ leniter adflans*
Aura ſuſurrantis poſſet confundere venti. Virg. Culice.

Ita omni præſidio deſtituti, hominum, quotquot ſol adſpexit, infortunatiſſimi, animam inter metum & deſperationem

tionem quasi *inter orcum & solem* trahebant, pariter & beatæ vitæ & mortis quietæ ignari. O felices nos iterum atque iterum! quorum animis clarior ab æterno illo lucifero lux affulsit! errabant infelices illi majores nostri, incerta animi tempestate confusi, cujus in Dei se tutelam fidemque dederent: Nos & unius veri Dei cognitione imbuti, & merito illius numine freti sumus. Illi omnis salutaris scientiæ expertes, obbrutescebant mente, & longe se infra humanam conditionem abjiciebant: Nos cœli secretorum conscii tanto supra humana omnia emersimus, quanto singulari initi a Filio Dei cum nostra natura conjugii prærogativa ipsis etiam cœli proceribus Angelis excellentiores evasimus. Illi cum bene vivere non nossent, bene mori non poterant: Nos quasi in bonæ conscientiæ gremio compositi cum vitam honeste possimus transigere, quomodo mortem aut timide exspectare, aut infauste oppetere poterimus.

Habetis, auditores omnium ordinum gravissimi, quæ de infinita re quam brevissime dici potuerunt. Tenebras Gentium spectandas exhibui, vos lucem Christianorum cum animis vestris reputate, tanto hæc clarius eluceset, quanto illæ sunt tenebricosiores: Ea ratione & *in pictura*, ut Gregor. Magnus homil. II. post Trin. ait, *niger color substernitur, ut albus vel rubeus clarior videatur.* Erit hæc collatio, *arrha Messiæ revelati*, nam ex quo Christus emicuit, evanuerunt ista omnia:

Mortua jam mutæ lugent oracula Cumæ,
Nec responsa refert Libycus in Syrtibus Ammon.

Prudentius in Apotheôsi. Erit hæc tenebrarum gentilium consideratio, *statua Mercurialis*, ut χεὶρ πόδας sequamur eum, qui nos ex tam profunda nocte eduxit, unicum veritatis doctorem, ne in majorem caliginem præcipites lapsi laqueo pedes iterum induamus. Erit denique, ut numero

dicam,

dicam, hæc cogitatio *incentivum* ad solidam lætitiam, ad calidas preces, ad immortales gratias. O quam contemta res est homo, si Dei suique ignarus ævum degat, *postremissimum* certe in terris *animal*. Nisi ad Christi sacramenta, ad illa omnibus seculis absconsa Dei mysteria admitteremur; quis nasci operæ pretium esse ducat? quis vivere tanti faciat, ut sine spe velit tantum æstuare, luctari, mori, perire? Ad tam beatam sortem cum Dei voluntate in Christo vocati simus, non omnibus incedemus lætitiis? non exorabimus tam mite numen, ut quod cœpit, peragat, consummet? non ei gratias humili corde, ore supplici quia debemus, solvemus, cum etiamsi solverimus, quantas maximas concipere poterimus, debere non desinamus? ut omnis vox, lingua omnis, omnisque spiritus,

Christum concelebret, Christum canat, omnia Christum
Muta etiam fidibus sanctis animata loquantur:
O nomen pradulce mihi, lux, & decus, & spes,
Præsidiumq; meum, requies ô certa laborum!
Blandus in ore sapor, fragrans odor, inriguus fons,
Castus amor, pulchra species, sincera voluptas!

DE

DE OFFICIO BONI SCHOLARCHÆ.

QUod in Græcorum ludis *Agonarchæ* fuerunt hoc in Gymnasiis nostris sunt *Scholarchæ*, eorumque delegati, quibus *Inspectorum* nomen consuetudo indidit. Eorum de officio *augurium* faciam, augurium? non quale illi, ut ait Accius,

— superstitiosi vates, impudentesq; arioli
aut inertes aut insani, aut quibus egestas imperat.

Qui *ex oscinum cantu, ex præpetum volatu, ex pullorum*, ut loqui amabant, *solistimis tripudiis* futurorum eventa conjectare fuerant, qui gloriabantur intelligere se τὰς θεῶν φήμας, *Deorum loquelas*

Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

Qua tamen arte nihil erat inertius, qua scientia nihil insscitius. Pulchre antiquus Poëta Pacuvius

— qui linguas avium intelligunt
Plus ex alieno jecore sapiunt, quam suo.

Aliud ego captabo augurium; ab avium ingeniis docebo, qui bonos Scholarchas decere arbitrer: & de eorum officiis propositis veterum sententiis *de cœlo servabo, si aves addicant, an oporteat obnunciare?*

Atque eccam vobis *gruem!* Bona certe, quod ajunt, scæva, & liquidissimum auspicium! *Grus enim*, ut ait Episcopus Saresberiensis in Policratico, *semper adsert, quod expe-*

expedit, unde gruere verbum antiquum, a quo congruere quod proficit, & ingruere contra quod officit. A gruibus ergo discemus, quid bono Scholarchæ *in genere* factu sit opus. Quid ergo? providere ne quid publica res literaria detrimenti capiat: eam ad rem requiritur *Prudentia* in constituendis & conservandis scholiis; *vigilantia* in deprehendendis hostibus; *Constantia* in tuendis legibus & privilegiis; denique *Eruditio* quoque non adeo trivialis aut vulgaris. Earum virtutum specimen dabunt *Grues.* Habent illæ, ut ab Aristotele & Plinio memoriæ proditum est, ducem in volatu, & si quando coorta tempestate vel labore defessæ quiescunt, ac velut interjungunt, tum ceteræ dormiunt, capite sub alam condito, uni pedi alternatim insistentes, dux autem nudo capite prospectat, & si quid adversi senserit clangore significat. Specta hoc prudentiæ & vigilantiæ naturale speculum, ô Scholarcha, & pro re tua Scholastica

Excubias vigilanter agas, tibi ne irruat hostis,
Ceu vigil exemplo te monet ordo gruum.

[Camerar. embl. XXVII. Cent. 3.] Reipublicæ præsidem prudentem esse oportet, & vigilantem. Id quod Ægyptii Sacerdotes indicabant *oculo in sceptri apice depicto.* Etenim Synesio teste, τὰς ἁπάντων φροντίδας κατωμαδὸν ἀειρόμενος φέρει, καὶ μόνος ὥσπερ τῆς ἁπάντων ἀσχολείτω σχολῆς, *omnium ille curas quasi humeris suis impositas fert, & omnium ocia negociis suis defendit.* Et quod in re summa principem decet, id in schola Scholarcham, ut clavum rectum teneat. Agite igitur sartas tectas servate scholas, & pro literis tanquam pro Aureis Hesperidum pomis pervigilate. Date hoc *gloriæ Dei*, date *vestræ*: spectate *salutem publicam*; observate *hostium conatus.*

Nihil *gloria Dei* esse vobis debet antiquius. Principes urbium & populorum. Dei estis servi. *Quid enim sunt*

Chri-

Christiani populi rectores, nisi ministri omnipotentis? ait Sedulius de Rectoribus Christianis cap. 1. Cogitate cujus ope & auxilio ad sublimem hunc fortunæ suggestum evecti sitis: &, quod monet Chrysostomus, nolite καταχρήσθαι ταῖς παρὰ θεῦ διδομέναις ἡμαῖς, εἰς τὸ τοῦ θεῶ πρόσκρουειν, ἀλλ' εἰς τὸ μᾶλλον ἀρέσκειν αὐτῷ: *nolite* inquam *abuti honore vestro ad Dei dantis ignominiam, sit ille vobis honor non ad impietatem fax, sed ad obsequium incitabulum* [de sacerdotio Dial. 4. cap. 1.] At enimvero nisi succrescens adolescentiæ flos in Scholis recte excolatur, morum barbaries, Dei contemtus, quasi irrigua herba passim pullulabunt, eritque adeo Dei gloria res cum vestra ætate interitura, qui post vos vivent homines, si nunc in Scholis non erunt in bonos mores induti, Dei nomen nescient, gloriam calcabunt. Taceo id vobis Deum Opt. Max. dedisse in mandatis, ut essetis Scholarum custodes, huic imperio si locum non datis, omnis Domini vestri apud vos metus exoleverit necesse est. *Frugi servus qui audire velit*, Comici dicto sit audiens:

Herile imperium discat, ut quod frons velit, oculi sciant,
Quod jubeat, citis quadrigis citius properet persequi.

Addidi *vestra etiam e re* esse Scholas, ut gloriarum vestrarum Templa, dedicare, dedicatas conservare, conservatas donariis cumulare. Musæ ut ut meriti de iis fueritis, famæ vobis olim erunt atrienses & promæ condæ. *Hercules Musageta* dictus est olim, *quia*, ut eleganter ait Eumenius Rhetor, *mutuis operibus & præmiis juvari ornariq; debent, Musarum quies, defensione Herculis; & virtus Herculis, voce Musarum* [Pro Mænian. instaurat.] Eligite ubi in famæ sacello stare velitis, immortali dedicati memoriæ, & quasi *Palladio* intexti *Peplo*: an inter Licinios, Domitianos, aliosque cruentos Tyrannos, Scholarum pestes? an inter Constantinos, Carolos, aliosque

que Heroas, lumina literarum & columina! *Salus Reipublicæ* suprema lex esto, ad hanc omnia vestra collineanda sunt consilia; huic uni remis equisque velificandum est. At quo pacto constare illa potest, si Scholæ funditus occiderint, si quisque teneros suos natos, cives olim futuros, in pueritia fingat, artet, corrumpat pro lubentia. *Educatio*, ut Senecæ gravissimam sententiam usurpem *maximam diligentiam plurimumq; profuturam desiderat; facile est enim teneros adhuc animos componere, difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt* [lib. II. de ira c. 18.] Sævissima est consuetudinis in mores tyrannis, eamque, Varro ait, *male importatam esse inextinguibilem.*

Nec revocare gradum quisquam, gressumq; referre
Præcipiti jam mente potest.

ait Alcimus Avitus l. IV. *Perse* igitur sapientes, ut omnia, cum cernerent *in solis legibus, si recta educatio absit, imbecillum esse ad virtutem præsidium, adeoque plerasque civitates, neglecta puerili institutione, tam inutiliter de capularibus sceleribus leges condere, quam crudeliter in earum transgressores animadvertere, id operam maxime dederunt, ut omnis ætas ad discendum apta in Scholis virtutis munia condisceret, & de tenero bonos mores meditaretur ungue.* Qua de re digna cedro scripsit Siren illa Attica Xenophon 1. Cyripæd. Denique ut prudenter vigiletis pro bono Scholarum publico, attendite crebros, catos, & in omnem exitii machinam intentos *Scholarum hostes.* Hostes ais? & potest aliquis Scholarum hostis esse, quo nullum in terris immortalis Dei donum exstat melius, præclarius, salubrius? Ita vero hostes, inquam observate. Nam id quoque in cumulum infelicitatis temporibus nostris accessit, quod scelera omnia, quantumcunque piacularia, *advocatos* habeant, virtutumque officinæ *hostes!* ô tempora! ô mores! & vere queri possim querimoniam illam Ennianam:

Tollitur e medio sapientia, vi geritur res,
Spernitur orator bonus, horridu' miles amatur!

Habet autem Schola eosdem hostes, quos *Luscinia*, cujus Scholæ, &, ut vocant, *Leschæ Musicæ* inter adagiones celebrantur: Scilicet *accipitrem & viperam.* Accipitres, Tyranni sunt: Viperæ, susurrones quidam, qui sibi πολιηχώτατοι videntur, oculati ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω *a fronte & ab occipitio:* illi cum Scholis aperto Marte, *& manu* (ut ajunt) *ad manum* dimicant; hi clam per cuniculos subrepunt invide & infide. Tyranni pestes illæ humani generis hoc agunt, *ut libertate & conscientia humani generis abolita*, quæ Taciti verba sunt, *expulsis insuper sapientiæ Professoribus, & omni bona arte in exilium actâ, ne quid usquam honestum occurrat.* [in vita Agricolæ c. 1.] *Semper inimica virtutibus vitia sunt, & optimi quique ab improbis quasi exprobrantes adspiciuntur*, ajebat olim Severus Sulpitius [lib. II. hist. sacræ] neque aliter res habet. *Edentuli* ajunt vulgo, *vescentium dentibus invident*: Ita Tyranni indocti hominibus doctis. Ergo *tanquam scelerum & malitiæ suæ testes exstirpare funditus nituntur & tollere, gravesque sibi putant, tanquam eorum vita coarguatur:* quæ a Lactantio accepi. (l. V. c. 9.) Hi sunt illi Musarum accipitres; aves feræ, sanguisugæ, implacabiles. Quid enim est Tyrannus? Respondeat meam vicem S. Severinus (hom. de infanticid. Herod.) *Minister mali, magister doli, iræ artifex, hostis naturæ, suis pejor, pessimus sibi: cui nequitia est sodalis, cui odiosa æquitas, iniquitas est semper amica, qui cædibus vivit, qui se munit sanguine, qui crudelitatibus sævit, cui de timore stat totum, de amore nihil constat.* Adversus hos *Tyrannos accipitres* nos precibus pulsabimus cœlum, & spe bona firmabimus animos. Recte tales; *monstri simile esse videre Tyrannum senem.*

Ut

Ut accipiter ille in fabulis, dum Luſciniolas captat, capitur. Ita

Ad Generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

Vos autem Scholarchæ *vulturi* ſimiles vos exhibete, avi juſtiſſimæ, quam veteri Italica lege qui violaſſent, capitis arceſſebantur, de qua Theodoricus Gotthorum Rex apud Caſſiodorum ita ſcribit: *Vultur, cui vita eſt cadaver alienum tantæ magnitudinis corpus, nec exiguis quidem alitibus probatur infeſtus, ſed magis accipitrem vitam plumigerum avium perſequentem, alis cædit, ore dilaniat, totoque ſuo pondere periclitantibus nititur ſubvenire.*

Ad *Viperas* venio, quas neque ut teneam ſcio, neque ut amittam, *lupum* quod ajunt *auribus*. Taceam qui ſint, at vere Ennius

Non poſſunt muſſare boni.

Nominatim perſtringam; id vero eſſet crabrones irritare. Lateant ergo ſi poſſunt, nam ita depictos ſiſtam, ut oculis quaſi præſentes contrectare poſſitis. Sibilant illi boni viri, *Scholas eſſe otii diverſoria*, quod & Seneca olim jactari queſtus eſt: Sibilant *qui in Scholis educentur minus ſapere poſſe, quam bene olere, qui in culina victitant:* ut apud Petronium declamitat Agamemnon. *Quis uſus iſtorum virorum*, ſcitantur ex quadam Quinctiliani declamatione (268.) *militiæne utiles? an civilibus officiis?* Non militiæ? ajunt, nam (vere affirmavit Democharis apud Athenæum (lib. V. dipnoſoph. c. 11.) *citius ex ſaturejalanceam confici poſſe, quam ex Socrate militem.* At ne Reipubl. quidem: nam quod fatetur Plato, *etiam viam dediſcunt, qua in curiam eatur, & cum in forum venerint,* ut ait Petronius, *putant ſe in alium terrarum orbem delatos.* Nam quid illi reipublicæ utile doceant, qui laborant

Probare cœlum, furni ad instar conditum,
Et nos sub illo degere carbonum in modum.

ut ait apud Aristophanem Strepsiades. (in Nubib. v. 94.) *disputant de continentia, sed* ut ait Aristides, *si placenta eos aureoq; monili oppugnes, demittent linguam ut Menelaus apud Homerum ensem* (Orat. II. de IV. Viris.) Quid præterea? docent *mensurare pulicum saltus*, ut Socrates apud Comicum. Et *quid rei sint cucurbitæ, intricatissima disputatione explicare student*, ut ait Egicrates. Jam Græce & Latine loqui palmarium est, hoc tamen præ Gallicæ Venere, Italicæ dignitate, Hispanicæque linguæ fastu non nebulæ cyatho dignum est. Hæc illi & alia adversus literatos & literarum adeo studia ipsa deblaterant, quas quia animo combibere nequiverunt, lacerare non desistunt, *hominum more, qui noluisse videri volunt, quod assequi nequiverunt*, ait Mamertinus in Paneg. Julian. Ergo *saltatorius ludus & circus indies majore frequentia urgentur, Philosophia vero ac Scholæ in horrendam devenere solitudinem*, ut nimis vere deplorat Æneſius Platonicus in Theophrasto pr. sique quis est, quod in veteri Epitaphio dicitur,

Flectere doctus equos, nitida certare palæstra
Ferre jocos astu, fallere nosce fidem.

Hic talis in principum aulis & rebusp. *Alpha est sapientium*, nec falso conquerat cum Prospero de Providentia

Qui fuerit violentus atrox, versutus, avarus,
Cujus corde fides cesserit, ore pudor,
Hunc omnes mirantur, amant, reverentur, honorant,
Huic summi fasces, huic tribuuntur opes.

Fugite impios monitores, ô Rerumpublicarum præsides! fugite. Qua illi digitum vobis intendunt, Licinii olim & Domi-

Domitiani ad interitum grassati sunt; *iisdem viarum indiciis gradientes, non potestis non ad eundem*, ut facundissimi Martyris B. Vigilii verbis loquar, *exitii pervenire compitum*. (pag. oper. m. 36.) Nolite *contemtissimorum vitiorum officinas gulosius*, ut ait Columella, *condiendi cibos, & luxuriosius struendi fercula, capitumq; ac capillorum concinnatores*, pati in vestris urbibus: *Sapientiæ vero virtutumq; magisterium* proscribere, quo ex hominum communitate exterminato, necessario omnia incipient

In pejus ruere, & retro sublapsa referri.

Spernite a vestro consortio istos purpurarum vestrarum adoratores, *in foro Scythæ sunt, in cubiculo viperæ, in convivio scurræ, in exactionibus Harpyiæ, in collocutionibus statuæ, in quæstionibus bestiæ, in tractatibus cochleæ, in contractibus trapezitæ, ad intelligendum saxei, ad judicandum lignei, ad succensendum flammei, ad ignoscendum ferrei, ut graphice olim curiæ* Romanæ catillones depinxit Hildebertus Cenomanensis Episcopus in epist.

Vos quoque, Parentes, non in opibus solis summam summarum collocate, & si liberos ingenio liberali præditos habetis, animos eorum *Cleanthea fruge* inserite: Cavete scisciteminí cum avaro illo Cappadoce, Ædesii Philosophi parente, qui cum filium in Græciam amandasset, ut quæstuosam, &, ut ille ait, *sanguinantem* quandam artem addisceret, atque is reversus Philosophiæ mysteriis esset initiatus; protinus eum domo exegit, ut nullius bonæ frugis, fugientemque persecutus percunctabatur, πρὸς φιλοσοφίαν ὠφελεῖ; *Et quid prodest Philosophia?* In eodem stultitiæ ludo eruditus & ille fuit apud Libanium pater, qui cum audivisset, virtutem in Philosophorum phrontisteriis habitare, deliberabat cum animo suo, an ergo eo filium suum vellet mittere? sed cetera omnia recte expendens, hoc unum putabat esse hominum moti capitis, & ut

Hieronymi ore loquar, *Hippocratis vinculis alligandorum*, quod in iis doceretur, divitias fusque deque habendas esse. Alloquetur vos, parentes, meo nomine Salvianus Episcopus Massilienſis facundissimus: *Quid æstuas paterna pietas? Quid ad conquirenda terrena & peritura distenderis? nihil majus præstare filiis potes, quam si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non necesse est ergo, ut filio tuo terrenos thesauros recondas, nulla re enim facies ditiorem, quam si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris* (lib. I. cont. avarit.) Vos autem Viperæ adversus innocentissimas Musarum Luscinias, quod voletis, quantum & quousque voletis, machinamini: stabit tamen honoratissimus hic ordo, quantisper hoc universum stabit! Nunquam ita contra virtutem flagitia omnia conjurabunt, ut non aliqua in parte terrarum suus Scholis sartus tectus honos futurus sit. Et quod vobis non falsus prædico augur: Ut vipera οὐ τίκτεται ἀλλ' ἐκβιβρώσκουσα τὴν γαστέρα τῆς μητρὸς ἐυπορέυεται, *non nascitur, nisi matrem occiderit*, ut loquitur Horus Apollo l. II. Hieroglyph. cap. 60. ita impiæ vestrum machinationes in capita vestra redibunt. *Gratia malorum*, ut Plinius junior, *tam infida est quam ipsi.* (lib. I. epist. 7.) *Florent enim*, ut ait Sedulius, *sicut olera & fœnum agri, quod hodie cum speciositate oritur, & in crastino arescens non reperitur.* (de rector. Christ. cap. VIII.)

Satis multa dixi de Scholarchæ Prudentia, Vigilantia; Venio ad *Constantiam* in tuendis legibus & privilegiis. *Veliæ avi* similis est secta Scholastica. Est autem Velia εὐβίατος, quæ æstate gaudet umbraculis, hyeme apricatur in Sole, & in paludes a summis arundinibus prospectat: Corpore est exiguo, voce suavi, colore eximio, ingenio solerti. Enimvero raro visitur, & non nisi in οἰκείοις τόποις. (Aristot. IX. hist. anim. c. 16.) Habetis exemplar rei Scholasticæ. Nam ut Homerice dicam ὕστερον πρότερον. Quid ea? nonne

Rara

Rara avis in terris, nigroq; simillima cygno est?

O felix! nimium felix prior ætas! cum alta pace florens Germania commune optimarum artium esset domicilium. Vigebant ingenuæ artes, *summumq; inter homines certamen erat*, ut cum Petronii Eumolpo loquar, *ne quid profuturum seculis diu lateret.* At nunc pestilenti quodam sidere adflata omnis stetisse, obmutuisse sapientia videtur.

-- -- Quidnam pater ille Deorum
Cogitat? an terras & patria secula mutat?
Quasq; dedit quondam morientibus, eripit artes?
Nosq; jubet tacitos, etiam rationis egenos,
Non aliter, primo quam cum surreximus ævo,
Glandibus & puræ rursus procumbere limfæ?

Quid? si Sinopensis ille Diogenes in nostrum seculum incidisset, qui tam graviter irasci solebat, quod vulgus hominum ad inutilia certatim conflueret, περὶ δὲ καλοκἀγαθίας ἀγωνίζεσθαι οὐδένα, *neminem autem dare operam, ut frugi esset. Theatrum*, ut queritur Seneca, *farctum est, & ingenti studio, quis sit bonus Pithaules, judicatur. Habet tibicen quoq; Græcus & præco concursum: At in illo loco, ubi vir bonus discitur, pauciſſimi sedent, & hi plerisq; videntur nihil boni negocii habere quod agant, inertes & inepti vocantur.* Nec id adeo mirandum est. Jamblichi fanigerati inter Platonicos Philosophi sententia est, πᾶν τὸ λυμώμενον, φύσει αὐξεται, ἐλαττοῦται δὲ τὸ ἀλυμαζόμενον, *omne quod colitur augescit, quod negligitur, minuiscit. Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur.* Si igitur curæ vobis cordique est, ô patriæ Patres, *Veliam hanc avem* perennem in vestris habere civitatibus, umbram, solem præbete: *umbram*, qua in sæviſſimis æstibus; *solem* quo frigidiſſimo hoc seculo queat refocillari.

-- -- Grajo schola nomine dicta est,
Justa laboriferis tribuantur ut ocia Musis.

Privilegiis ergo legibusque opus est: Et si quid olim *gravissimus morum Præceptor Senatus* Scholæ indulsit, conscivit, censuit, id ullius privata libidine convelli, connivendum non est. Teneat bene a majoribus instituta Scholarcha, non aliter atque *grues calculum*, & in volatu, & in excubiis. Ammianus Marcellinus perhibet, *eas rostra lapillis occludere, cum ex oriente ad nos revertuntur*, usque dum, emenso monte Tauro, quem Aquilæ infestum habent, Securius

-- -- æthera tranent
Cum sonitu, fugiantque Notos clangore secundo.

Hoc sibi de Scholarcha spondere possit literatorum ordo, eum, quod his ferme verbis de se gloriatur Trajanus Imp. *securitatem hominum Scholasticorum quieti suæ prælaturum, ut & nova beneficia libenter conferat, & ante se concessa diligenter servet.* (Plin. lib. X. epist.)

Ut vero Scholarcha sit *prudens* in consiliis, *vigilans* in factis, *constans* in statutis, literis tinctum esse, optandum foret. Admonuere grues, volitant enim *literato ordine*: & per tranquillum aëra remigio alarum vectæ

Effingunt varias casu monstrante figuras,
Mox ubi percussit densas Notus altior alas,
Confusos temere immistæ glomerantur in orbes,
Et turbata perit dispersis littera pennis.

Palamedes a gruibus literas didicit, Græcorum Sapientissimus, quem Euripides adpellat πάνσοφον ἀηδόναμουσᾶν *scitissimam Musarum Luscinam*. Magna Reip. magna literarum felicitas, si bonis artibus excultos illa principes invenerit, hæ patronos. *Neque enim quemquam decet magis*

magis vel meliora scire, vel plura quam principem, cujus doctrina potest omnibus prodesse subjectis: inquit Vegetius lib. 1. de re milit. prol. Et quantum accedet gloriæ laudandis artibus, si eas ab imperita plebe atro carbone notatas, princeps ipse, non modo judicio liberarit, *sed amictas etiam purpura*, ut ista mihi Mamertinus e panegyr. suo largiatur, *adhæc auro gemmisque redimicas regali in solio collocarit.* Quanti denique Scholarcha faciet literas, tanti taxabunt eas omnes. *Sicut enim boni Principis vita probitatis quædam præscriptio, & per universos vivendi forma est: ita Imperatoris colluvio lex flagitiorum est*, ait Egesippus (lib. II. excid. cap. 5.) Quid respondebit populus, si recti bonique magister Senatus jubeat, ut liberos honestis disciplinis imbui curent? non id, quod cancer apud Æsopum matri, cum præciperet, ut recte ingrederetur?

-- -- faciam, si me præcesseris, inquit
Rectaque monstrantem certior ipse sequar.

Et, quod caput est. Scholarcha profanus literarum, cum in electione præceptorum dignum atque indignum una tractabit pertica; tum in examinibus nihil *a Jovis Cretensis statua*, aut a *Thebano judice*, qui auribus carnerunt, distabit: Julius Firmicus vere: *injusti semper sunt judices, qui de incognitis sibi pronunciant rebus* (lib. 1. Astron. c. 1.) *nec facile judicat de artibus recte, qui artes ignorat*, Cypriani sententia (aut quisquis est auctor scripti de Cardinal. Christi operib. in prologo.)

Hoc in genere Scholarchæ officium est, *in specie* aliud circa *docentes* est, aliud circa *discentes*, aliud circa docendi discendique *locum*. *Circa docentes* de officio Scholarchæ est, *electio* eorum, *conductio*, & *inspectio*.

Primum ergo oportuit bono eventui vota facere,

τῇ δ' εὐλαβείᾳ χρησιμολάτῃ θεῶν

Et cautioni quæ, ut ait Euripides, *Dearum est optima.*

[in Phæniss.] *Nam si nemo tam est negligens* (ut Varronis verba habent in lege Mœnia) *quin summa diligentia eligat asinum, qui suam saliat equulam:* an non dementiæ extrema est, nolle *edecumatum* aliquem quærere virum, qui qua doctrinæ, qua morum auctoritate velit possitque sistere juventutem in pessum datam, & ut cum Ausonio loquar

Pythagoræi non tenentem tramitis rectam viam?

Mancipium si quis emit, ut est apud D. Chrysostomum, *medicis prius ostendit, super evictione paciscitur, vicinos consulit, & ad probationem tempus exigit, & non esset ab omni sana ratione alienum huic officio casu oblatos admovere?* [de Sacerd. lib. cit.] *Ars artium est, & disciplina disciplinarum*, Gregorii Nazianzeni judicio, *hominem vel regere, vel imbuere*, τὸ πολυθηριώτατον τῶν ζώων καὶ ποικιλωτατον *qui certe est inter omnes animantes maxime & moribus varius, & voluntate diversus.* [in Apolog. interp. Ruffin.] Orphei artificium consummatissimum celebratur, quo ut canit Phædrus

— *Saxa cantu movit, & domuit feras*
Erebique tenuit impetus dulci mora.

Sed hominem fingere & formare majus est, quod profecto nihil aliud est, *quam*, ut Clementis Alexandrini verba usurpem, τὰ ἀγριαλεώτατα θηρία πηλαγέειν καὶ μεταμορφῶν εἰς ἀνθρώπους ἡμέρους *ferocissimas bestias circurare, & in mansuetos homines transformare?* Est enim Platonis oracullo πάντων θηρίων δυσμεταχειριστότατον ὁ παῖς, *fera nulla intractabilior puero.* Quis autem de postremissimo ordine literionum adeo ingenium suum despexit,

ut,

ut, tametsi sua nequiverit, juventutis tamen studia ordinare se posse non opinetur? *Quam multi sunt*, loquar D. Hieronymi ore, *qui panem non habentes & vestimentum, cum ipsi esuriant & nudi sint: alios & alimoniam & vestimenta promittunt? Et pleni vulneribus Medicos esse se jactant* [lib. II. com. in Esai. cap. 3.] adeo *facillimum est*, ut recte Thales adfirmat τὸ ἄλλῳ ὑποτιθεσθαι: *alium monere*, [apud Laërt.] Et quanquam ubique magna est doctorum virorum sterilitas, nuspiam tamen non copiosus præceptorum proventus est. Ergo opus est judicio limato, circumspectione accurata, ut inveniatur aliquis, qui recte possit pubi literis operatæ παρέχειν σωτηρίας φάρμακον *salutis poculum propinare*: ne *a capra*, quod ajunt, *lanam exigas*, aut ejusmodi agyrtæ caput sobolis tuæ curandum demandes, *Cui calceandos nemo commisit pedes*, ut Phædrus loquitur. Antonius Imperator Philosophus lib. I. vit. suæ; *sibi fortunæque suæ gratulatur* (πάντα γὰρ ταῦτα θεῶν βοηθῶν καὶ τύχης δεῖται, *omnia enim hæc Dei ope & bona fortuna indigent*, inquit) *quod cum primum ad sapientiæ studium animum appellaret. non in Sophistam quendam inciderit, a quo disceret* ἢ συλλογισμοὺς ἀναλύειν, ἢ περὶ τὰ μετεωρολογικὰ καταγίνεσθαι, *Syllogismorum laqueos explicare, aut de meteoris dissertare.* Claudius Imperator contra quodam libello apud Suetonium non frustra deplorat, *quod sub carnificina Barbari cujusdam, & olim, ut ajebat, superjumentarii Pædagogi indolem non pœnitendam perdiderit.* Eligendus igitur præceptor, inque eo spectanda inprimis tria: *Ætas, vita, eruditio.* In *ætate* video senilem præferri ab aliquibus: Est enim, Ansonio teste,

Ardua temperies, dura experientia, rarus
Eventus, longo rerum spectatur ab usu,
Ut regat indocilem mitis censura juventam. Idyll. 5.

Callet

Callet senium in arte vivendi, ait Serenus apud Non. Marcell. *omnemque disciplinam pueri discunt, juvenes ostentant, senes docent*, ut recte ab Apulejo scriptum lib. III. Florid. Et certe optimus morum & ingenii formator est

— *animo juvenili senex,*
Cui felle nullo, melle multo mens madet,

ut loquitur Ausonius. Enimvero hæc rara est avis. Plerique cum mala ætate se sentiunt premi, aut invidi aut fastidiosi fiunt, & ad sustinendos animi corporisque viribus labores Scholasticos impares. Est enim re vera Scholarum labor Æthneum onus, & quale apud Poëtas

— *Sisyphiæ versæ*
Saxum, sudans nitendo neque proficit hilum.

Verius est, quod ait Theognis, quam quod *e tripode aurea* Pythia:

Φύσιν ἐν θρέψαι ἐσθλὸν βροτοῖσιν, ἢ φρένας ἐσθλὰς
Ἐνθεμεν
Spissius est homini mentem dare, quam dare vitam.

Nam etsi vix *duo homines decem mensibus edolatum*, ait Varro, *unum reddunt puerum:* tamen ut ille ad unguem expoliatur bonis disciplinis, vix decem anni sufficient. Ergo in ætate hæc, ut sæpe, observanda erit regula; ut nec senex eligatur, nisi animo juvenili & vegeto: nec juvenis, nisi senili. Nam ut aliqua est cruda senectus; ita aliqua est animo canescens juventus: Estque aliquando juvenis, ut ille ait, παιδαριογέρων, &, quod de Juliano suo dixit Eunapius, ἐν μέσοις πρεσβύτης. [in vit. Mex.] Anni vitæ activæ universæ aptissimi post vigesimos sunt omnes usque ad sexagesimos, *qui bono*, ut facunde loquitur Latinus Pacatus, *duarum potiuntur ætatum,*

tum, virtute juvenum, & maturitate senum. [in panegyr.] Consequens est, ut *vita* moresque examinentur, imo etiam fama. Etenim profecto admodum, ut canit Ausonius in Ephemer.

— *paulum distare videtur*
Suspectus veregue reus,

Si quem fama decolorat, is etiamsi conscientiam retineat, vim tamen exempli perdidit, & certe dixeris suspicionem aut malum rumusculum Sandapilarium auctoritatis:

Omnes bonos bonasque accurare addecet,
Suspicionem & culpam ut abs se segregent.

Scenicus monet Philosophus, utinam in pectus alte demittat præceptor! nam qui semel in isto loco auctoritatem suam prostituit, frustra jubeat, moneat, increpet; Mala vita, aut fama potentius suadet, blandius jubet, &, ut facile imus in præceps, habenas animorum fortius tenet. *Sit ratio facilis ad orandum, efficax ad suadendum,* inquit Leo Magnus [in serm. de Laurent.] *Validiora tamen sunt exempla, quam verba, & plus est opere docere, quam voce.* vide Isidor. 3. de Summo B. c. 37.

Voce docens, vitaque docens, nè bis docet ille,
Qui facienda docet, qui faciendo docet.

Accedat oportet *eruditio varia,* ἡ γὰρ ἀρκεῖ τὸ ποιεῖν πρὸς τὸ διδάσκειν. *Non sufficit ad docendum recte agere, & exemplum sine doctrina inefficax est,* ait Chrysost. de sacerd. Dial. IV. c. 6. *Sancte vivere* ex Prosperi sententia debet *propter exemplum, & docere propter suæ administrationis officium* [in vit. cont. lib. 1. cap. 20.] Nec uniformis sufficit eruditio ad præceptorem constituendum,

sed

sed oportet, ut facundissimus Architectus loquitur, *pluribus disciplinarum telis esse armatum.* Denique *Gallicana nive frigidius est*, quod aliqui insciticæ suæ mantellum prætendunt, docendo se posse discere. Verum est illud Ambrosii: *Quantumlibet quisque profecerit, nemo est, qui doceri non egeat, dum vivit* [1. offic. cap. 1.] sed hoc putidum alios docere, quod ipse nescias. *Quomodo doceat quis, quod non didicit?* ait Alcuinus Carol. M. præceptor lib. 1. de Trinit. cap. II. ὅτε ὁ γεωργὸς, ἔλοιτ' ἂν πλεῖν, ὅτε ὁ στρατιώτης γεωργεῖν, ὅτε κυβερνήτης στρατεύεσθαι, verba sunt D. Chrysost. de sacerd. dial. IV. *Non navigat rusticus; non rusticatur miles; non militat proreta, quisquis artem, quam didicit, exercet.* Denique *in Luscinia* consideret optimum præceptorem Scholarcha, cujus & varia est modulatio, & fidelis suos erga pullos informatio. Sed ei rei suus forte locus veniet.

Id ordinis ratio monere jubet, sollicite curandas, liberaliter tractandas esse has luscinias, assuetæ enim libertati aves sunt, & nisi honestam & liberam servitutem servire nequeunt. Pulchre Hadrianus Junius embl. 56.

Luscinia veris nuncia,
Mutescit inclusa caveæ:
Est servitus scrinium animi
Linguamque vinclo præpedit.

Hic vero justissimæ querimoniæ campus aperitur, & non dubito, si possent, ipsas Musas ἀιυάπνα δάκρυα *sanguine fleturas.* Antiqua est Cratetis Ephemeris, *da coquo decem minas, medico drachmam; adulatori decem talenta, consiliario fumum, meretrici talentum, Philosopho triobolum.* Scilicet vanissimarum artium professores, quique aulicam histrioniam docent, etiam qui scelera, majori manupretio auctorantur,

Vilis

Vilis adulator picto jacet ebrius ostro
Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.
Sola pruinosis horret facundia pennis,
Atque inopi lingua desertas advocat artes.

Petron. in Satyr. Hinc fit, ut ruentibus Musarum templis non *Atlantes aut Telamones*, sed *simiæ & asinina capita* substernantur. Fit juventutis doctor aliquis juventutis suæ decoctor! ille, *anser licet Penelopes sit*, ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, modo si Æsopum olim inspexerit, & *Pronomi* habeat *barbitium*, omnium puncta aufert. Quis nescit, quomodo isti Orbilii, *literarum obliviones*, πάνυ ἀηδίαλα, quomodo supercilium tollant? Quomodo pro miraculo haberi, & præ se literatos ad unum omnes despici cupienter cupiant? Nihil illi somniant humile, omnia supra conditionem, scilicet in cathedra solium, in scutica sceptrum, inter pueros satellitium, inter cacatissimas chartas thesaurum, & in tota adeo Schola regnum. Dictata sua regnum obtinere debere censent, consentiunt, conscisunt, illa scilicet fracta vitrea, somniorum interpretamenta. At quicquid Opici illi antiqui commentaverint, *extra castra ut stercus foras* ejici jubent. Si quis prudens Præceptor discipulos suos veteri lege paulatim velit proficere, toti in fermento sunt, sex menses, ajunt Philosophiæ satis sunt, & in his etiam inter non seria *a capite usque ad talos* pervideri tota potest, hoc illi qui nec nomen quidem Philosophiæ cujus coloris sit, sciunt, ipsam *nec ab alno quidem* unquam, vel altero tantum oculo *adspexerunt*. Fungi & ut blitum repente e terra nati, qui ut togati videantur ex aliorum contemtu, quorum adorare debebant vestigia, stolidissimæ gloriolæ choragium sibi comparant. Quid? quod chartis etiam in vulgus proditis animi sui scabitudinem publicant? nec id temere; leguntur etiam,

suspi-

suspiciuntur, sed a sui similibus, scilicet ut similes habeant labra lactucas. Cordatis vero aut risum aut lachrymas exsculpunt. Atque quod caput est rei videas parentes, quibus aures utrasque bullis suis istiusmodi Bambilio probe perfudit, sibi siberisque suis gratulari, quod *Octavus iste sapientum* non aliam in regionem e cœlo deciderit, quin & sperant, ex istius figlina lutum suum statim in hominem de vestigio mutatum proditurum. Ipsi illi *miriones*, ejus discipuli, audent inter nucum suarum putamina laureas baccas crepare, & magisterii aliisque titulis jam animum suum demulcere. Ita & Heraclides Temnites, ut est apud Ciceronem, *adolescentes quosdam locupletes habebat, quos dimidio redderet stultiores quam acceperat, cum nihil possent discere nisi ignorantiam literarum.* pro L. Flacco. *Pecuniæ cupiditas*, ait ille, *hæc tropica instituit.* Nam si qui, judicio emuncti, eruditione eximii, in ista Pieria Scholarum umbra quadrantem nullum affulgere senserint, adhæc post Herculeos labores sufferendos nihil se nisi contemtum compendificare posse intellexerint, Quid faciant? *sterilem Cathedram* Σκυρίαν ἀρχὴν *dominationem*, ut ajunt, *Scyriam* refugiunt, *muliones* malunt emori *perpetuarii*, quam in Schola *senes perpessicii*, ut ista verba Senecæ usurpem. At plerique Scholarum præsides nihil autumant referre noctuis faciant aucupium, an vero bubonibus? *Cygnos audiant an graculos?*

Idcirco virtus medio jacet obruta cœno,
Nequitiæ cassos candida vela ferunt.

Petron. Satyr. Hic ergo, ô Scholarchæ, manus in sinu continenda non est: scire debetis ὅτι εἰς τὰ τοιαῦτα δεῖ ἐνλεῶς ἀναλίσκειν, *quod in ista re nullis parcendum sit sumtibus*, ut ait Antonin. Imp. l. 1. vit. pr. Primum *immunitas* erit concedenda, nam & Jason, cum petiturus aureum vellus socios sibi legeret, *Iphiclum* adscivit

Non

Non operum in partem, monitus sed tradat ut acres
Magnorumque viros qui laudibus urat avorum.

[Val. Flaccus lib. 1. v. 475.] deinde *præmiis & stipendiis* provocandi sunt, hoc ait Symmachus, *specimen est florentis reipublicæ, ut disciplinarum Professoribus opulenta præmia pendantur.* [lib. I. epist. m. 21.] atque ideo olim *res literaria*, ut queritur Seneca pater, *in deterius data est, quia cum cecidisset pulcherrimæ rei præmium, translatum est omne certamen ad turpia multo honore quæstuque vigentia* [lib. 1. Contr. præf.] profecto, *ubi emolumentum deest, & negocii causa cessat inquiri.* Verba sunt Fulgentii pr. Mytholog. *Homines enim ad aliquod studium aut præmiis aut fructibus incitantur. Omne autem studium torpescit dilatione* inquit Ambros. [1. de pœnitent. cap. 16] *Qui ergo tangit sudoris præmium; frangit studium dimicandi.* ait Ennodius dict. 22. En cur mirandum non sit, quod in omni genere doctorum examussitatum præceptorem reperire rarissimum sit hodie? Eloquentiæ, Philosophiæ, linguarum studia, quia parum quæstuosa sunt, temporum horum infelicitas ex Academiis proscribit, & lex est egestatis: *Rumorem parvi faciendum esse*, ut ait apud Turpilium ille, *dum sit, qui rumen expleat*, nec *adeo famæ assistendum Poëticæ*, ut pulchre ait Fulgentius Grammaticus, *sed famæ consulendum domesticæ* [in pr. Mythol.] Denique ut est apud Martial. l. 1. epigr. 108.

In steriles campos nolunt juga ferre juvenci
Pingue solum lassat, sed juvat ipse labor.

Accedant præmio *adhortationes!* Ut *enim aliquis libenter educationis tædium laboremque suscipiat, non præmiis modo verum etiam exquisitis adhortationibus impetrandum est.* *Quod sapienter* monet Plinius 1. epist. 8.

Ergo sæpe ex inopinato supervenire docentibus debet Scholarcha, & explorare, cum ne inter præceptores mutuæ dissensiones facile adolescant, tum ut recte fungantur suis partibus. Ita *apum custos* (ut iterum ab avibus Musarum captemus exemplo) semper *sedulo circumire debet alvearia, neque enim ullum tempus est, quo non curam desiderent.* [Columell. lib. IX. cap. 9.] & *si diversis legibus coorta seditio ad bellum inflammavit iras, exiguo pulvere vel unius pœna ducis resedit omnis tumor.* [Quintil. posthum. Declam. 13.] ita si odia exarserint inter præceptores, ut fieri amat (*vibices enim literarum, homines pharmaci, quorum non capiunt similitudinem, eorum cupiunt simultatem*) facile componentur objurgatione aut abdicatione. De ceteris eorum vitiis, ex discipulis rudimentum petere possunt. Ut enim D. Nazianz. dicto,

εἶαρ & ἄγγελοι εἰσὶ χελιδόνες, ἀνδ & ὀπώρης
Nuncia veris hirundo, & florum copia fructus.

Sic mali discipuli similium præceptorum. *Peccata discentium, opprobria sunt doctorum*, Xysti Pythagorici sententia est in Enchirid. *Magister enim*, ait Cyprianus, *& doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit*, ceteris *quoque insinuat* l. 1. epist. 10. m. Itaque Diogenes, cum adolescentem in Pædagogi conspectu vidisset indecore se gerere, accessit, & huic caput baculo commitigavit. [Liban. Chreia. 2.] Recte! Nam & bonæ spei discipuli, ut ait Sophocles, διδασκάλων λόγοισι γίγνονται κακοὶ in Philoctet. *præceptorum incuria corrumpuntur.*

Ita *docentes* Scholarcha in officio continebit, *discentium* autem studia pro virili promovebit. Ad eam rem sunt *Examina*, *stipendia*. *Examina* habenda sunt tum alias multas propter causas, cum ne liceat discipulis pro paren-

parentum libidine aut sua πείθειν πρὸς μὲν τούτων ὡς ἐκείνους, πρὸς δὲ ἐκείνων ὡς τούτους *nunc ad hunc nunc ad illum præceptorem transfugere, ut si lusitarent, vel γωνιὰ ab angulo ad angulum* ait Libanius de pactis. Accidit enim plerisque parentibus, inprimis quibus lautior est fortuna, ut simiarum in morem simiolos suos tantisper exoseulentur, donec inter amplexus exanimaverint. Οὕτως ἔχειν ἡ φύσις φιλόπαιδα [Synesius epist. Ho. apoll. II. cap. 66.] atque de illis tamen interea recte diceretur illud Heracliti; *simiarum pulcherrima, turpissima est.* Hi itaque dum nimis festinant, abortus faciant. Fitque ut etiam bonæ spei adolescentes sæpe *in Citerias* evadant, *aut Manducos*, pompæ ludicra instrumenta. Ac tum omnis in miseros præceptores culpa transscribitur. *Quid ergo est? parentes objurgatione digni sunt*, ait Petronii Agamemnon, *quia nolunt liberos suos severa lege proficere. Primum enim sicut omnia, spes quoque suas ambitioni donant: Deinde quum ad vota properant, cruda adhuc studia in forum propellunt, & eloquentiam, qua nihil majus esse confitentur, pueris induunt adhuc nascentibus.* [in Satyr.] Accidit iis itaque, quod & Lusciniis, quæ parentum orbatæ magisterio, & ὥσπερ πρὸ ὥρας ὀπὸ διδασκάλου γεγονότες *quasi ante tempus præceptoribus subductæ, pejus solito fringultiunt, nec genuinam carminis sui dialectum servant* [Plutarch. de ratione anim.]

Sic quod præcipiti via
Certum deserit ordinem,
Lætos non habet exitus. [Boëth. l. 1. metr. 6.]

Diu venturi hominis partus optatus, diu vagitus inconditi locuturam differunt vocem, diu fruges hyems cohibet, ver elicit, æstas flore solidat, calore ematurat, ait Eumen. in Paneg. Flavienſ. *sui juris rerum natura est, nec ad leges*

humanas componitur, modo properat, modo vota præcurrit, modo lenta est, & demoratur, ait Papyrius Fabianus Senec. controv. XIII.

Præterea sunt quidam *quarta luna* nati inter discipulos quorum ingenium distortum nulla cura vincere possit: *Ut quarundam ferarum catuli cum rabie nascuntur, ut venena statim a radicibus pestifera sunt.* [Seneca cont. XXIX.] Sunt alii profligatissimæ improbitatis; hos examinibus deprehensos *a rostris* amandabit Scholarcha *ad rastros. Explodat tam sceleratum germen Musarum antistes* ὡς μιαίνων ἱερὸν ταῖς μούσαις τὸ χωλίον, *ut quod sacram earum ædem profanet, ait* Liban. ad Juvent. Nam quid in hoc albo faciat *Herculis Musarum & Mercurii palestræ præsidis opprobrium, æditimus vero impudicæ Cotyttus & Atticorum Conissalorum?* ut eleganter loquitur Synesius in epist. *Aquilam* imitetur Scholarcha, ea enim cum pullos excluserit, tum protinus, ut Claudianus canit, in III. Consul. Honor.

Consulit ardentes radios, & luce magistra
Natorum vires ingeniumque probat.
Degeneres refugo torsit qui lumine visus,
Unguibus hunc sævis ira paterna ferit:
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Sustinuitque acie nobiliore diem;
Nutritur volucrumque potens & fulminis heres,
Gesturus summo tela trisulca Jovi.

Sol ille esto virtus aut doctrina, nam ut aquila illius luce explorat ingenium pullorum:

Non aliter celso pueros de stemmate cretos
Doctrinæ radiis opponit cura parentis.

Ait Ennodius epigr. 150.

Stipendiis vero subveniendum illorum inopiæ est, qui recto ingenio præditi, adversæ fortunæ serviunt. *Nescio enim quomodo Bonæ Mentis soror est paupertas.* Petron. Satyr. contra plerumque. — *Qui-*

— *Quibus opes & gloriam*
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

Phædrus fab. Divinitus credo, ut ait Euripides, πενία σοφίαν ἔλαχεν, *sortita est paupertas sapientiam*, ut recte eam *Philosophiæ vernaculam* adpellavit Apulejus in Apolog. Ergo *promte favendum est honesta cupientibus, ut probabiles voluntates etiam alieno juventur adnisu:* inquit Symmach. in Epist. τὰ δίκαια χρήζει συμμάχων auxiliatoribus opus est justitiæ (Synesius epist. ult.) *Fortuna minor principem quærit.* Cassiod. in variis: *ingenia favor hominum ostendit, favor alit.* [Senec. præf. lib. V. contr.] *ut purpuram infectores eam maxime efficiunt, quæ gratissima est. Sic studia ea certatim sequitur juventus, quibus apud Rerumpublicarum præsides majus est pretium*, ut graviter ait Cato apud Plutarch. in ejus vit. *Luscinia* æstu aucto vocem amittit & colorem: postremo hieme non cernitur. [Plinius lib. X. cap. 29.] Ergo quibus luscinarum argutiæ placent, æstum favonio sui favoris mitigent, hiemem defendant.

Οὐδὲν γὰρ ἔτως ὡς ἀθυμίας νέφος
χειμῶνα γυναῖ κ᾽ νοημάτων ζάλην

Georgii Pisidæ sententia est in Procem. κοσμουργίας

Nihil adeo mœroris ut nubes solet
Producit hiemes, & procellas mentium.

Ægyptii atramentarium pingebant cum junco scriptorio & cribro pollinario, indicaturi, *eum, qui a victu necessario instructus est, sapientiam addiscere oportere; at ejus indigum aliam quamlibet artem.* [Horapoll. lib. 1. cap. 38.] Nam quamvis etiam alacri animo sint inopes, tamen tandem lentescunt, & curis variis occupatam mentem frustra ad doctrinam exstimulant, non possunt enim τεῖναι τὸν νοῦν ἀκριβῶς εἰς τὸ κέρδος *mentem ad literarium lucrum intendere*; ut verba habent Libanii de pactis. Ita hodie (dum *tantum vacat potentibus opprimere, prio-*

ribus rapere, privatis perdere, miseris flere, ut queritur Fulgentius pr. Mytholog.) plerisque, qui rectum vitæ iter cæperant insistere, φρονίδες συνεχεῖς ἠμβλυναν τὸ τῆς Δαναΐδος ὀξύ, ἢ κόλικος βαρύτερον τὸ πίνον ἀπεργάσανλο, ut ait Chrysost. de Sacerdot. Curæ *pertinaces aciem ingenii oblimarunt, animumque agilem plumbo graviorem fecerunt.* Agite igitur, Scholarchæ, honestis conatibus manu liberali subvenite: nuspiam magis glorianda est liberalitas, nuspiam magis detestanda tenacitas. Firmate vobis rempublicam hoc tibicine. Hæ enim sunt ejus octo columnæ, ut Sedulius canit,

Prima columna *micat veri specioſa decore,*
At patiens regimen rite secunda *tenet,*
Tertia *largiflua meritis dat munera dextra,*
Quartaque *blandiloquax dulcia verba ſonat,*
Quinta *malos reprimit, Zeloque micante coruſcat,*
Gaudet ſexta *potens magnificare bonos.*
Septima *clementi petit ore benigna tributum,*
Aſt octava *regit Juſtitiæ trutinam.*

De *loco*, quod adhuc dicendum restat, mittam in compendium. Sit ille in urbe: *Ubi enim aut jucundius morarentur liberi, quam in patria? aut pudicius continerentur, quam ſub oculis parentum? aut minore ſumtu, quam domi? Educentur hic, qui hic naſcuntur, ſtatimque ab infantia natale ſolum amare, frequentare conſueſcant, graviter monet Plinius* lib. IV. epist. 13. Assuescat discipulus, olim civis futurus, cui in hominum celebritate, in Reip. luce vivendum est, jam *a tenero non reformidare homines, neque ſolitaria & velut umbratili vita palleſcere*, ait Quint. 1. Instit. cap. 2. *Cuculo* similes evadunt, qui ver ævi sui in truncis quasi arborum exegerunt, creditur enim ille ibi hiemem degere, aut etiam in stagnis, ut Beda autumat *in cutulo:*

Quis

Quis scit si veniat? timeo: est submersus in undis
Vorticibus raptus atque necatus aquis.

Est autem is timidissimus avium ac ignavissimus propter frigidum sanguinem circa præcordia. *Avibus hæc talia*, ut ait Apulejus, *Secretaria convenerint*, non bonarum artium studiosis, nec alius quærat, nisi si quis, ut est apud Eunapium de Ædesio scriptum, περὶ ἀπάλλαξιν ἢ βοσκῆς ἑαυτὸν ἐνέτεινε βίον *caprarii se aut pastoris vitæ comparavit. Bellerophontis* istic *morbus* discitur, qui in solitudine de mentis potestate exiit, de quo Rutilius Lupus:

Sic nimiæ bilis morbum assignavit Homerus
Bellerophontais sollicitudinibus.
Nam juveni offenso sævi post tela doloris
Dicitur humanum displicuisse genus.

Sit tamen a tumultu segregatus: Ita etiam *apes* & *non sunt solitaria natura ut aquilæ, sed ut homines:* [Varro de re rust. lib. III. cap. 16.] & tamen *procul a tumultu & cœtu hominum ac pecudum volunt degere.* [Colum. l. IX. cap. 5.] *Vacet ergo locus iste a congressu hominum*, ἔξω τὸ χωρίον τοιοῦτον ἐπιμιξίας ἀνθρώπων ἀπηλλαγμένον, *ne quis extraneus uspiam interpellet assiduam meditationem*, ut ait Basilius M. in epist. ad Gregor. Nazianz.

Amœnus sit, qualem *apes* requirunt *Musarum volucres*, nam *ut iis Helicona & Olympum attribuerunt homines: Sic his floridos & incultos natura montes.* [Varro lib. cit.] talis nimirum, in quos, ut ait Euripides

— ὅτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρειν βολὰ
ὐδ' ἦλθε πω σίδηρος.
— *nec pecus bubulcus egit bucerum*
nec venit unquam vomis.

Bene hic studia in aures damus, & dum in arbores & vites, quas videmus oblectante prospectu, oculos amœnamus, animam & simul auditus instruit & pascit obtutus. ait

Cypr. II. epist. lib. 2. ἡ ἵππος ἥδιον ἂν ὕμαι δεσμοὶ καλὰ πεφυκὼς πεδίῳ ἢ μαλακῷ [Luciani verba sunt *de domo,*] *& equus alacrius decurrit in aperto & molli campo, & pavo in picto variis coloribus prato sponte explicat gemmeam caudam, ac videtur certare quasi cum Flora* Undique *sylvæ & solitudo, ipsumque illud silentium magna cogitationis incitamenta sunt,* inquit Plinius l. 1. epist. 6.

Denique *Bibliotheca* instructus sit locus. Qui apes habere volunt, sollicite statuunt *alvearia.* Quia τὸ τῷ σμήνει μὴ συμφέρον οὐδὲ τῇ μελίσσῃ συμφέρει. *Quod alveari non prodest, nec api prodest.* ait M. Antonin. Imp. in vit. lib. VI. Ergo operam dant, ut locus *salubribus herbis sit consitus; & fusus ex proximo fonte rivus, crepitantibus inter radiantes calculos aquis utrinque ripa virente præterfluat.* [Quintil. Jun. decl. XIII.] hoc pratum sunt pubi literis operatæ libris, in quo

Floriferis ut apes in Saltibus omnia libant,

aurea prioris ævi sapientum monita depascantur, *animi medicamentum* singulare, ut in Simandii Ægyptiorum Regis bibliothecæ foribus inscriptum fuit. Libri flumina sunt sapientiæ

Quæ mites humilesque bibant, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.
Prosper de ingrat.

FINIS.

INDEX

INDEX CAPITVM.

Libri I.

Cap. I. *Analecta non gustanda.* 1
II. *Cibus* Ευτύφιος. 2
III. *Analecta Deorum.* 4
IV. *Alpha & Omega.* 5
V. *Omnia cum Deo.* 6
VI. *Diabolus in serpente.* 9
VII. *Tibiæ & Tubæ funebres.* 11
VIII. *Canem ferre quæ pœna?* 13
IX. *Mos exponendi Liberos.* 15
X. *Mures in deliciis, & adorati.* 18
XI. *Sternutantibus bene precari.* 22
XII. *Pharisæorum Traditiones de jurejurando.* 24
XIII. *Superstitio neminem salutare in via.* 29
XIV. *Variæ superstitiones aliæ.* 31
XV. *Origo earum a Pythagora.* 33
XVI. *Merito derisæ* 35
XVII. *Occursus Æthiopis & Monachi.* 36
XVIII. *Sacra Bona non profananda.* 38
XIX. *Christi induitio, unde Metaphora?* 39
XX. *Stulta affectatio divinitatis.* 40
XXI. *Thracum Ludus periculosus.* 42

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0617
DFG

Cap. XXII. *Omnia mensalia superstitiosa.* 43
XXIII. *Citharæ de salicibus suspensæ.* 45
XXIV. *Caput ultimo supplicio afficiendis velatum.* 46
XXV. *Itidem ex luctu vel metu.* 48
XXVI. *Ut & in sacrificiis.* 49
XXVII. *Oculi mortuis clausi & aperti.* 51
XXVIII. *Hircus Emissarius.* 52
XXIX. *Homines Pharmaci.* 54
XXX. *Sacæa Persarum festum.* 56
XXXI. *Saturnalia Romanorum.* 58
XXXII. *Cristæ Galearum.* 59
XXXIII. *Galeæ cornigeræ.* 61
XXXIV. *Alexander Magnus Bicornis.* 62
XXXV. *Somni Cornu.* 64
XXXVI. *Poculum Soporis.* 66
XXXVII. *Jerusalem Pelvi & Pilæ similis.* 67
XXXVIII. *In fine Precum Exultatio.* 70
XXXIX. *Musica in Prœliis & Triumphis.* 72
XL. *Triumphus.* 74
XLI. *Rei e vinculis soluti die festo.* 77
XLII. *Anthropophagia Barbara.* 80
XLIII. *Jobi hospitalitas.* 82
XLIV. *Fel & ossa data Diis ex Sacrificiis.* 84
XLV. *Athletæ reprobati.* 86
XLVI. *Saturnus vinctus & solutus.* 88
XLVII. *Curatores Annonæ.* 91
XLVIII. *Claves aureæ.* 94
XLIX. *Classicum in suppliciis.* 97
L. *Præcones in sacris & judiciis.* 99
LI. *Ignis prælatus Regibus.* 101
LII. *Ignis & fumus signa bellica.* 104
LIII. *Imagines Imperatorum, & vexilla.* 106
LIV. *De iisdem.* 110

Cap. LV. *De iisdem.* 113
LVI. *Earum cultus.* 117
LVII. *Imagines in anulis &c. Stigmata Militum.* 120
LVIII. *Notæ in Clypeis Militum.* 123
LIX. *Steganographia Arithmetica.* 125
Stigmata Animalium, victimarum. 126
LX. *Stigmata Servorum, &* 128
LXI. *Idololatrarum, Militum.* 131
LXII. *Cauteria.* 133
LXIII. *Anulus sigillaricius. Imagines in eo.* 137
LXIV. *Aquatio Judæorum in festo Tabernaculorum.* 139

Libri II.

Cap. I. *Ptolomæus Philadelphus, LXX. Interpp.* 141
II. *Festum Translationis Bibliorum.* 142
III. *Libri contemti, magni æstimati.* 143
IV. *Oppiani vita.* 145
V. *Paradisus Alaodini.* 146
VI. *Apotheosis Romanorum Pontificum.* 147
VII. *Spiritus Pythonius, ejus vox exilis.* 150
VIII. *Franci tergisetosi, Angli candati.* 152
IX. *Reliquiæ Sanctorum.* 155
X. *Precatio Eremicolæ cujusdam.* 159
XI. *Sacerdotum ambitio delusa.* 161
XII. *Culicis & pulicis venatio.* 163
XIII. *Ophiomachia superstitiosa.* 166
XIV. *Syncretismus in Religione.* 168
XV. *Sacrilegia.* 169
XVI. *Tyrannis invisa virtus.* 172
XVII. *Punita Tyrannis.* 174
XVIII. *De Dionysio Juniore.* 175

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0619
DFG

Cap. XIX. *Damocles.* 177
XX. *Voluptas insatiabilis. Empusa.* 180
XXI. *Triumphus Hæreticorum qualis?* 182
XXII. *Thesaurus Carbones.* 183
XXIII. *Mos judiciorum Capitalium.* 185
XXIV. *Mosis & Apollonii Thyanæi sepulchra.* 187
XXV. *Josephi lusus in fratres.* 189
XXVI. *Vita & Doctrina Nicolai Subsilvani.* 190
XXVII. *Cananæi an devorarint Liberos.* 199
XXVIII. *Fulmine tacti consecrati.* 201
XXIX. *De propudio mulierum Babylonicarum.* 203
XXX. *Urbes aratæ & sale consitæ.* 207

Libri III.

Cap. I. *Lux Bona.* 210
II. *Varius aceti usus.* 212
III. *Phœnix ubi in S. Literis.* 216
IV. *Lothi uxor in Statuam versa.* 220
V. *Anemologia Zachariana.* 222
VI. *Hirundinum Hiberna.* 225
VII. *Ea Symbolum Resurrectionis.* 226
VIII. *Earum prudentia, ut &* 228
IX. *Piscium, &* 229
X. *Ciconiarum.* 230
XI. *De iisdem.* 232
XII. *Canes Rabidi agnoscunt Dominos.* 233
XIII. *Hirundinum & Ciconiarum nidi.* 235
XIV. *Hirundo Deror Hebræis dicta.* 237
XV. *Matrem cum pullis capere vetitum.* 238
XVI. *Animalia fera cicurantur.* 239
XVII. *Paradisiaca mansueta.* 240
XVIII. *Clades præsagiunt.* 241
XIX. *Pœnitentia eorum.* 243

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0620
DFG

Cap. XX. *Feræ miraculo cicures.* 246
XXI. *Amoris Conjugalis Icon, &c.* 249
XXII. *Psittaci fuere Salomonis Pavones.* 251
XXIII. *Vinum in vitro resplendens.* 253
XXIV. *Cor Deo sacrum.* 254
XXV. *In Corde omnia.* 257
XXVI. *Cordis Miracula.* 259
XXVII. *Cor Dei cubile, mos osculandi pectus.* 260
XXVIII. *Fascinatio, Anaxilai ludicra.* 261
XXIX. *Coccum & purpura.* 264

Libri IV.

Cap. I. *Creatio Hominis.* 269
II. *Primus Homo Pisciformis.* 270
III. *De Adamo fabella Indica.* 271
IV. *Paradisi Topographia.* 272
V. *Virtutis Mons. Palma.* 274
VI. *De Roma vetere & nova Traditio.* 277
VII. *Fabulæ de Muhammede & similes Pontificiæ* 280
VIII. *Orpheus ex Davide fictus, &* 283
IX. *Ex Sione Parnassus.* 286
X. *Sion orbis umbilicus.* 289
XI. *Fons Vitæ.* 291
XII. *Parcæ.* 292
XIII. *Icarius primus Viticola.* 295
XIV. *Vinum ex sanguine Gigantum.* 296
XV. *Veneris Arma.* 298
XVI. *Feles.* 300
XVII. *In foveam cadit, qui fodit.* 301
XVIII. *Baal Peor, ejusq; cultus.* 303
XIX. *Ganymedes & Henochus.* 306

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0621
DFG

Libri V.

Cap. I. *Legati & Literæ a Deo.* 310
II. *S. Scriptura Pharus.* 311
III. *Mundus Ovum.* 313
IV. *De eodem.* 314
V. *Aves ex Aquis. Regeneratio.* 317
VI. *Diabolus serpens.* 318
VII. *De eodem.* 321
VIII. *Serpens calcaneo insidiatur.* 323
IX. *Homo vitrum.* 325
X. *Humana fragilitas.* 327
XI. *Omnia vitrea.* 328
XII. *Miscellanea de Vitro.* 329
XIII. *Peccatum Originis ficus silvestris.* 333
XIV. *Pomum Aureum Impp.* 338
XV. *Bellum bellua.* 341
XVI. *Diaboli Sagittarii.* 344
XVII. *Absynthium Crucis.* 347
XVIII. *Parentum & Liberorum mutua officia.* 350
XIX. *Risus Dei & Diaboli.* 352
XX. *Canis amicitias dirimens.* 354
XXI. *Signum salutis.* 355
XXII. *Oves Christi.* 356
XXIII. *Eædem.* 358
XXIV. *De iisdem.* 359
XXV. *Lanx Divinæ Justitiæ.* 361
XXVI. *Margaritum pretiosissimum.* 362
XXVII. *Abaridis & Herculis Sagittæ.* 363
XXVIII. *Sagittarii celeberrimi.* 364
XXIX. *Sagittæ Dei ignitæ.* 367
XXX. *Homo folium.* 368
XXXI. *Pavones Salomonis.* 370
XXXII. *Psittaci.* 372

Cap. XXXIII. *Somnus Mortis frater.* 374
XXXIV. *Claves regni Cœlorum.* 376
XXXV. *Anticlejs, Clavis Laconica.* 377
XXXVI. *Clavis aurea & Lignea.* 379
XXXVII. *Serpentes, Melusina.* 381
XXXVIII. *Magnes, Pantarba, Hercules, Ogmius, &c.* 383
XXXIX. *Ara Misericordiæ.* 386
XL. *Columbæ unguentatæ.* 388
XLI. *Scorpiones.* 389
XLII. *Lucerna vitæ Symbolum.* 392
XLIII. *Eadem Lætitiæ.* 394
XLIV. *Iris, arcus Cœlestis.* 397
XLV. *Lacrymæ in sacculo Dei, Fasciculo viventium* 399
XLVI. *Servitus peccati, & Manumissio.* 402
XLVII. *Ecclesia Rosa inter Spinas.* 404
XLVIII. *Animalia immolabilia.* 407
XLIX. *Asinus Panibus coronatus.* 413

Libri VI.

Cap. I. *Moses primus literarum Inventor.* 416
II. *Nomina dierum.* 420
III. *Nomen Dei Sabaoth.* 421
IV. *Homines Marini.* 424
V. *Serpens Deceptor verus Organum Sathanæ.* 427
VI. *Diaboli peccatum. Angeli quando creati.* 428
VII. *Serpens locutus est.* 429
VIII. *Vox Dei deambulantis.* 431
IX. *Adventus Dei.* 433
X. *Verbum Domini.* 434
XI. *Pœna serpenti inflicta.* 436
XII. *Maria Æva advocata.* 438
XIII. *Immortalitas Primi Hominis.* 440
XIV. *Resurrectio Mortuorum.* 443

Cap. XV. *Vestis Pellicea Adæ* 446
XVI. *Theologia ex libro Creaturæ & Scripturæ.* 449
XVII. *Avaritia Idolorum servitus.* 453
XVIII. *Israelitarum Cantica sacra.* 456
XIX. *Filius Dei in Podere Sacerdotali.* 461
XX. *Principatus Messiæ.* 465
XXI. *Melchisedech panem & vinum Abrahæ offert.* 467
XXII. *Dei imago.* 469
XXIII. *Mulieres velatæ.* 473
XXIV. *Evangelium Americano orbi prædicatum.* 476
XXV. *Religio Pagana a Zosimo defensa.* 480
XXVI. *Uxores multiviræ.* 485
XXVII. *Zijm, Iim & Ochim.* 488
XXVIII. *Aqua Deo libata.* 490
XXIX. *Zachariæ volumen volans.* 491
XXX. *Scyphus Anguralis Josephi.* 494
XXXI. *Christus a Patre obsignatus. Panes signati.* 497
XXXII. *Fideles Panibus comparati.* 500
XXXIII. *Christus Judex in Iride.* 503
XXXIV. *Signum Filii Hominis. Signa Militaria Insignia Regum.* 504
XXXV. *Elogium Paulinum.* 508
XXXVI. *Maledictores Dei.* 510
XXXVII. *Passio Domini lugenda. Luctus Thamuz* 513
XXXVIII. *Linguæ Apostolorum igneæ.* 515
XXXIX. *Mali Dæmones. Diabolus capriformis.* 517
XL. *Corollæ Convivales.* 519
XLI. *Corona vitæ æternæ.* 521.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0624
DFG

)o(

INDEX LOCORVM S. SCRITURÆ PRÆCIPUORUM, FUSIUS ILLUSTRATORUM.

GENESIS.

CAP.	VERS.	PAG.
I.	2	313
	4	210
III.	1	427
	19	325
IV.	4	85
V.	21	207
IX.	13	397
XIV.	14	126. 467.
XIX.		220
XXXVIII.	16	47
XLIV.		189
XLVI.	4	51

EXODUS.

XXVIII.	40	49
XXXII.	20	140

LEVIT.

XVI.	10	52
XVI.	4. 10	49. 52

NUMER.

II.	2	113

CAP.	VERS.	PAG.
V.	12	140
XIII.	33	81
XIX.	15	3
XXIV.	14	304
XXV.	3	306
DEUTERON.		
VII.	25	38
XVIII.	10	23
XXII.	6	238
XXVI.	14	4
XXXII.	33	295
IUDIC.		
I.	7	2
VII.	7	124
VIII.	28	48
SAMUEL.		
Lib.I. c.VII.	6	140
XXIV.	15 &	
XXVI.	20	163
XXX.	20	76
XXXI.	12. 13	202
Lib.II. c.XI.	25	341
XV.	30	49
XXIII.		490
REGUM.		
Lib.I. c.X.	22	390
XIX.	11	431
Lib.II. c.II.		201
IV.	29	29
XIX.	35	21

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0626
DFG

CAP.	VERS.	PAG.
	ESTHER.	
VII.	8	47
	JOB.	
III.	13	375
X.	15	48
XV.	20	174
	22	177
XVIII.	6	392
XXI.	17	393
XXI.	19	174. 176
XXVII.	19	51
XXIX.	18	218
XXX.	1	13
XXXI.	6	361
XXXI.	31	82
XXXVIII.	12	183
	PSALMI.	
II.	4	352
VII.	11	125
XI.	2	344
XVIII.	10. 15	431
XIX.	1	450
XXVII.	2	80
	10	18
XXX.		149
LVI.	9	399
LIX.	9	353
LXIV.	4	344
LXIX.	22	212
LXXXIV.	4	235

CAP.	VERS.	PAG.
LXXXIX.	19	125
XCI.	13	167
XCII.	13	217
CXV.	9	125
CXIX.	105	311
CXXI.	1	312
CXXXVII.	1	45
CXXXIX.	9	218
PROVERBIA.		
IV.	23	257
VII.	26	298
XIX.	18	17
XX.	26	215
XXIII.	26	254
	℣.31. 32	295
		381
XXV.	20	216
XXX.	12	22
ECCLESIASTES.		
XII.	7	270. 440
CANT.		
I.	4	388
II.	2	404
VIII.	6	138
ESAIAS.		
I.	3	233. 234
I.	18	53
IX.	6	465
IX.	12	343
XI.	6	241. 246
XI.	10	113

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0628
DFG

LOCORUM.

CAP.	VERS.	PAG.
XII.	3	139
XXII.	22	376
XXIX.	4	150
XXX.	32	72
XXXVIII.	12	293.435
XLIX.	2	363
XLIX.	16	122
LVIII.	5	48. 99
LXI.	2.10	53. 448
LXIV.	6	388
LXVI.	17	30.18

IEREMIAS.

III.	3	47
IV.	6	104
VIII.	7	225. seq.
XIV.	3.5	48
XXV.	10	395
XLVIII.	36	12
L.	17	80
LI.	7	66
	39	56
	34	80

THREN.

II.	10	48
III.	15	347
IV.	21	277

EZECHIEL.

II.	6	389
IX.	4	122

CAP.	VERS.	PAG.
XII.	6	49
XXIV.	6	68
XXXVIII.	18	431
	DANIEL.	
V.	27	361
VI.	17	138
VII.	17	343
VIII.	5	63
	HOSEAS.	
I.	6	17
IV.	3	241
	10	180
IX.	10	304
	4	2
	16	176
XII.	11	110
	JOEL.	
II.	3	101
	30	104
	AMOS.	
II.	9	176
III.	12	127
V.	9	353
VI.	1	60
	14	61
IX.	7	36
	MICHÆAS.	
III.	12	208
	NAHUM.	
I.	ult.	53
II.	3	124

ZE-

CAP.	VERS.	PAG.
	ZEPHANIAS.	
I.	2. 11	68. 241. 242
	ZACHARIAS.	
V.	1	491
VI.	1	222
IX.	11	77
XI.	12	361
XII.	2	65. seq.
	HAGGÆUS.	
II.	14	3
	24	34
	MALACHIAS.	
I.	7	84
II.	17	183
IV.	1. 2	176
	TOBIAS.	
IV.	18	4
	SIRACH.	
XIII.	22	355
XXX.	18	4
XLIV.	9	187
	SAPIENT.	
II.	12. 15	172
V.	1	186
XII.	5	199
XVI.	6	355
	BARUCH.	
VI.	21. 42	203. 300

CAP.	VERS.	PAG.
	MATTH.	
V.	34	24
VII.	13	276
IX.	23	11
XIII.	45	362
XV.	27	4
XVI.	19	94
XXII.	20	122
XXIII.	1	379
XXIV.	31	97
XXVII.	15	77
	MARC.	
XI.	13	334
XVI.	18	167
	LUC.	
VI.	23	70
X.	4	29
XI.	52	376
XII.	37	58
XIX.	4	352
	JOHANN.	
IV.	14	139
VI.	12	4
	27	4
	44	383
VII.	37	139
X.	27	358
XI.	35	352
	ACT.	
II.	3	515
XII.	23	148

CAP.	VERS.	PAG.
XIV.	12	50
XXVIII.	11	125
	ROMAN.	
I.	20	449
III.	25	386
X.	18	53.436
XII.	11	88
XIII.	14	39.seq.
	1. *COR.*	
IV.	13	56
IX.	27	94
XI.	4.10	35.440
	2. *COR.*	
VI.	15	168
	GALAT.	
III.	1	106.261
	27	39.seq.
IV.	15	83
VI.	17	127
	EPHES.	
IV.	8	74
V.	3.15	88. 453
VI.	17	61
	COLOSS.	
I.	23	476
III.	10. 17	6.39
IV.	5	88
	1. *TIM.*	
III.	2.& 5.9	486

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0633
DFG

CAP.	VERS.	PAG.
	2. TIM.	
II.	19. 26	42. 135
	IAC.	
III.	7	240
V.	20	245
	1. PET.	
II.	25	357
	2. PET.	
II.	18	182
	1. IOH.	
II.	17	181
	APOCAL.	
I.	8. 13	5. 461. seq.
IV.	3	469
V.	5	113
VII.	3	122
XIII.	17	114
	1	343
XIV.	9	317.

IN-

INDEX RERUM MAXIME MEMORABILIUM.

A.

ABsynthium, pag. 347
Acetum, varia. 212
Adamus, 271. vestis ejus pellicea, 446
Æthiopis occursus, 36
Alpha & Omega, 5
Alexander M. bicornis. 75
Americani, an olim Christiani? 477
Ambitus sacerdotalis, 161
Amor conjugalis & fraternus, 249
Analecta, 14
Anathemata, 46
Anaxilai ludicra, 261
Angli caudati dicti, 153
Angelorum lapsus, 474
Animalia immolabilia, 407. discunt varias artes, 239. Paradisiaca, 240. præsaga cladium, 241. miracula, 246. sermo eorum, 429
Annonæ præfecti, 91
Annuli signatorii, 120. 121. 137
Anthropophagi, 80. 399
Apostoli an in America prædicaverint? 476. sagittæ Dei, 364
Aquæ libatio, 139. 490
Ara Misericordiæ, 386

Arbo-

Arbores Sanctivæ, pag. 46
Arithmesius terram movet, 353
Avaritia vera Idololatria, 453
Aves ex aquis, 317. *earum prudentia*, 225—238

B.

BAal Peor, 303
Bellum bellua, 341. *bellica signa*, 104. 264
Biblia, 142. 143
Bona Ecclesiastica, 38

C.

CAlcaneum quid mystice? 324
Calumniatores vide Sagittarii & Scorpiones, 344
Canem ferre quæ pœna? 13. *Canes quinam?* 354
Cantica hypocritica, 456
Capo pro Leone, 189
Caput quibus & cur velatum? 47
Cauter, Cauterium, 133
CHRISTI induitio, 39. *principatus super humeros*, 465. *vestitus podere apparet*, 461
Cibus sepulchralis, 2. 3
Ciconiæ, 230
Claves Regni cœlorum, 94. 376. *scientiæ*, 377. *plura ib.* 379
Classicum, 97
Clypeorum digmata, &c. 124
Coccus & purpura, 264
Columbæ unguentatæ, 388
Cor Deo sacrum, 254
Consecratio Rom. Impp. 202
Cornua, vascula cornea, 74. 75. 76
Creaturæ exercitus Dei, 422
Cristæ galearum, 71—74
Crux absynthium est, 347

D. *Da-*

D.

Damocles, 177
Deus Sabaoth, 421. *similis jaspidi & sardio*, 469. *ejus vox duplex*, 431. *descensus*, *ibid.* *adventus*, 433. *Providentia*, 164. *Liber* 491. *Notitia*, 491. *a Deo principium*, 6
Divini honoris rapina & ambitio, 40. 148
Deorum habitus indutus, 41
Despuere in sinum, 262
Diabolus serpens, 9. 318. 41. *vox qualis?* 150. 429. *nomen unde*, *& causa lapsus*, 427. 428. *libido ejus* 475. *pœna*, 436
Dionysius Siculus, 169. 170. *seq.*
Dierum septimana nomina, 426

E.

Ecclesia, Rosa, 404. *ejus nota*, 480

F.

Fabulæ Turcarum & Pontificiorum, 280
Fasciculus viventium, 399
Fascinatio, 262
Feles, 300
Festa: 394. 395
Ficus, *Caprificus*, 333. 447
Fides margarita, 362
Fœdera,
Fortunæ vices, 176
Foveæ, 302
Franci tergosetosi dicti, 152
Flumine tacti consecrati, 208
Funebria, *vide Sepulchralia.*

G.

Aleæ, 71.254
Gallorum mores, 153
Gloriæ contemptus hypocriticus, 188
Gratiæ divinæ tractus, 383
Gregorii Dialogi fabulosi, 280
Grues, 228

H.

Ircus emissarius, 52
Hirundines, 225
Homo folium, 308. Vitrum, 327. ejus creatio, 269.
Primus quis? vide Adam. An in mari veri, 424
Pharmaci qui? 54
Humeri, ferre in humeris, 465

I.

Aspis, 469
Ignis prælatus, 102.104. lustratio, 201
Imagines Augustales, de quibus copiose l. 1. c. 53. & seqq.
in annulis, numis, &c. 120
Immortalitas, 440
Insignia regum, 338.465
Iris, arcus cœlestis, 397
Jusjurandum, 24

L.

Achrymæ in sacco Dei, 399
Lapidescentia varia, 220
Leones exarmati, 189
Liber Dei, 491. Naturæ & Scripturæ, 449
Libri contempti &c. 143
Libamina, 490
Liberorum officia, 351. exposiți, 15
Libra justitiæ, 361

Lite-

Literarum Inventores, 416
Lothi uxor fit statua, 220
Lucis encomium, 210
Lucerna, 393. 394
Lustrationes, 18. 202

M.

M*Agnes*, 383
Malum punicum, 340
Manumissio, 402
Margarita, 362
Maria Evæ advocata, 438
Melchisedechi vinum honorarium, 467
Meretrices Babylonicæ, 204
Militum Stigmata, digmata, 123. 124. *tunicæ russeæ*, 264
Monachi, 36. 156. 177
Moses, 187. 416
Mors naturalis, &c. 442
Mulierum velamen capitis, 473
Mundus ovum, 313. 314
Mures, 18. 19
Musica in præliis, triumphis, 60. *in templis*, 456
Muhammed, 280

N.

N*Icolaus Eremita, l. 2. c. 26. 27.*
Notæ Religionis, 481

O.

O*Ccursus honoris caussa*, 467
Ominosus, vide Monachi.
Omina, 43. *vide Superstitio.*
Oppianus, 145
Orpheus ex Davide, 283. 324
Ovum, 313
Oves Christi, 357

P.

PApa Deus 148
Paradisus, 146. 273
Parcæ, 293
Parnassus, 286
Parentum officia, 350
Passeres, 352
Pavones Salomonis, 251, 370
Peccatum originis, 333
Peripsema, 56
Persarum Reges, 76
Piscium prudentia, 229
Pharisæorum traditiones, 24
Phœnix, 217
Pinus & cupressus, 176
Planetarum nomina diebus tributa, 420
Poderis, 461
Polygamia, 485
Pomum aureum, 338
Pœnitentia, 244
Præconi lingua, 100
Preces, 71. 159
Psittacus, 251
Psylli, 167
Purpura, 264
Pygmæi, 352
Pythagoras, 34
Pythonius Spiritus, 150

R.

REligio vera & falsa, 481
Reliquiæ SS. 155. 188
Regum studia, 164
Regeneratio, 317

Repudia crebra, 486
Resurrectio, 443. *vide Hirundo & Phœnix.*
Risus Dei & Diaboli, 352
Romæ excidium, 277
Rosa, 404

S.

Sabaoth, 421
Sacæa, 56
Sacrilegium, 169
Sacrificia, 49. 84. 100. 200. 408
Salutare in via, 30
Sagittæ, sagittarii, 344. 363
Salutis signum, 355
Sardius lapis, 469
Saturnalia, 58. 90
Sceptrum Christi, 465. *vide Insignia.*
Scorpiones, 389
Scriptura Sacra, 310. 311
Sepulchrales ritus, 3. 48. 51. 105. 176. 187
Serpentes, 319. 381. 436
Servitus peccati, 402
Sion, 290. *vide Parnassus.*
Simonia, 161
Somnus, ejus cornu & poculum, 76. 374
Sortes Apostolorum, &c. 31
Spectra in locis desertis, 488
Sponsæ imago, 110
Steganographia, 125
Sternutationes, 22
Stigmata, varia, 120 — 133
Superstitiones, 31
Supplicia capitalia, 97. 185
Syncretismus, 168

T.

Theologia, 449
Thracum ludus, 42
Tempus redimere, &c. 88
Tibiæ & tubæ, 11. 50
Triumphus, 61
Tyranni, 173. 223

V.

Veneris arma, 298. *Venus Babylonia*, 204
Venari muscas, &c. 165
Ventorum equi, alæ, colores, &c. 222
Verbum Dei, 435
Vestis Adami, 446
Vexilla eorumq; μυεία, 113
Vincula reis dempta, 77
Vinum, 295. 467
Viperarum morsus curatus, 166
Virtutis mons, 274
Vitæ fons, 291
Vitrum, varia, 253. 325. *seq.*
Vittæ, vittati, 50. 53
Voluptas, 180
Vox Dei, 431
Urbium & regionum figuræ, 55. *aratro conditæ & eversæ*, 207
Uxores multiviræ, 485

Z.

Zijm, lim, Ochim, 488

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0642
DFG

ille *matutinus*, ad Solis pri-
neque reficit, sæpiusque no-
ectum evaporaverit, siccum
plantis inhærens, omnem
dit quasi, & amburit radiis
es herbarum & tenerarum se-
hau/ *qua de re Connimbric.*
II. Fritschius in Meteor. Me-
. Misericordiam illam *pieta-*
it Propheta, vel *rori mane*
e diffugienti, vel etiam *huic*
erbis perniciem relinquenti.
is tandem indulgentiæ & au-
on est? Cyrill, aut *quod me-*
um, ut te sanitati restituam?
tra debeo facere? Hierony-
2. Pietas vestra, si qua men-
becula matutina, sine aqua,
n sustinens, Job. VII. 9. &
a. XLIV. 22. Jud. Epist. v. 12.
χείμαῤῥος ὤφελε ἀρχαλέη Coin-
os, sub auroram evanescens,

o Sole pruina.
a nihil est, R. Salom. Re-
Sanctium, *Corn. a Lap. &c.*
ocus Esa. XXVI. 19. *Ros ole-*
au ist ein Thau des grünen
Ros lucis ros tuus. Roswei-
diversitas, inquit, *accidit ex*
quod & lumina & olera ver-
udo verbo hoc ambiguo clau-
lucis, seu anteluvanus, ole-
ratissimis est, eaque revivi-
scere

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011
Patch Reference numbers on UTT
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863606172/phys_0647
DFG